




# DE JURE DIVINO ET NATURALI CIRCA USURAM


## *LIBRI SEX*

In quibus adverſus Hæreticos uſurarum patronos, cum recentes, tum antiquiores, catholicum præſertim dogma fuſe defenditur.

*Præmittitur præfatio cum hiſtoria de origine, auctoribus, & varietate hæreſis impugnandæ, unde contra iſtam magnum vel ex novitate præjudicium exſurget.*

TOMUS PRIMUS.





BONONIÆ MDCCXLVII.

Apud Thomam Colli ex Typographia S. Thomæ Aquinatis.
*Superiorum permiſſu.*

# Typographus Lectori.

I *forte miraris, Amice Lector, Opus hoc a præstantissimo Viro* Petro Ballarinio *Veronensi Presbytero jam usque cœptum anno* 1743., *perfectumque proximo ineunte* 1744., *tam sero editum; summamque optimorum hominum exspectationem, quibus liber iste avidissime expetebatur, diutius, quam par erat, dilatam; Scito, id minime de industria factum, sed casu, & fato nescio quo, accidisse ut tardam lucem aspexerit. Cum enim Opus suum misisset Auctor ad Eminentissimum Cardinalem Lucinium, Romanæ Inquisitionis tunc temporis Generalem Commissarium, a quo etiam atque etiam ut illud omnino aggrederetur hortatus fuerat, & sæpe item incitatus, ut, ceteris quoque sepositis curis, quam citissime perficeret: cumque ipsius Præsulis jussu liber adhuc esset sub censura Theologorum, ut denique typis mandaretur; accidit forte sub initium anni* 1745, *quod egregius Cardinalis vita cessit, ejusque morte consilia cuncta de edendo in Urbe libro dissoluta sunt. Nonnulli vero de litteraria Republica optime meriti, quibus tam utiles Auctoris labores latere iniquum videbatur, ab Heredibus Cardinalis Lucinii li-*

*brum impetrarunt ; dederuntque operam ut Bononiam ad me transmitteretur meis typis edendus, impensarum onus ipsi mecum subituri. Ego vero antequam animum inducerem, consilium postulavi abs humanissimo, doctissimoque viro F. Vincentio Thoma Covio Ordinis Prædicatorum, in Bononiensi Archigymnasio Sacræ Theologiæ Professore publico, num ex re esset negotium capessere. At ipse curis distentus plurimis cum excurrere librum non posset, ex me autem editio subita exquireretur, placuit eorum investigare judicium, qui Romæ perlustraverant: ex quibus plane cum per litteras compertum fuerit, quas modo subjicimus, optimum esse librum, utilemque, & prælo dignum, editionem statim aggredimur. Cudebatur itaque Opus, & jam ad exitum properabat; cum insperato Auctor ipse per epistolam poscit, non intermitti solum editionem libri, sed prorsus aboleri; id rogat, id efflagitat: nempe hoc unum deerat fatis, ut ita dicam, hujusce libri, ut parentem ipse suum adversarium haberet. Sed fortunate, quod importune tam grave obortum est impedimentum. Sic igitur, Amice Lector,* post varios casus, post tot discrimina rerum, *tibi denique advenit expectatum Opus, sero quidem, non inficior; sed moræ tædium voluptas, ut spero, præstantissimi Operis compensabit. Vale.*

*Præ-*

*Præstantissimis Viris Admodum Reverendis Patribus*

# FR. ANTONINO BREMONDO

Ordinis Prædicatorum, Casanatensi Theologo, & Reverendissimi P. Generalis Galliarum Profocio,

NECNON

# FR. PIO THOMÆ SCHIARA

Ejusd. Ord., Casanatensi Bibliothecario,

## FR. VINCENTIUS THOMAS COVI

Ejusd. Ord., in Bononiensi Universitate Lector Publicus
S. D.

DE vestra Adm. R.R. P.P. benignitate securus, prætermissis quæ plane debueram verborum officiis, ne plusquam negotium fert molestus sim, ad rem statim venio. Thomas Colli Bononiensis Typographiæ nostræ S. Thomæ Aquinatis Typographus ingens quoddam autographum mihi attulit; ipsi, ut quamprimum suis typis ederet, a Viro, ut ajebat, maximæ authoritatis isthinc missum. Frons Libri: *De jure divino, & naturali circa Usuram, Libri sex, in quibus adversus Hæreticos usurarum patronos, cum recentes, tum antiquiores, catholicum præsertim dogma fuse defenditur &c.* Ad aggrediendam editionem consilium, & opem postulabat meam; quam ut impensius alliceret, pro certo suadebat universum Opus, commissione habita ab Eminentissimo Lucino fel. mem. Card. amplissimo (cui, ni invida morte sublatus fuisset, cordi erat impensis suis publici juris facere) a Vobis præclarissimis Viris visum, probatum, ac magnopere laudatum. Cui ego tum ejus petitioni me illico adhæsurum statui, & pro viribus meam navaturum operam, cum per Vosmetipsos certior fierem idipsum esse constans vestrum de prælaudato Opere judicium. En qua de caussa Vobis Eruditissimis Viris scripserim, & unius exempli litteras uni, & alteri dederim. Quid porro ab ingenuitate, humanitate, & sapientia vestra innixe rogem, & vehementius expectem, quin plura subdam, facile intelligitis. Quid vero deliberaturus sim, ex optatissimis Responsis vestris firmissime & ego intelligam. Valete Viri litterariæ Reipublicæ optime meriti. Valete.

Bononiæ pridie Nonas Januarii MDCCXLVI.

R. A.

# R. A. P. FR. VINCENTIO THOMÆ COVI
Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Publico Bononiæ Profeſsori,

FR. ANTONINUS BREMOND EJUSDEM ORDINIS S. P. D.

DEliberas mecum, ſit, necne, prælo committendum Opus Bononiam Roma delatum, cui titulus: *De Jure Divino, & Naturali circa Uſuram?* Enimvero cogitans quam ſit magnum typis aliquid evulgare, quod & ſemper, & cuique cordato placere poſſit, qua es prudentia, rem cum multis tractandam cenſes, quæ omnium commodo cedere debeat. Hinc quid ipſe ſentiam rogas. Obſequor. Quæ mea ſit, paucis accipe.

Expertus uſu didici, quod faciendi aliquid, vel non faciendi, vera plerumque ratio, cum hominum ipſorum, tum rerum etiam, ac temporum conditione initur. Id ſi Tibi probetur, habe ante oculos quæ ſit hujus ævi noſtri, quæ Operis, quæ hominum ipſorum conditio.

Quod tempus ſpectat, vix, ac ne vix quidem reperire erit opportunum magis, ac idoneum. Scilicet, ſæpius repreſſæ, miras per artes rurſus oriri non ita pridem tentarunt Uſurariæ fraudes. Ad hæc impius grex Janſeniſtarum cum Calviniano jam conſpiravit ad Catholicorum perniciem. Creſcit in dies fœditas. Latius ſerpit erroneæ pravitatis lues. Incautos tentat, opprimit, perdit. Efficax præ manibus habes, ac ſingulare remedium. Quidni adhiberes?

Et quidem ſcis, opinor, quod Opus, cujus hìc mentio, egregium eſt, nec modo temporibus noſtris, ſed ipſis Theologicis diſciplinis ornamento futurum. Quam præclare ſcriptum! Quam diligenter! Quam perite! Quantum ibi Divini Juris & Naturalis! Quantum rerum! Quantum antiquitatis tenet! Vera profert. Diſputat ſubtiliter. Urget. Ipſoſmet repugnantes ducit, impellit, ad extremas incitas adigit, vincit. Vides quam avidis oculis illud olim perlegerim, quod impræſentiarum memoria repetere dulce ſit, ac jucundum. Juſſerat Cardinalis ampliſſimus Lucinius noſter. Opus illud diligenter expenderam. Typis ederetur ita peroptabat, ut ſi vita comes fuiſſet, jam publici juris eſſet.

Hinc tuis obverſetur oculis decus illud, & ornamentum gentis noſtræ. Audias Lucinium, quo Cardinale nihil firmius, nihil verius. Admonet ipſe, rogat; facias quod ipſe feciſſet.

Lucinio probe notus erat Operis Auctor, qui, cum nihil ad oſtentationem, ſed ad conſcientiam referat omnia, nomen ſiluit, & cognomen. Ipſe, ſi neſcis, vir eſt clariſſimus, ac pro veritate firmiſſimus, D. Petrus Ballarini, Sacerdos Veronenſis, qui juſſu Lucinii ſcripſerat, ut ab eodem Cardinale ſæpius audivi. Locupletiſſimus ea de re teſtis eruditus noſter Pius Thomas Schiara, Bibliothecæ Caſanatenſi Præfectus, quem probitas ornat. Alter ipſe, quem Lucinius Operis cenſorem habere voluit.

Audiſti quid ipſe ſentiam, quid conditio temporis, quid Operis præſtantia, quid Lucinii Cardinalis auctoritas depoſcat. Scio quem animum, quod horter ingenium. Supereſt quod opus ſit facto videas ipſe. Vale. Romæ Kalendis Februariis MDCCXLVI.

FR.

# FR. VINCENTIO THOMÆ COVIO

Ord. Prædic., Sacræ Theologiæ Publico Bononiæ Professori,

## FR. PIUS THOMAS SCHIARA

Ejusd. Ord., Casanatensi Biblioth. in Urbe Præf. S. P. D.

GRatæ mihi admodum, jucundæque litteræ, quas a te proxime accepi. Lætatus enim sum magnopere, adversus fœnebre malum, brevi, ut significas, proditurum in lucem egregie conscriptum Opus, de quo fateor tibi jam pene desperaram. Nempe ex te intelligo illud ipsum esse, quod a me perlectum, Lucinii nostri claræ memoriæ Cardinalis jussu, cum illi probassem maxime, ac pro merito extulissem multis laudibus; accepisset autem meo consentiens esse judicium gravissimum Bremondi nostri; impensis ipse suis mox edendum constituerat. Sed maximo interim malo nostro, nec parvo sane Reipublicæ, erepto nobis amplissimo Cardinali, ea deinceps evenerunt, ut perpetuo velut addictum carceri, oblivioni traditum illud, sepultumque putarem. Nunc vero cum, favente Deo, ad manus devenisse tuas, atque Eminentissimi Viri de eo consilium recepisse te, nuncias; ut mirum in modum gaudeo, ita & tibi quam maxime gratulor. Sumpsisti quippe tibi rem præclaram, magnæque, uti spero, in Ecclesiam, atque Rempublicam utilitatis. Nosti enim Calvini, Molinæi, Salmasii, aliorumque id genus, & novissime Nicolai Broedersení commenta ita e mentibus hominum, etiam integerrimorum, obliterasse notionem morbi, perversamque naturam, ut Usurarum lues, quasi non innocens modo, sed & utile, piumque publicæ remedium necessitati foret, pervaserit Europam prope omnem, atque imprudentes etiamnum plerosque fallat, ac polluat. Bene autem memini quam tuto in loco ponat doctissimus Ballarinius, quantaque in luce, constantem Patrum, & Theologorum, atque adeo Ecclesiæ hac in caussa sententiam; doceatque perspicue, ut graviter, nervoseque confirmet, prava omnino in hæresi, damnataque versari novos istos homines, qui Usuram quantulamcunque, atque ut ajunt moderatam, aut negotiatorum, injustitiæ omnis, vitiique expertem esse contendunt. Hanc tu porro doctrinam qui vulgare studes, cum tibi tuam, gravissimoque Auctori magnam laudem, tum vires sumenti in dies malo medicinam paras longe saluberrimam. Itaque macte animo, & rem matura; curaque ut qua fieri potest elegantia, & nitore e prælo Opus prodeat, cum optimis quibusque, ut ego quidem censeo, comparandum; cupiditati certe, projectæque hoc etiam in negotio nostrorum temporum licentiæ coercendæ maxime accomodatum. Vale. Ursium, Pazzaliam, Fratremque meum ut salutes velim meis verbis. Etiam Vale. Romæ Idibus Februarii CIↃIↃCCXLVI.

Vidit

Vidit D. Aurelius Castanea Clericus Regularis Sancti Pauli, in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius, pro SS. D. N. Benedicto XIV. Archiepiscopo Bononiæ.

Die 2. Novembris 1746.

Excellentissimus D. Hercules Maria Zanotti Sac. Theologiæ Doctor Collegiatus, & Canonicus Perinsignis Colleg. Basilicæ S. Petronii Civitatis Bononiæ videat pro Sancto Officio, & referat.

Fr. Thomas Maria de Angelis S. Officii Bononiæ Generalis Inquisitor.

Die 29. Decembris 1746.

Ut muneri, quod mihi mandatum fuit a Reverendissimo Patre Inquisitore, cujus plurimum apud me valet, & apud omnes valere debet authoritas, satisfacerem, Librum hunc summo studio, ac ingenio elaboratum, cui titulus: *De jure divino, & naturali circa Usuram, Libri sex, in quibus adversus Hæreticos usurarum patronos, cum recentes, tum antiquiores, catholicum præsertim dogma fuse defenditur &c.* perlegi, & quo diligentius ad hanc gratissimam, & perutilem lectionem me contuli, eo magis reveritissimi, & in theologicis scientiis peritissimi Authoris doctrina juxta catholicæ fidei dogmata, & certissimam morum regulam me in hujus Operis approbationem traduxit; propterea hunc Librum in lucem edi, & typis mandari posse probavi, si ita ad quos pertinet visum fuerit.

Ita Ego Hercules Maria Zanotti Doctor Theologus Collegiatus, & Perinsignis Basilicæ S. Petronii Canonicus.

Die 30. Decembris 1746.

Attenta supra posita attestatione.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria de Angelis Inquisitor Generalis S. Officii Bononiæ.

IN-

# INDEX MATERIARUM,

## Quæ in ſex Libris de Jure divino, ac naturali circa uſuram continentur.



### LIBER PRIMUS.

*De mutuo, unde uſura naſcitur.*



### LIBER SECUNDUS.

*De uſura, quoad jus divinum in genere.*



 *da*

## LIBER TERTIUS.

*De usuræ injustitia divino jure declarata.*



§. II.

## LIBER QUARTUS.

*De usura jure Divino vetita, etiamsi a divitibus, aut negotiatoribus exacta.*

## LIBER QUINTUS.

*De jure naturali circa usuram.*

*licet*

## LIBER SEXTUS.

*Objectiones contra naturale jus refelluntur.*



Corol-

Gre-

PRÆ-

# PRÆFATIO.

## §. I.

*Argumentum, & necessitas hujus tractatus, ac ejusdem occasio.*

1. Sicuti nullum dogma gravius, & majoris momenti habetur, quam quod non minus integritati fidei, quam sanctitati morum sartæ tectæ servandæ necessarium est; ita nullus error perniciosior, & detestabilior, quam qui, integritate fidei læsa, morum etiam sanctitatem corrumpit, ac destruit. Hinc si erroribus, qui solam fidem commaculant, naviter resistendum est; multo solicitius conniti debemus adversus illos, qui non unius fidei, sed morum etiam doctrinam contaminant: tantoque magis elaborandum in his est, quanto facilius, & latius erroris corruptio serpere, & corrumpere potest. Cum vero in usurarum materia, cujus praxis frequentissima est, errores aliquot eruperint, qui ipsum dogma catholicum directe aggrediuntur, iisque nullus faciliores, ac profundiores radices agere possit; hoc nostrum opus, quo illos impugnare operosius studuimus, maxime utile, ac necessarium videbitur. Non ergo hic agitur de controversis inter catholicos contractibus, utrum usurarii sint, nec ne; neque de titulis, num usuram pallio tegant, an purgent. Ipsum catholicum, seu (ut in Bulla Leon. X. sess. 10. Lateranensis V. appellatur) *Christianum* de usuris *dogma* in controversiam adducitur a non-

nullis, qui usuram ipsam nulla exceptione damnatam ex catholico dogmate, paucis exceptionibus a crimine vindicare conantur. Hoc autem controversiæ genus eo majoris periculi, ac perniciei est, quod non aliquem singularem casum defendat, sed ipsa certissima principia adoriatur, unde quæstiones, & casus omnes de usuris decidendi sunt. Ubi autem in principiis non convenitur, quæ litium, & quæstionum componendarum spes, quis finis esse potest? Ita libere, ac tute divagabitur opinio omnis, & usura, in Scripturis, ac Patribus tantopere condemnata, sublato hoc dogmate, impune grassabitur.

2. In Prælectione quidem secunda, quam secundæ S. Antonini parti præfiximus, ne inaniter cederet omnis de usuris disputatio, adversus ejusmodi errores nonnulla disseruimus, quæ persuadendis catholicis satis essent. At adversus multos, eosdemque præcipui ingenii, & eruditionis hæreticos, qui contra ipsum dogma aliquot libros summo studio, & eruditione lucubratos ediderunt, plura desiderantur. Id autem, ut facerem citius, quàm cogitaram, illud in caussa fuit, quod excitata nuperrime de usuris controversia, cum aliquot hæreticorum libri lecti essent a nonnullis catholicis, gravia visa sunt, quæ illi attulerunt, ut pro vulgari, & scholastico præjudicio traducerent, quod pro catholico dogmate universim habetur, & creditur. Quædam etiam in ipsum vulgum irrepsisse inventa sunt erroris semina, ex quibus periculum est, ne, si diutius plenior confutatio differatur, ipsi hæreticorum errores sensim, & incaute in ipsius Ecclesiæ sinum per ignorantiam excipiantur a quibusdam catholicis, quod maximum ipsi dogmati apud hæreticos usurarum patronos præjudicium pareret. Hoc itaque in opere, sepositis omnibus scholasticis quæstionibus, id mihi unum agendum est, ut contra Sectarios usurarum patronos ipsum catholicum de usuris dogma proponam, ac vindicem.

§. II.

## §. II.

*Historia errorum circa dogma de usuris, quam utilis futura sit. Errores vulgares ex ignorantia a dogmaticis discernendi.*

3. Quod ut æquius ex sententia præstem, historiam errorum, qui contra idem dogma exorti sunt, præmittere juverit: sic enim non solum quid impugnandum sit palam fiet; verum etiam nova, & sera, eorum origine, atque auctoribus detectis, dogma ipsum magis magisque elucescet. Enimvero cum in rebus dogmaticis ad veritatem pertineat antiquitas, ad errorem autem novitas, ita ut id sit *Dominicum, & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum*, ut Tertullianus loquitur, & similiter alii Patres, qui proinde ex novitate invictissimum præscriptionis argumentum adversus hæreses sumserunt: si ex accurata historica præfatione, certa, & posteriora errorum, qui refellendi sunt, initia, atque auctores producentur; hæc ipsa præfatio maximum pro catholico dogmate contra ipsos errores præjudicium erit, unde iis, quæ disputaturi sumus, facilior aditus, ac fides parabitur. Id autem eo facilius in hac controversia accidet, quod errorum hujusmodi origo multo sera patebit, quæ inter multas hæreses antiquis temporibus excitatas locum reperire non potuit: auctores autem fere invisi, & mali nominis, quorum postremi turpi etiam occasione, & caussa in hanc sententiam declinarunt.

De Pręscrip.c.21

4 Fuere quidem omni ævo fœneratores, qui in ipsa Ecclesia usuras exercuerunt: atqui usuras licere docuerint, per tredecim circiter secula nulli inventi sunt. Neque vero negarim extitisse aliquando nonnullos, qui cum usuras & Romanis legibus permissas, & in praxi frequentes viderent, eas sensim putarent licitas. At is vulgaris, non dogmaticus error fuit, quem,

nullo docente, solus vulgus aliis quoque in rebus facile suscipit, cum consuetudo, civilibus præsertim legibus munita, id obtinere soleat, ut (quod Augustinus in Enchirid. c. 80. notavit) *Peccata, quamvis magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse credantur*. Ejusmodi autem errores, qui ex ignorantia, non autem ex pertinacia originem ducunt, catholico dogmati nequaquam opponuntur, nec inter hæreses recensendi sunt. Sic hæreticos nemo Patrum habuit illos, qui concubinatum nec peccatum esse credebant, ut ex S.S. Zenone, Ambrosio, Augustino, Cæsario, & aliis, qui consuetudini, & immunitati legum id referunt, late probavimus in S. Zenonis editione adnot. 33. & 34. tract. 4. l. 1. Si totam scrutemur antiquitatem, non alios circa usuram, nisi practicos vulgares id genus errores invenire licebit; quibus tamen, ne cum animarum, vel fidei periculo serperent, Ecclesiæ Patres naviter restiterunt. Quicunque antiqui textus adversus usuram suppetunt, ex quibus perpetua hujusce dogmatis traditio colligitur, non aliam fere occasionem habuere. Notum enim est non omnia, nec de omnibus traditione susceptis scripsisse Patres, nisi cum scribendi occasio incidisset.

## §. III.

*Error nullus dogmaticus circa usuram fuit per duodecim secula, sed aliquis vulgaris tantum ex ignorantia.*

5. Primo Ecclesiæ seculo, & fortassis etiam secundo, cum Christiani solicitius evangelicam vitam excolerent, nulli dedisse videntur pecuniam fœnori, non solum clerici, sed ne laici quidem, ut observavit ipse Salmasius, qui inter adversarios præcipuum caput est. *Dispensatores arcæ Ecclesiæ presbyteri*, inquit, *olim nec pecuniam suam, nec Ecclesiæ dabant fœnori, quia nec privati primis illis temporibus hoc faciebant. Ideo nec*

Lib. 1. de Fœnor. trapezit. pag. 412.

*nec nominatim necesse fuit Apostolo fœnore interdicere.* Hinc nec a Patribus seculi secundi reprehensum invenitur hoc vitium inter Catholicos, sed Gentibus potius in Christianorum defensionem allegatum legitur a Justino præceptum Christi de mutuo dando sine fœnore, cui præcepto satisfecisse videntur Christiani, ne hæc Justini vindicatio, tanquam inanis, & vacua, factis ipsis Christianorum refelli posset. Solum Montano hæretico fœnerationis vitium objecit Apollonius, ut apud Eusebium legitur. Tertio seculo, cum persecutio jamdiu Christianos non exerceret, nec sollicitos redderet, aliis cum vitiis usura etiam invasit in Ecclesiam, ac plures vel ex ipso Clero, atque Episcopos occupavit. Hinc prima adversus usurarios apud Cyprianum reprehensio, qui usuram inter ea gravissima mala commemorat, quæ justissimam Dei iram provocarunt, quibusque corrigendis Decii persecutionem a Deo permissam testatur. Restituta autem Ecclesiæ pace præsertim sub Constantino, usurarum vitium, hoc Imperatore, intra angustiores limites coercitum adeo late patuit, ut plures ex ipsis clericis in unam civilem legem intenti, *obliti* essent *divinam*, quæ omne fœnus prohibet, ut Nicæni Patres affirmarunt. Hic tamen oblivionis error neminem pro usura dogmatizantem subindicat. Immo cum Patres ejus celeberrimæ Synodi divinæ legis memoriam renovarint, etsi pœnis peculiaribus in officio continendos non duxerint nisi solos clericos; satis tamen officii sui monuerunt & laicos; quos præterea in concionibus, & catechesibus ab hoc vitio coercendos, *& sæpius in recta sententia firmandos putarunt*, ut S. Gregorius Nyssenus testatur. Hinc homiliæ aliquot contra usurarios hoc quarto seculo habitæ supersunt; & insignis liber S. Ambrosii de Tobia, qui ex pluribus sermonibus compactus videtur, hoc unum argumentum ex proposito tractat, ac versat, ut ne tamen ullus contrarium docens uspiam indicetur. Nonnullæ quidem

Apolog. 1.

Lib. 6. c. 17.

Lib. de lapsis.

Vide lib. 2. c. 9. ex orat. S. Greg. Nyss. in usurar. sub finem.

dem objectiones refelluntur aliquando, quales vel hodie nonnulli obtrudunt; quæ tamen solam praxim ratione aliqua vulgari excusare student, dogma autem catholicum intactum relinquunt. Solum sub quinti seculi initium, quo S. Hieronymus commentarium in Ezechielem edidit, *quidam* fuere, *qui putant*, inquit, *usuram tantum esse in pecunia*, non autem in segetibus, quæ in rationem mutuo traditæ, naturalem fructum pariunt. At hic error popularis item fuit, quem inconsideratione, & vulgaribus præjudiciis partum idem S. Doctor ex ipsa Scriptura facile disjecit. Frequentior usuræ ad legum normam exactæ defensio ex ipsis humanis legibus petebatur a populo, quem tamen divinæ commemoratione legis ad officium revocare facile fuit: & si quando necessitas publica, vel privata allegabatur, eodem divinæ legis gladio, cui catholici cederent, omnia solvebantur, ut nemo de hac lege divina dubitationem injecerit. Vide inter ceteros S. Joannem Chrysostomum hom. 56. al. 57. in Matthæum, & S. Augustinum in Ps. 54., & epist. 153. ad Macedonium n. 25. Locum difficilem ex epistola Cosmæ Syri ad S. Simeonem Stilitam, quæ nuperrime edita est tom. 1. Bibliothecæ Orientalis a V. Cl. Josepho Assemano, ne adversariis credatur favere, explicabimus lib. 2. cap. 9., nihilque unquam quod communi omnium & Patrum, & Conciliorum Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ dogmati ex aliquo opponi possit, invenire licebit usque ad seculum XIII.; adeo hoc in dogmate explorata, & constans fuit Scripturarum, & traditionis doctrina, cui per tot secula nemo ex tam multis nequissimarum etiam hæreseon auctoribus contraire ausus est. Qui vero seculo XIII. hunc errorem primi induxerunt, non ex catholicis, sed ex hæreticis jamdiu ab Ecclesia separatis extitere.

In cap. 18. Ezechiel.

§. IV.

## § IV.

*Græci Schismatici vindicantur ab errore dogmatico circa usuram, qui ipsis impingitur. De consensione Græcorum etiam Schismaticorum cum Latinis in dogmate de usuris.*

6. Erunt qui existiment me hoc loco Græcos schismaticos appellare, quos usuræ favisse post seculum XII., ut in collationibus Parisiensibus traditur, auctor Tractatus brevis affirmat. Idem sane de iisdem Græcis prodidit Guido Carmelita in summa de Hæresibus, & ex eo Alphonsus de Castro, aliique nonnulli. Verum cum nullus auctor Græcus a quopiam allegetur, multique potius schismatici, qui de usura scripserunt, idem cum catholicis dogma diserte statuant; satis verisimile est, hunc Græcorum errorem ex iis esse, quos viri docti Græcis facilius impactos conqueruntur. Hujus criminationis occasionem dedit fortassis Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus, qui sub finem XII. seculi, ac sub initium XIII. floruit. Is enim interrogatus a Marco Patriarcha Alexandrino de usura, tum quoad Laicos, tum quoad Clericos, respondit: *Mosaica quidem lex, non fœnerabis, inquit, argentum tuum fratri tuo: civilis autem agnoscit usuras centesimas, & trientes. Definit enim, ut Senatores accipiant usuras trientes, nimirum in singulas libras nummos quatuor; negotiatores autem vulgares, & ceteros dimidiam centesimæ, nimirum in singulas libras nummos sex; eos vero, qui maritimum fœnus contrahunt, pro singulis libris nummos duodecim. Quonam autem modo centesimæ vocentur usuræ, cum libræ quantitas non perveniat ad solidos centum, sed ad septuaginta duos; non est dicendi tempus, ne opus fiat præter opus. Et hæc quidem de Laicis. Sacratis vero fœneratione prorsus interdictum est.* Ex quibus argumentatur Salmasius de Fœnor. trapez. l. 1. pag. 70. *Balsamon Patriarcha in-* *res-*

Tom. 5. de usura p. 24. p. 102. 103. 128.

Vide Le Quien Panopl. Præf. n. 15. & 20. Renaudot perpet. t. 4. lib. 9. c. 7. Du Pin secul. xiv. pag. 100. edit. in 4.

*responsionibus ad quæsita variorum canonicis, diserte tradit usuras laicis permissas esse, clericis solis vetitas &c.* Citat deinde Canones Apostolorum, & Conciliorum, qui *solis Clericis usuras interdixere*. Sed ex humano tantum jure Balsamonem quæstioni respondisse patet, ut nihil de divino jure negarit, quod initio generatim omnibus datum confessus est. Hoc sane divinum jus per Moysen Hebræis editum, in lege Evangelica æque ligare non Clericos tantum, sed etiam Laicos, aliis testimoniis satis exploratis asserit. In scholiis ad epistolam canonicam S. Gregorii Nysseni ad Letojum Melitenes Episcopum, sine ulla laicorum exceptione, ait: *In divina Scriptura & fœnus, & usura, & per potentiam alicujus aliena suæ unire possessioni, probibita sunt. Fœnus ergo est, quod græce pleonasmus dicitur, ut quando quis dat vinum, vel frumentum, vel oleum, vel aliquid aliud, ut in eodem genere plus quam dederit accipiat, ut si quis dederit vini metretas quinquaginta, & septuaginta, vel plures accipiat: usura autem dicitur in nummis*. Confer etiam ejus scholia in Canonem Concilii Carthaginensis ann. 419. de usura, quæ in laicis reprehenditur; & in Can. 14. canonicæ epistolæ S. Basilii ad Amphilochium, in quo usurarii laici a sacris arceantur, ni usuras deserant, perceptasque restituant: quod eo canone cautum monet, quia lex civilis non punit fœneratores. Quod si de Clericis ex canonibus multa affert, de divina lege autem, & de laicis pauca; memento hunc in hisce scholiis excerptis ex opere inscripto *Expositio Sacrorum divinorum Canonum* commentatorem canonum agere in institutionem Clericorum, non autem tractatorem dogmaticum, aut laicorum catechistam, ad quem ea expressior, ac fusior disputatio pertinuisset.

7. Ut autem Græcorum hoc in dogmate cum Latinis consensio magis magisque pateat, omnisque ab iisdem diluatur erroris suspicio, aliorum hujus, & posterioris etiam ætatis testimonia proferam. Zonaras

XII.

XII. seculi scriptor in can. 17. Concilii Nicæni: *Fænus*, inquit, *veteri quoque lege vetitum universis fuit: dicit enim*, pecuniam fratri tuo non fœneraberis. *Quod si illa minus perfecta lex sanxit, multo magis nostra, quæ perfectior, & spiritualior est. Ecce enim aliquid templo amplius est hic. Omnibus quidem igitur fæneratitio lucro interdictum, sed ab eorum instituto, qui sacro ordini mancipati, exemplo laicis, atque invitamentò ad virtutem esse debent, alienissima ea ratio est.* Similiter in canonem 41. Apostolorum de usuræ prohibitione: *Si veteri lege vetitum fuit hoc dicente*: Fœnori non dabis argentum fratri tuo, *multo magis vetatur illis usuras capere, qui secundum Evangelium vivere jubentur.* Et in canonem Concilii Carthaginensis ann. 419. non solos canones usuram vetare ait, sed ipsum divinum præceptum, *Quale illud est*: Non dabis fratri tuo pecuniam ad usuram, *& illud*: Pecuniam suam non dedit ad usuram, *& quæcumque alia ejusmodi reperiuntur. Hinc rationem quoque, cur sacratis hominibus fænerari indecorum, ac turpe sit, explicant Concilii Carthaginensis Patres. Quod enim laicis, inquiunt, ansam reprehensionis præbet, hoc est, vituperationi, criminationique obnoxium est, multo magis in clericis fuerit condemnandum. Ad hæc Synodus neminem adversus Prophetas, neminem adversus Evangelia sine periculo fecisse pronunciavit.* Ubi etiam laicos hac divina prohibitione teneri luculenter tradit. In quem canonem similiter Aristenus Balsamoni coævus, schismaticus & ipse, ait: *Si enim hoc etiam a laicis factum culpandum est, & lucri turpis studii, & avaritiæ infamiam iis infert, & nec ad Sacerdotium admittuntur, nisi injustum lucrum pauperibus impendant, & promittant se non amplius in istud avaritiæ vitium incidere, secundum XIV. magni Basilii canonem, multo magis in clericis condemnandum est.* Quæ omnia a tribus ejusdem ævi insignioribus Græcis similiter tradita, iisdemque divinæ Scripturæ locis probata, non aliam hoc in dogmate fuisse Græcorum omnium fidem te-

ſtantur, quam quod uſura omnibus laicis æque ac clericis a Deo prohibita ſit. Hinc in duplici pœnitentiali Græcorum poſterioris ætatis, apud Morinum, uſura inter peccata omnibus etiam laicis communia recenſetur: in primo quidem ex Barberinæ bibliothecæ codicibus edito per interrogationem: *Fœneratus es ſæpius?* in altero autem ex Euchologio Allatiano: *Si fœnore moleſtavit*. Similiter & Gabriel Metropolita Philadelphiæ Schiſmaticus in libello de Sacramento pœnitentiæ c. II. peccatis avaritiæ *uſuram* accenſet. Nicolaus Cabaſillas Theſſalonicæ Archiepiſcopus circa medium ſeculum XIV., tametſi Latinis infenſiſſimus, non aliam doctrinam docuit in oratione contra uſurarios, quæ tom. 26. Biblioth PP. inſerta legitur. Fuiſſe quidem nonnullos ſui temporis memorat, *qui male docti, & neſcio quibus rationibus niſi, autument, legem, qua fœneratio interdicitur, ſervare nullo modo neceſſarium eſſe; verum ſervantes eam mereri laudem, tranſgredientes reprehenſionem non mereri*. Sed hunc ſolum vulgarem errorem fuiſſe, cui nullus ſcriptor, aut doctor patrocinaretur, quemque oratione ad populum habita ſatis corrigeret, totus contextus, & præſertim finis prodit: unde & rationes omnes vulgares ſunt, quas vel hodie a nonnullis catholicis minus doctis aliquando audimus, quod uſura communi bono, & civitatibus neceſſaria ſit; quod mutuum accipientibus eſt utilis, dantibus autem ſæpe etiam neceſſaria, cum aliunde victum ſibi, vel familiæ parare non poſſint; quod legibus Imperatoriis probetur; quod a volentibus, & gratias agentibus, vel etiam ab iis, qui inde lucrantur, libentiſſime, & ſine damno ſolvitur. His tamen ſingillatim Cabaſillas tota oratione luculentiſſime reſpondens, certiſſimum dogma ubique prodit, de quo nemo Græcorum poſſit ambigere. Ille certe popularis quorumdam error inter dogmaticos Græcorum errores recenſeri nequit, æque ac ſimilis nonnullorum error apud vulgum Latinæ Eccleſiæ dogmati-

Inter monumẽta a Morino ſubjecta operi de Pœnitentia.

tico Latinorum errori tribui non poteſt. Solum aliquanto poſt Maximus Margunius, qui ſub finem ſeculi XVI. floruit, hunc errorem, quem ipſe quondam palam damnaverat, & ex hæreticorum fortaſſis operibus deinceps hauſit, in Photianos primus inducere ſtuduit, ut Nicolaus Comnenus Papadopolus Cretenſis Græcus Catholicus, & Græcarum rerum peritiſſimus notavit in prænotionibus Mytagogicis Reſp. 1. ſect. 7. n. 3., ubi catholicam doctrinam propugnans *contra Margunium, cujus impiis aſſertionibus effectum eſt*, inquit, *ut jampridem fas eſſe putent Photiani publice fænerari. Neque enim aliunde hanc corruptelam in mores Græciæ fluxiſſe conſtanter autumo, niſi ex ipſis notis Margunii, quem not. 2. ad Gangrenſem Synodum non puduit aſſerere, nullo jure uſuram (quam ſcribens Hoeſchelio palam damnaverat, quamque in miſſis ad Hoeſchelium orationibus Cabaſillæ palam damnari a Photianis ipſis ſciebat) probiberi: ſuaderi potius & probari, tum jure naturali, tum divino, quando & juris naturalis eſt ex re propria quemque commodum quærere, & in ſacris paginis ſæpe fænus & laudatur, & inſinuatur*. Hanc novitiam doctrinam, & argumenta Margunii dein confutat Papadopolus, & Græcorum famæ conſulens, hoc a Græcis conſtanter reprobatum præfert, laudatque non tam ex antiquis pro catholico dogmate teſtimonium afferentibus Prodromum, & Palamam, quam ex recentioribus Leonem Xanthopolum in explicatione canonis Nicæni de uſuris, Chriſtophorum Canonarcham de Synodis c. 31., Diplovatacium in Synopſi juris Græci tit. de uſuris, & Joannem Laſcarem Rhyndacenum epiſt. critic. de Moria Eraſmi, nec non in defenſione rituum Græcorum c. 8. Memorat etiam Theodorum Metochitem περὶ χαχονϑείας vulnere 8., ſive de avaritia, Manuelem Malaxum in Nomocanonem tit. de uſuris, & alios a Diplovatacio allegatos inculcat; ac tandem ipſam Photianam ſectam ab ejuſmodi errore, qui a Margunio ad paucos imperitos ab eodem deceptos pervenit, purgans, *Non*

 *enim*

*enim verum est*, inquit n. 8., *non est verum, quod, Margunii, mentiris, probari a Græcia delirante, & Photiana fœnus. Illud vel ea parte, qua Photiana est, detestatur. Neque hoc dubium, si ii proferantur in medium, qui hactenus de jure sacro scripsere. Ero Margunius, si fœnus ab uno Photianorum, alterove probetur, cum contra omnes, quos producis, Joannes Lascares Rhyndacenus illud palam ut impium, & jure divino damnatum publice detestentur.* Nihil luculentius ad Græcorum etiam schismaticorum hac in parte vindicias, & ad audacem unius Margunii nisum repellendum afferri potest. Ipsi quidem Moscovitæ Græci schismatici, licet usuræ studiosissimi, in doctrina tamen de usura recte sentiunt, uti tradit Sigismundus Liber Baro in rerum Moscovitarum Commentariis: *Usura communis est, quam licet magnum peccatum esse dicant, ab ea tamen nemo fere abstinet.*

Script. Rer. Moscov. p. 44.

## §. V.

*Primi auctores hæresis circa usuram fuerunt Patareni: Eorum sectæ tres in eundem errorem conspirantes. Hæc in Viennensi damnata a Clemente V.*

8. Græcis itaque ab imposito errore circa usuram purgatis, Patareni vel Cathari primi fuerunt, qui sub seculum XIII. novum & inauditum de usuris dogma invexere. Duos hujus ætatis testes allegemus. Fr. Renerius Ordinis Prædicatorum, qui ejusdem sectæ antea fuerat, *in summa adversus Catharos* scripta an. 1250., quam tom. 5. Thesauri Anecdotorum PP. Martene, & Durand emendatiorem e duobus codicibus ediderunt, hæc de Catharis scribit. *Nulli hominum restituunt usuram, furtum, aut rapinam: immo reservant eam sibi, vel potius relinquunt filiæ (al. filiis) vel nepotibus suis in seculum permanentibus. Ipsi tamen dicunt usuram nullum esse peccatum.* Idipsum pluribus exponit Vener. Moneta Cremonensis ejusdem Ordinis in MS. ope-

opere adversus Catharos, & Valdenses, quem auctorem ejusdem seculi celebrem egregiis animadversionibus, dissertationibusque illustratum ex MSS. nuper edidit P. Augustinus Thomas Richinius singulari doctrina & eruditione notissimus, qui & paragraphum huc pertinentem mihi communicaverat. Monetæ autem verba ex lib. 5. cap. 14. §. 2. hæc sunt. *Secundo videndum est, utrum dare ad usuram sit peccatum; dicunt enim quod non est peccatum mutuare ad usuram pecuniam. Hoc autem dicunt multiplici de caussa. Prima & principalis caussa est hæresis sua, quia credunt visibilia ista a Diabolo fabricata* (*quæ Manichæorum hæresis fuit*) *hoc autem per Dei gratiam superius est ostensum esse hæreticum. Secunda caussa est Scripturæ sacræ ignorantia, licet enim simplicibus scioli videantur, eo quod litteram habeant in promptu; ipsam tamen litteram non intelligunt; quibus dici potest quod ait Dominus Judæis Matth. 22. v. 29. Erratis, nescientes Scripturas. Tertia caussa est, quia licet locare domum suam, aut vineam alicui, intuitu alicujus rei temporalis, quare & mutuare. Quarta caussa est, quod dicunt usuram esse voluntariam, idest voluntarie datam. Quinta caussa est, quia non inveniunt, quod Matthæo præceperit restituere aliena, quando eum vocavit*. Errorem autem de negata restitutionis obligatione alia sectione fusius subjicit. Vides doctrinam non vulgari errore susceptam, sed ex turpissimæ hæreseos principiis eductam, aliisque subinde argumentis firmatam, ac ex proposito traditam, ita ut hæc sit gloriosa admodum novi dogmatis origo, hi veri, ac eximii auctores, hæretici e Manichæorum progenie, tot erroribus, superstitionibus, atque peccatis etiam impliciti, quos suæ sententiæ antesignanos allegare sectariis usurarum patronis maximo pudori sit.

9. Albanensibus, Bagnolensibus, & Concordiensibus hunc eundem errorem S. Antoninus tribuit par. 4. Summæ Theologicæ tit. 11. cap. 7. §. 6 *Item quod usura non est probibita, & quod non tenetur quis restitu-*

*ere*

*ere ablata*: quæ cum relatis a Renerio, & Moneta concordant. Hi autem omnes Cathari erant: nam *secta Catharorum*, inquit laudatus Renerius, *divisa est in tres partes, sive sectas principales: quarum prima vocatur Albanenses, secunda Concorrenses* (*de Concorezzo* vocat paullo post, unde Antonini locus *Concordienses* corrigendus videtur) *tertia Bajolenses* (de Bagnolo appellantur in monumento mox allegando, unde apud Antoninum *Bagnolenses*) *& hi omnes in Lombardia*. Inter communes autem omnium errores illam de usura refert. Veronæ quidem, ubi omnium Catharorum sedes præcipua videtur fuisse (heic enim illi Ecclesias,& Episcopos habebant, ut ex aliquot monumentis liquet; cumque Albanensibus ipsam Veronensem urbem tanquam præcipuam sedem Frater Renerius explorate vindicat, tum dubium esse potest, num loca *de Bagnolo, & de Concorezzo*, unde *Bagnolenses, & Concorrenses* dicti sunt, sint ea, quæ hisce nominibus in agro Veronensi appellantur) Veronæ, inquam, errorem de usura illi sparserunt. In processu quidem Veronæ habito An. 1305., qui authenticus est in schedis Bartholomæi Campagnolæ Archipresbyteri S. Cæciliæ, ubi Catharorum, seu Patarenorum Episcoporum, & Ecclesiarum Veronensium fit mentio, unus ex hujus sectæ hæreticis, Johannes de Matro appellatur, *pluries, & pluribus in locis dixisse* traditur, *quod dare ad usuram non erat peccatum*.

Hæresis in Viennensi damnata.

10. Hanc novam hæresim anathemate præcidit Viennense Concilium, seu Clemens V. *sacro approbante Concilio* an. 1311. illis verbis: *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, eum velut hæreticum puniendum*. Cum heic de pertinaci errore agatur, non illi Christiani fuerunt perstricti, qui per ignorantiam, vel inconsiderationem usuras peccatum non esse putarunt. Cum his satis habitum est, si canonibus monerentur, & coercerentur. Ita in Concilio Lateranensi an. 1179. can.

can. 25. *Quia in omnibus fere locis crimen usurarum ita inolevit, ut multi, alits negotiis prætermissis, quasi licite usuras exerceant, & qualiter utriusque testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant, ideo constituimus, ut usurarii manifesti, &c.* Similia leguntur in Concilio Avenionensi seculi sequentis XIII. can. 3., necnon in Saltzburgensi seculi XIV. can. 13., in Avenionensi an. 1457. can. 26., in Burdigalensi an. 1583. c. 31., & aliis, ubi usuram usu invalescentem veluti licitam artem a plerisque exerceri traditur, quibus solum coercitionis remedium adhibendum Patres judicarunt; eam enim fere illi *putant sibi ex hoc licere, quod Prælati, vel alii Ecclesiarum Rectores, in animarum suarum periculum, negligunt id corrigere*, ut Saltzburgensis Concilii Patres laudato canone testantur. Ejusdem generis fuit error sub finem seculi XII. fere communis in Belgio, ubi, ut ait Hugo Floreffiensis in vita Beatæ Ivetæ c. 9. n. 26., usuræ *peccatum tunc temporis aut omnino veniale æstimabatur, aut nullum: at modo quam grave & grande sit, evidenter apparet*. Quæ scripta post initium seculi XIII. cum simplicem Lateranensis decreti promulgationem, & executionem respiciunt, tum Christianorum etiam docile ingenium, atque a pertinacia alienum præstant, cui Viennensi anathemate prospiciendum non fuerit. Neque publici quidam fœneratores, *Coursini* appellati, hoc canone percussi fuerunt, qui etsi exercebant usuras, non tamen eas peccatum esse pertinaciter negabant; sed potius usuræ peccatum detestati, lucrum suum titulis variis, atque artibus tegebant, ut alibi ostendam. Unde contra hos illud Viennensis Concilii decretum probabiliter editum fuit, quod adversus usurarios fœnus occultantes huic anathemati immediate præmittitur. Itaque solam Catharorum, seu Patarenorum hæresim Viennenses Patres eo anathemate spectasse videntur. Licet enim illi jamdiu separati ab Ecclesia, nullam forte ejusdem curam mererentur; prospiciendum tamen catholicis fuit, inter

Errores populares.

Bollandus Acta SS. t. 1. Januar. die 13.

Vide lib. 2. c. 8. n. 3.

ter quos illi variis in locis disseminati, atque non satis noti, ne errorem sensim inspergerent, periculum afferebant. Quod si illi per hoc Viennensis Concilii tempus fere omnino credantur deleti; poterant adhuc ex his quidam inter Christianos errorem imbibisse. Sed forte ex Hebræis in Christianos nonnullos hunc errorem irrepsisse quispiam putabit. Henricus Gandavensis, qui paullo ante Viennense obiit, quodlibet 1. q. 39. hunc errorem *quibusdam, & maxime Judæis* tribuit. *Ut credunt quidam*, inquit, *maxime Judæi*. Num illi *quidam* a Judæis distincti, Patareni fuerint, an Christiani, ex Patarenorum, vel Judæorum consortio depravati, dubitari potest. Cum tamen idem Henricus quodlib. 6. q. 26. de nonnullis legistis scribat: *Multum errant quidam legistæ, qui ignorantes naturam peccati usuræ, quia inveniunt usuras in legibus suis permissas, & non prohibitas nisi indirecte, dicunt, quod usuræ non sunt illicitæ, nisi quia canone, vel ab Ecclesia sunt prohibitæ*; hos forte legistas *quorumdam* appellatione indicatos credibile est. De his etiam Bartolus, qui post Henricum floruit, L. 1. Cod. de Summa Trinit. *Alii dicunt, quod sacræ leges* (idest sacra Scriptura, & divinum jus) *non dicunt, quod usuræ sint prohibitæ*. Sed quominus hos legales credam in Viennensi damnatos, illud in caussa est, quod hi usuras Ecclesiastico saltem jure vetitas asserentes, solum negabant divinum jus. Si ergo hi damnati fuissent a Concilio; damnari debuissent, qui pertinaciter assererent, exercere usuras non esse peccatum jure divino. Itaque alii ab his legistis perculsi videntur in Viennensi, sive Patareni, sive Christiani, a Patarenis, vel forte etiam a Judæis infecti. Patarenos, vel a Patarenis infectos præeligo, quod in hos Inquisitores ob hunc errorem egisse notum est ex *Interrogatorio*, quod in novissima editione Venerabilis Monetæ edidit P. Richinius; in Christianos autem, qui a Judæis contaminati sunt, seculo sequenti Inquisitio præscripta legatur, ut mox dicemus.

Dissert. 1. n. 13. p. xxiii.

§. VI.

## §. VI.

*Errores populares post damnationem Viennensem. Error Christiano-Judaicus in Gallia.*

11. Hæc quidem Concilii diligentia tantum apud Catholicos obtinuit, ut omnes hunc errorem uno consensu hæreseos notarint. Non defuere tamen nonnulli vulgo, qui (ut in aliis etiam multis evenit) en errore vulgari, ac per ignorantiam definitorum aliter senserint. Huc referendi textus, qui de simili Catholicorum quorumdam errore testantur. Ejusmodi procul dubio sunt illi, quos sub initium decimiquinti seculi impugnavit S. Bernardinus Senensis serm. in fer. 4. post quartam Dominicam Quadragesimæ a. 3. tom. 2. pag. 231. Populares enim *rationes* affert, & *argumenta, quæ ad excusandas excusationes in peccatis pro defensione sua usurarii* (non autem Doctores aliqui) *assumere solent, se ipsos miro modo decipientes, & malitias suas, & cupiditates palliantes*: sunt autem argumenta quindecim, eadem fere, ac quæ vulgo ad usurarium lucrum purgandum nunc quoque afferuntur. Eodem spectant & illi, quorum meminit Baptista Mantuanus Carmelita in consilio pro Monte Mantuæ ad Petrum Senensem Minorem de Observantia scripto die 20. Septembris an. 1485. *Sunt plerique*, inquit, *qui contra Clementinam Ex gravi, de usuris, putant usuram non esse peccatum*. Ex contextu autem patet loqui illum de populari errore, cui omnes doctores & scriptores contrairent. Hoc consilium reperi in collectione consiliorum in defensionem Montium Pietatis a B. Bernardino Feltrensi relicta, quæ in Conventus Feltrensis bibliotheca servatur.

12. Expressius, & contumacius quiddam ad hæresim accedens indicatur ab Alexandro V. in litteris datis 3. Kal. Sept. an. 1409. ad Pontium Feugeyronis Ordinis Minorum Inquisitorem Avenionensem, cui plu-

Apud Wadingum Ann. Min. t. 5. ad annum 1409. n. 12. pag. 61.

res Galliarum provincias committit. Ibi autem se *nuper audiisse* ait, in memoratis locis *plerosque*, qui adhuc post Pisanum Concilium schismati adhærebant, contraria fidei docere, & nonnullos Christianos una cum perfidis Judæis *novas sectas, & prohibitos ritus eidem fidei repugnantes invexisse, quos saltem in occulto dogmatizant*; additisque paucis de libro Talmud, qui ab Hebræis ingerebatur, adeo ut Catholici quidam in Judaicam perfidiam abducerentur, hic unus error expressus tandem subjicitur: *Demum etiam quidam Christiani, & perfidi Judæi earumdem partium, non verentur asserere, quod usura non sit peccatum, aut recipere decem pro centum mutuo datis, seu quidquam aliud ultra sortem*. Hæc Christianorum ejusmodi cum Hebræis conjunctio indicare videtur, errorem hunc ex Hebræis, qui usuram cum alienigenis licitam defendunt, in hosce Christianos manasse, ita ut Christiani ejusmodi a Judæis decepti, verius Judæi, quam Christiani fuerint, aut certe Judaizantes Christiani, quos *baptizatos Judæos* S. Bernardus vocaret. Id autem curæ maximæ eidem Inquisitori dat Alexander V., ut huic errori cum ceteris evellendo sedulo invigilet; idemque rursus eidem commendavit Martinus V. in litteris an. 1418., ac tandem in Constitutione diei 6. Nov. an. 1419., quæ pag. 567. tom. 2. Bullarii Dominicani edita est a doctissimo & eruditissimo viro P. Antonino Bremont. Adeo hic error, præsertim post Concilium Viennense, inter hæreses ab Apostolica Sede accersitus fuit, ut omnibus Catholicis Viennensem definitionem scientibus exploratum erat. Hinc Doctores omnes omnem usuram peccatum esse certum ex catholica fide per hæc tempora tradiderunt, & nemo unus, qui contrarium affirmare, aut docere auserit, ante Calvinum, & Molinæum hæreticos, inventus est.

S. Bernard. Ep. 363. n. 7.

§. VII.

## §. VII.

*Novatores, qui damnatam in Viennensi hæresim postea excitarunt. De Calvino, Molinæo, Claudio Salmasio, & aliis usuram patronis ab Ecclesia separatis. Horum systema, novitas, & inter ipsos Heterodoxos contradictio.*

13. Ii autem, cum ab Ecclesia recedentes, omnem Ecclesiasticam auctoritatem abjecerint, nihil mirum, si ingenio indulgentes, novam doctrinam de usura excitarint; quam tamen non ita late, ut Cathari, seu Patareni, nec universim defenderunt, sed certis conditionibus, certoque systemate circumscriptam, quod a Patarenorum mente, ac principiis discrepans, minus attentis probabile videretur. Fatentur itaque usuram omnem Judæis universim inter fratres in veteri testamento fuisse prohibitam; at ea cum alienigenis, ut ipsi putant, concessa Deut. 23. v. 19. Ejusmodi prohibitionem ad politica præcepta referunt, quibus in novo testamento sublatis, usura nec omnis, nec omnibus, nec in omni casu illicita sit. Calvinus in octavum Decalogi præceptum: *Clare patet*, inquit, *veterem populum ab usuris fuisse prohibitum; sed hanc fuisse partem ordinis politici fateri necesse est, unde sequitur, usuras hodie non esse illicitas*. Similia repetit Prælect. 54. in Ezechielem c. 18. n. 8. Hac autem in Prælectione tres circumstantias excipiens, usuras vitio dat, si vel excedatur in lucrandi modo, vel hanc lucrandi viam ex proposito, ac professione quadam quispiam arripiat, vel tandem a pauperibus id lucri genus exquiratur. *Hic autem*, inquit, *valere debet sententia illa neque passim, neque semper, neque omnino... Non omnia igitur accipere convenit, quia si modum excedat quæstus* ( quia id pugnat cum charitate ) *etiam reprehendendus est. Diximus quoque morem & usum continuum vitio non carere.*

De Calvino.

*Jam neque passim*, *quia fœnerator* (intelligit eum, qui ex professione fœnus exercet, ut ex antecedentibus liquet) *locum habere non debet*, *nec ferri in Ecclesia Dei*. *Deinde non ab omnibus*, *quia a paupere semper fœnus accipere nefas erit*. Similia leguntur in expositione octavi Præcepti.

De Carolo Molinæo. 14. Carolus Molinæus, qui Calvino quondam adhæsit, duo de usuris volumina edidit, alterum Gallice scriptum, Latine alterum; & in utroque eadem fere sententia usuram, quæ ad legum civilium normam

Num. 81. exigatur, non esse amplius vetitam tradit, nisi quatenus charitati adversetur. Ut autem discernat, quænam usura adversetur charitati, tria hominum mutuo

Num. 85. petentium genera distinguit: pauperes, qui angustissimi in rebus mutuum reddere non poterunt; indigentes, qui aliqua accidenti de caussa egent, cui in præsentiarum, sine gravi saltem suarum rerum damno, succurrere nequeunt, at post aliquod tempus poterunt reddere; ac tandem negotiatores, aut alios, qui in negotiationem, seu in prædiorum emptionem mutuum petunt, quod sibi lucro cessurum est. Primis, inquit, donum, aut certe mutuum debetur, de quo Christus apud Lucam præcepit, ne quid inde speretur, idest ne quam restituendi obligationem iis imponamus. Secundis verum mutuum cum restitutionis onere, at sine lucro, credendum est. Cum tertiis autem licere ait pacisci de moderato lucro, quod legum, aut consuetudinum limites non excedat. Hisce principiis solas usuras damnat, quæ vel aggravant pauperes, aut indigentes; vel exactæ a non indigentibus, sed potius lucrantibus, immoderatæ sunt.

15. Sed hæc paucis cum a Calvino, tum a Molinæo indicata potius, quam probata, vix ullum antiquum etiam Calvinistam sectatorem simul, ac defensorem habuerunt. Unde Theodorus (*) Beza, magnus licet Calvini discipulus (ut de aliis sileam) hoc probare non potuit, cujus testimonium in sanam doctrinam

(*) Comment. in Lucam 6. v. 35.

nam

nam una cum aliis aliorum Heterodoxorum recitat P. Remigius Ceillier in Apologia II. Patrum contra Joannem Barbeyræ pag. 187.

16. Primus, qui separato fusiori opere propugnavit Calvini sententiam, majoremque excitavit inter Heterodoxos motum, pluresque in partes deduxit, est Claudius Salmasius Calvinista, cujus eruditio, ac fama, pluribus operibus parta, magnam illi auctoritatem creaverat. Operis autem occasio hæc fuit. Cum ex maritima navigatione ad Joannem Cloppenburgium Brielensium Calvinistarum ministrum divertisset, is tractatum de usuris abs se Belgice scriptum, & jam editum significans, eundemque Latine etiam factum, ac paratum ad prælum ostendens, quid de tota illa quæstione sentiret, Salmasium rogavit. Calvinianam iste sententiam, cui etiam Cloppenburgius favebat, cito protulit, affirmans, *se semper in ea fuisse sententia, usuras non esse juri naturali contrarias, nec jure divino positivo debere illicitas videri.* Cumque in eam rem plura attulisset in medium, epistolam hac de materie rogatus, quæ simul cum Cloppenburgii tractatu ederetur, librum *De usuris* confecit, quem, utpote fusioris molis, eidem inscriptum, Lugduni Batavorum separatim edidit an. 1638. Profitetur autem in præfatione *se omnibus seculis odiosæ negotiationis defensionem suscepisse*, quod ne hominum animos, ut metuebat, offenderet, pluribus contendit; sed frustra. Cum primum enim liber in lucem prodiit, statim Theologorum, & Jurisconsultorum offensionem incurrit, ut idem ipse fatetur in præfatione ad librum alterum *De modo usurarum*, quod Lugduni Batavorum edidit anno sequenti 1639. Neque vero Theologos, aut Jurisconsultos catholicos hic appellavit, *quibus* (inquit alio in opere) *hactenus persuasum fuit, vetitas esse usuras, tam lege Moysis, quam Christi præcepto.... Cum illis nullam unquam mihi pacem, aut nulla fœdera intelligo futura*. De Calvinistis ipsis Theologis intelligit, qui etsi, Calvino duce, catholicam do-

ctri-

De Claudio Salmasio.

Rumor inter Calvinistas a Salmasio excitatus, præsertim a Theologis Calvinianis.

De fœnore trapez. pag. 2.

pag. 4.

In Præf. de modo usurarū. Præf. de fœnor. trapezit. De fœnor. trapez. lib. 3. pag. 493. (1) Ibi pag. 595. 597. (2) Ibi pag. 732.

ctrinam ejicientes, aliquam usuram aliquando crederent licitam; tamen his ipsis *displicuit*, inquit, *quod usuras præsertim trapeziticas defenderem, accusatusque sum quasi patronus improborum hominum, & actus prorsus illiciti, & injusti defensor*. Apud ipsos nimirum Belgas fœderatos, ac reformatos, trapezitæ, etsi publica auctoritate constituti, non solum *maxima infamia laborabant in vulgus, sed etiam a pastoribus indigni reputabantur, qui admitterentur ad Sacræ Synaxis communionem*, utpote ii, qui (1) fœnus ex professione exercerent, usurasque sub pignore communibus (2) majores etiam a pauperibus exigerent. Hinc commoti non modicum Reformati Theologi ministri, & inter hos (quod mirum dictu videbitur) ille ipse Joannes Cloppenburgius, cui Salmasius librum nuncupaverat, statim queritabundus epistolam ad Salmasium dedit, eamque mox adversus ejus sententiam trapezitas vindicantem edidit una cum *Theologica institutione de usuris*. Adversus hoc opus Salmasius lucubravit, & typis edidit Dissertationem *de fœnore trapezitico* in tres libros divisam, Lugduni Batavorum an. 1640., ubi multa pro novitio dogmate, non tam contra Catholicos, quam contra Reformatos ipsos congessit. Ad hæc non conticuit Cloppenburgius, duobusque opusculis pro ipso editis, alia duo Salmasius reddidit, quorum hic titulus: *Responsio ad Epistolam Joannis Cloppenburgii Lugduni Batavorum an. 1640., & Brevis confutatio notarum larvati Theologi in excerpta dissertatione de Trapezitis*. Ibidem & eodem anno. Hæc de Theologis.

In præfat. de modo usur. Nova sententia a Salmasio inventa contra Jurisconsultos. Pag. 58.

17. Porro *Jurisconsultis nonnullis multa in jure paradoxa*, inquit, *visus sum asseruisse, quibus juris, ut ipsi ajebant, fundamenta everterentur*. Id autem respicit novam ejus sententiam de negata mutui alienatione, *quam contra omnes jurisconsultos ausus fuit asserere*, ut in ipsius vita epistolis ejus præfixa traditur. Ut enim usuram naturali jure licitam in libro *de Usuris* probaret, alienationem non fieri in mutuo posuerat;

rat; sic enim pecuniam ex. gr. in mutuo locari posse intelligitur, ut veræ, ac justæ locationis nomine usura tanquam pensio jure proveniat. Adversus reprehensores vindicavit hanc sententiam primo in præfatione libri *De modo usurarum*, cumque in hoc plures adversarios nactus esset, plura opuscula alio sæpe nomine edidit, quæ tamen omnia eidem in ejus vita tribuuntur. En ipsorum Catalogum. *Diatriba de mutui alienatione contra Cyprianum* sub nomine Alexii a Messalia Lugdun. Batav. 1640. *Elercebus ἐκθέσεως de mutuo Joannis Othonis Tabor*. Ibidem an. 1644. *Disquisitio de mutuo, qua probatur non esse alienationem*. Ibid. an. 1645. *Confutatio Diatribæ Joannis Vissembachii de mutuo*. Ibid. eodem anno. *Responsio ad epistolam Caroli Frabotti de mutuo*. Ibidem & eodem anno. Tantæ molis erat hanc sententiam tueri, quæ si rueret, totum systema, ut ipse agnovit, ex ipso naturali jure subverteretur. Hæc omnia celeberrimi adversarii opera diligentius commemoranda fuerunt; quippe sicut præ omnibus majorem auctoritatis, ac ratiocinationis vim habent, ita enucleatius cognoscenda, & sæpius alleganda, & confutanda nobis erunt. In Præfat. de modo usurarum.

18. Ex hoc certe tempore plures erupere usurarum patroni, quorum sane libri hac fere ætate posteriores sunt, & usura latius inter hæreticos etiam Lutheranos propagari, atque palam defendi. At non solum, Salmasio adhuc vivente, catholica doctrina apud quosdam etiam Calvinistas accepta fuit (*usura enim*, ut ipse ait, *omni modo illicita placet Canonistis, & quibusdam Nostrorum*) sed post ejus etiam mortem in Belgio hac de quæstione acriter inter ipsos ministros Reformatos disputatum est, quorum aliqui eo contra Salmasii sententiam progressi sunt, ut ipsos Montes Pietatis simul impugnarent, quemadmodum liquet ex Mandato Ordinum Hollandiæ 30. Maij 1658., quod Auctor Tractatus Brevis protulit. L. 5. de Fœnor. trapezit. pag. 595. pag. 80.

§. VIII.

## §. VIII.

*Iidem usuræ defensores eamdem jure naturali vetitam fatentur, si vel a pauperibus exigatur, vel supra legitimum modum petatur aliquid: illud contra charitatem, hoc contra justitiam concedunt. Salmasius, qui in primo capite videtur contrarius, eamdem consentit.*

Pauperes ab ipsis usurarum patronis excepti.

19. Illud certe, quod Salmasius supra, seu potius contra ipsam Calvini doctrinam adjecit, licere etiam usuras, quæ a pauperibus exiguntur, nullum vel inter heterodoxos propugnatorem invenit, omnesque, qui usurarum defensionem susceperunt, hunc fere casum pauperum nominatim excepere. Ea nimirum omnium vel Reformatorum usuras defendentium sententia fuit, quam Theologi, & Pastores Batavi sequebantur, dum excommunicantes trapezitas, quod usuras promiscue ab omnibus etiam pauperibus exigerent, *postulabant, ut mutuans* (*mutuans* pro accipiente mutuum heic sumitur) *non sit pauper inops, aut tenuis conditionis, hoc est nihil, aut parum habens ad familiam sustentandam, sed ditior*. Nam *pauperi*, inquiebant, *gratuita dari debet pecunia, qua sublevetur, & nullæ ab eo exigendæ usuræ*. Sic Guilelmus Amesius lib. 5. de Conscientia c. 44. ita usuram defendit licitam, ut excipiat *illam, quæ exigitur ab egeno, qui ob instantem necessitatem, & sustentationem suam, aliquid mutuo petit*, ut scribit n. 12. Et n. 19. *Cavendum in primis, ne quid ultra sortem exigatur ab eis qui sunt egeni*. Similiter Hugo Grotius in commentario in Lucam, ubi ipsis Salmasii operibus motus, a priori sententia recedens, pro usuris scripsit, etsi probavit cetera, hoc tamen de pauperibus probare non potuit; eosdemque excipiendos notavit his verbis: *Deinde etiam intra hanc æqualitatis mensuram non exercendum fœnus in egentes, aut eos, quos credibile sit, fœnore in egestatem* pro-

Salmas. de fœnore trapez. pag. 607.

pag. 627.

In cap. 6. Lucæ v. 35.

*prolapsos. Nam talibus aut pecunia neganda est, si ea opus non habent, aut donanda, si id possumus: certe id cavendum, ne aliorum aut miseria, aut imprudentia in quæstum abutamur.* Pufendorfius lib. 5. de jure naturali & Gentium cap. 7. §. 9. eamdem pauperum ex necessitate mutuum postulantium exceptionem statuit in ipsa propositione, qua usuras licitas diffinit. Barbeyrachius etiam not. 4. in eamdem paragraphum laudat Le Placette tractatum *de l'interet*, ubi licet usuram ex proposito defendat, tamen pag. 86. in ipsa Dei, ut putat, probatione usuræ ab alienigenis exigendæ, haud approbatam ait *omnem usuram ab omnibus alienigenis etiam pauperibus*. Hos sane Joannes Cloppenburgius in Theologica institutione de usuris c. 8. jure ipso naturali exceptos affirmavit: *Non est ergo de extraneo paupere sermo in verbis illis Deut. 23. 20. Extraneo dabis ad usuram. Oportet igitur juxta legis διάνοιαν intelligere extraneum, cui non debetur ob paupertatem eleemosyna, aut gratuitum mutuum, sed cum quo vel foris intercedebant commercia trajectitia, vel qui 'έμποροι venιebat in Judæam propter commercia*. Rursus autem le Placette a Barbeyrachio memoratus not. 7. in §. 9. Pufendorfii nuper laudati, inter lucrativæ, uti appellat, usuræ, quam licitam probare nititur, conditiones, hanc tertiam figit, quod debitor ex mutuo probabiliter lucraturus credatur, nam secus *necessitas eorum*, inquit, *qui mutuum petant, ejusmodi esse solet, quæ exigit, ut vel mutuum sine usuris detur, vel ad summum solæ compensativæ* ( idest ex lucro cessante, ac damno emergenti ) *petantur*. Budæus quoque inter heterodoxos Theologos celebris, Instit. Theolog. Moral. part. 2. c. 3. sect. 5. §. 28. *Neque obstant leges divinæ, quæ usuras probibere videntur. Probibitio enim restringitur ad pauperes, a quibus usuras accipere omnino charitati repugnat*. Eadem apud alios legere est. Lib. 7. c. 5 §. 9.

20. Sed quid plures usurarum patronos commemoro? Ipsum Salmasium Salmasio opponam, ut sic, Etiam a Salmasio.

d nec

nec Salmasio quidem adversante, indubia & communis hæc pauperum exceptio noscatur. Is enim in libro *de Usuris* expresse docuit c. 20. pag. 610. *Iniquum esse non defiteor, ab eo accessionem aliquam exigere usuræ nomine, qui sortem ipsam vix potest reddere. Cui stipem dare debeas non repetiturus, recipere ab eo velle plus quam acceperit, humanitati, & charitati inimicum esse.* Et cap. 21. pag. 672. ita tres mutuatariorum classes distinguit, ut in Molinæi sententiam concedens, affirmet, *ex charitatis regula, quæ proximo a Christianis debeatur*, sine usura non tam subveniendum esse egenis prorsus, quam iis, qui temporali inopia premuntur; & solum usuram habere locum *in divite, sed non satis nummato, & lucrum ex eo mutuo captante*, qui scilicet, (ut explicavit paullo ante) *pecuniam ad præsens non habet, & quærit unde agros emat, aut ædes, aut pecora, vel alias merces, ex quibus multum lucrifaciat*. Cum vero nonnulla hoc in opere dixisset pro trapezitis, impugnatus exinde a Cloppenburgio, propterea quod trapezitæ a pauperibus usuras exigerent, ob vindicandam trapezitarum, quos semel approbaverat, caussam, eo deductus fuit, ut fœnus etiam a pauperibus exactum niteretur defendere, ea potissimum ratione, quod (1) si usura non liceat, pauperes mutuum non invenient. Infirmissima sane ratio, quæ, vel ipsius Salmasii judicio, assertum abs se alias charitatis debitum in pauperes nihil imminuit; unde (2) eodem in opere fatetur opus non fore usuræ adminiculo, *adjuvandæ miseriæ hominum, si omnes charitatem, quam debent, proximo suo præstarent*. Stet igitur communem omnium adversariorum usuris patrocinantium sententiam huc revocari, ut eam solam usuram probent, quæ a di-

Lib. 1. de fenor. trapez. pag. 23.

(1) Vide quæ de hac Salmasii ratione fusius dicentur l. 2. c. 5. §. 2.
(2) Notanda etiam hæc ipsius verba ex lib. 2. de Fœnor. trapez. pag. 476., quibus illud quoque fœnus e pauperibus alienigenis exactum, quo illi opprimantur, in antiquis Hebræis damnat ex lege Exodi 22. v. 25. *Vetat quippe lex*, inquit, *opprimi egenum, sed eidem fœnerari permittit, dum scilicet non opprimatur*. Vide dicenda lib. 2. c. 5.

divitibus exigitur, sive qui ex mutuo lucrum percipiant, sive qui saltem usura nequaquam opprimantur.

21. Alia etiam usuræ conditio maxime observanda ab iisdem flagitatur, ne usura, quæ sine oppressione pauperum exigitur, modum excedat. Quæ enim supra modum est, eam ipsi quoque condemnant, nunc immisericordiæ, nunc injustitiæ. Si nullus a legibus, vel consuetudinibus fixus sit usuræ modus, libereque permissa usurarum conventio; usuras ex necessitate petentium augere, etsi injustum stricte nolint, quod contra leges non sit, immisericors tamen, & contra charitatem fatentur. Audiatur pro omnibus Salmasius, qui omnium laxissimus est: *Ubi nullus modus usuris determinatus est, nisi ex contrahentium voluntate, illæ simpliciter & absolute permissæ debent intelligi eodem prorsus modo, quo mercatori licet pretium, quod velit, suæ merci ponere. Si quis tamen illud impensæ magnum flagitet, charitatem offendit, ut & ille fœnerator, qui abutitur necessitate proximi in amplioribus usuris exigendis, ubi quantaslibet exigere licet. Ceterum quod uterque facit, non vindicatur legibus.* Et alio loco: *Cum enim hoc liberum leges cuique permittant rei suæ quantum maximum velit pretium constituere; si quis ea libertate in immensum abutatur; certum est illum contra charitatem christianam, immo vel humanam peccare.* Alii tamen in hoc excessu injustitiam aliquam vident, quibus idem Salmasius aliquatenus accedens scripsit: *Non tamen hoc probat charitas, & pars est injustitiæ, quamvis ea lege permittatur.*

Ab iisdem damnatur usura etiam, quæ modum excedit.

L. 1. de Fœnore trapez. p. 106.

Lib. 2. p. 380.

L. 2. p. 235.

22. Si vero lex, vel consuetudo, quæ legis vim habet, certos usuræ limites fixerit; amplius aliquid vel minimum exigere injustitiæ palam accusant: id enim est injustum, quidquid ultra legitimum pretium excedit, ut omnibus notum est. In Præfatione de Fœnore trapezitico Salmasius: *Si quando*, inquit, *lex, aut mos civitatis usuris jure naturali liberis modum ponat*

Injustitiæ notata.

*nat, ut pretio certarum mercium*; *eo casu usuræ, quæ modum illum excedunt a lege, vel more statutum, illicitæ habendæ sunt, atque improbæ*. Injustitiam porro stricte dictam in hoc excessu, quem vel civiles leges pœna multarent, multis in locis adstruit, ac præsertim lib. 1. de Fœnor. trapez. pag. 106., ubi peccata ad furtum pertinentia recensens, fatetur *in eamdem speciem cadere usuras justo, & legitimo modo ampliores*: & subdit: *Usura lege permissa furtum non est, lege vetita pro* (1) *furto haberi debet*. Duabus igitur conditionibus in adversariorum systemate probatur usura, si nec modum excedat, quod semper culpabile est; nec intra ipsum modum extorqueatur a pauperibus, quod charitati adversum accusant. Hæc Acatholici in Calvini sententiam.

## §. IX.

*De catholicis aliquot laxioribus, qui usuræ defensionem suscepisse videri possunt, at illam nihilominus ex catholico dogmate vere damnarunt.*

23. Mirum cuipiam fuerit, si hoc seculo decimo septimo, cum tanta opinandi licentia in disciplinam morum irrepsit penes quamplures catholicos, inter multa novarum sententiarum monstra nihil simile de usuris obrepserit. Nonnulla quidem excogitata a nonnullis, ut usuram ubique fere excusarent, sive titulis, quos justos prætulerunt in mutuo, sive contractibus, quos a mutuo diversos mutui loco ineundos opinati sunt. At nemo, qui usuram ipsam probavit, inventus est: adeo certa inter catholicos omnes sententia

(1) Hinc etiam Romano jure civili in sortem computandæ, quæ ante restitutam sortem solutæ fuissent supra legitimum modum; quæ autem cum ipsa sorte, vel postea solverentur, restituendæ erant, sicuti & restituenda erat sortis portio, quæ solutis usuris in sortem computatis indebite exigeretur. Vide Gerardum Noodt l. 2. de fœnor. & usuris c. 13.

tia fuit, ut idcirco quidem eos varios usuræ declinandæ modos excogitarint, quod citra læsæ fidei crimen usuram per se vindicare non possent. Reprehendendi sane, qui rectam de usura fidem profitentes, nimia facilitate, ac indulgentia ducti, inanibus titulis, vel contractibus nisi sint usuram tegere, quam recto dogmate condemnabant: at ex malis opinationibus, quæ partim ab Ecclesia sublatæ sunt, partim vero a doctioribus, atque sapientioribus, non tam auctoribus, quam Episcopis fuerunt notatæ, ac in dubium saltem vocantur, nihil præjudicii creari potest adversus doctrinam catholicam, in quam omnes uno consensu conspirarunt semper, atque conspirant.

24. Specialis tamen mentio omittenda non est de nonnullis catholicis, qui in peculiaris erroris suspicionem vocati, a postremæ ætatis hæreticis pro sua sententia allegantur. Cum nimirum hæreticorum usuris patrocinantium opinio eo jam redacta sit, ut solam usuram ab iis exactam defendant, qui pecuniam non in necessitatis subsidium, sed in negotiationem, ac lucrum mutuam sumsere; auctores quidam catholici hoc lucri genus ab usura purgantes, ejusdem sententiæ videri possunt. Tres autem appellatos inveni, P. Maignanum, Patrem de Colonia e Minimorum familia, ac le Coreur Presbyterum, qui separatos libellos in eam rem edidere. Laxiora quidem illi tradiderunt; at usuram nemo vindicavit. P. Emmanuel Maignanus sub an. 1679. dissertationem Theologicam edidit, primum Gallice, deinde Latine inscriptam *De usu licito pecuniæ*, in qua lucrum ex eo solum pecuniæ usu defendere nititur, quo pecunia negotiatoribus in negotiationis usum traditur. Hic tamen, sicut alium a mutuo contractum, quem *commissionis* appellat, ineundum præcipit; ita lucrum inde perceptum *innocens* esse contendit, atque *immune ab omni labe usuræ, quam omnino*, inquit in præfatione, *semper, & ubique vitandam censeo, damnante prorsus eam non solum Scriptu-*

Peculiares libelli catholicorum de pecunia negotiatoribus credita, in quibus tamen usura damnatur.

P. Maignani.

ra

*ra Sacra, sed etiam toto jure, tum Canonico, tum Civili, ut nulli non compertum est.* Quod autem vindicaturus eum *commissionis* contractum, qui vere redit in mutuum, laxius, & licentius scripsit, non modo *virorum doctrina, & pietate*, ut ipse fatetur, *insignium* offendit animos, verum quinque Episcoporum censuras, ac Romanam etiam promeruit: at in usura, quam indubie damnatam tam diserte professus est, nihil erravit.

P. Andreæ de Colonia.

25. P. Andreas de Colonia Lugdunensibus mercatoribus, ac negotiationi potissimum prospecturus, an. 1676. libellum Lugduni evulgavit cum titulo: *Eclaircissement sur le legitime commerce des interest*, quem mercatorum Præposito, & Scabinis ejusdem urbis nuncupavit. Multum ibidem auctor laborat, ut illud novum lucri genus purget, quod ex pecunia mercatoribus, aut camporum emptoribus in lucrum tradita percipitur. Usuram tamen perpetuo & universim detestatur, divinam legem veritus, quam sine ulla exceptione, ac restrictione suscipiendam identidem profitetur: eaque solum de caussa lucrum memoratum ab usura excusat, quod contractum id genus subtrahit a mutuo, & cum mercatoribus quidem contractum trium contractuum, cum emptoribus autem agrorum realem censum, vel alium contractum implicite iniri contendit: quæ cum in mutui, ac usuræ pallium inducta visa fuerint, celebris Gratianopolitanus Episcopus Stephanus le Camus, in Cardinalium collegium postea cooptatus, eum librum statim censura 17. Febr. 1676. supprimendum, & interdicendum judicavit.

Vide Eclair. p. 50. 66. 240. pag. 64. 71. 98. 184. pag. 74. 99. 117. 148. 170. &c. pag. 72. 79. pag. 84. 87.

Le Coreur.

26. Expressius aliquid pro usuræ patronis attulisse videtur le Coreur Presbyter in parœcia S. Germani Antissiodorensis Lutetiæ serviens, auctor libelli sine nomine editi an. 1682., cui est titulus: *Traitè de la pratique des Billets entre les negotiens*, uti colligitur ex epistola Illustrissimi Bossueti Meldensis Episcopi ad Joannem Episcopum Castoriensem. Is cum mercatoribus necessitudinem quamdam adeptus, in eorum gratiam

hunc

hunc librum (1) ſcripſiſſe traditur. Cum idem liber Epiſcopo Caſtorienſi apud Batavos Vicario Apoſtolico probatus, ejuſque opera excuſſus, ab eodem auctore fortaſſis in ſuam defenſionem præferretur, ut laudatus Boſſuetus teſtatur; ementitiis (2) catholicarum urbium typis, ideſt ex Hollandia eum vere prodiiſſe ſuſpicamur. Illum tamen Caſtorienſi Epiſcopo probari potuiſſe Boſſuetus ſibi perſuadere non potuit. *Hoc enim libro*, inquit, *de uſura ea docentur, quæ ſacris Conciliis, & omnium ſeculorum perpetuæ, & perſpicuæ traditioni repugnent*. Hinc ſcribendi ad Caſtorienſem occaſio, ut factum liqueret. Quid Caſtorienſis reſponderit, patet ex epiſtola ad Boſſuetum ſcripta die 24. Auguſti an. 1684., qua mendacium detegitur: *Non mea opera*, inquit Epiſcopus Caſtorienſis, *quia ne quidem mea cum notitia editus fuit libellus, cui nomen* Traitè des Billets. *Nunquam forte ego ſciviſſem iſtiuſmodi libellum editum fuiſſe, niſi ejus auctor me de illo impreſſo feciſſet certiorem, poſtulans meum de illo judicium*. Addit porro ſe ſolum poſt acceptam Boſſueti epiſtolam emiſſe librum, quem tamen nondum legere potuerat. Tandem concludit: *Si traditioni contraria docet, me approbatorem non habebit; quod enim ab ea diſſonum, refugere ſoleo*. Librum certe hunc *uti a nemine approbatum, ita nec approbandum* Steyartius prodidit. Unum lucrum ex pecunia negotiatoribus credita propugnandum auctor ſuſcipiens, nihil a Scriptura, nihil a traditione, nihil

Apud Broederſen de uſuris pag. 1161. n. 25.

In propoſit. damn. conc. 59.

ab

(1) Baillet *Jugement des Savans* tom. 1. c. 6. p. 2. poſtremæ editionis: *C'eſt ainsi, qu'un Ecrivein moderne apres avoir vecû long-tems dans l'averſion du Caſuitiſme, & avoir ſouffert l'eloignement de ſon pais & de ſon Egliſe, s'eſt trouve engagè d'ecrire en faveur de l'uſure & des billets par les habitudes agreables, qu'on dit avoir contractées avec des Marchands & d'autres perſonnes d'un commerce ſeculier.*

(2) In adnotationibus appoſitis laudato Bailleti loco hæc leguntur: *L'ecrit ici deſſigné n'eſt autre choſe, que le Traité de la Pratique des Billets entre les negotians en 12. par un docteur en Theologie nommè le Coreur. J'en ai vu la 2. edition reuve augmentée pretenduë imprimée a Mons chez Gaſpar Migeot a l'inſegne de trois Vertus 1684. avec approbation, ſans pourtant qu'il en paroiſſe aucune au commencement du livre, ni a la fin.*

ab auctoritate sacra, sed ratiocinationes tantum inanissimas ex humano ingenio afferre potuit. In omnibus tamen catholicum de usuris dogma sartum tectum relinquens, nullibi usuram aliquam licere innuit. Immo eam se damnare uti divinæ legi contrariam palam fatetur; & eatenus solum commercii litteras vindicandas putat, quia id lucri genus ab usura proprie dicta alienum contendit. Cum enim usuram nunquam esse sine mutuo proprie dicto asserit; tum vero mutuum duplex distinguens, alterum quo res aliqua cuipiam datur in consumtionem, seu uti ab eodem consumenda; alterum vero, quo eadem res in negotiationem datur ad lucrum quærendum; mutuum proprie dictum primum illud tantum esse affirmat, non vero hoc alterum, quem contractum commercii nominat; ita ut lucrum hinc perceptum, ex mutuo proprie dicto non sit, & ab usura proinde ablit quam longissime. Novum hocce commentum, re quidem multum cum usurarum defensoribus convenit, eorumque præsertim systemati, quod in Belgio novissime excitatum paullo post explicabimus, in multis præcinit: at ipsa expressa hæresis, qua usura aliqua licere defendatur, procul dubio non est. Hunc tractatum refutavit expresse Jacobus Gaitte in Tractatu *de usuris, & fœnore* Parisiis 1688., nec non D. Carrel Theologiæ Doctor Parisiensis in libro, cui titulum posuit: *De la pratique des Billets*, edito primum an. 1690., & iterum 1699. Jacobus Gaitte pag. 122. & 124. *viros politicos* appellat, & impugnat. Hoc nomine le Coreur potissimum intelligit, nec non id genus alios, qui cum eodem, sive scriptis, sive voce, *politice* consentiebant.

Tres alii auctores. 27. Tres nimirum alii Auctores in eamdem circiter sententiam lucrum præsertim e pecunia mercatoribus tradita, editis libellis, per hæc tempora purgare nisi sunt: scilicet Theologus (P. Chaduc nonnulli vocant) auctor *Epistolæ de usuris* vulgatæ circa annum 1665., quam refellit P. du Tertre (hunc esse volunt

P.

P. Jacobum Thorentier ) in libello Gallice inscripto: *L' usure expliquée, & condamnée* edito an. 1673. & 1678., Pater Mariolles in Gallico tractatu *De la nature de l' usure* contra P. du Tertre scripto, & Avenione impresso an. 1675., ac Bezian Arroy auctor Gallici tractatus de Usuris, Mercatorum Consulibus nuncupati, Lugduni an. 1674. Alios porro in eamdem transiisse sententiam, eidemque patrocinium præstitisse, colligitur ex præfatione P. du Tertre pag. 2., ubi *plusieurs personnes assez considerables* memorat: & similiter in præfatione tractatus P. Thomassini *Du negoce, & de l' usure*, editi post illius mortem an. 1697., quo catholicum dogma vindicatur, ejusdem sententiæ indicantur nonnulli ex ipso Clero, qui alias severiorem morum doctrinam prædicabant. Hinc porro nihil mirum, si hic error in populum disseminatus est, ita ut popularis dici potuerit in ipsa inscriptione operis adversus usuram editi a Ludovico Bulteau cum hoc titulo: *Le faux de pot, ou Refutation de quelques erreurs populaires sur l' usure* an. 1674. Auctor præfationis ad Thomassini librum testatur, quosdam desiderasse Ecclesiasticam hac in re definitionem, quæ animos dissidentes conciliaret. Rem a pluribus canonibus, & decretalibus, ipsaque apertissima traditione definitam non dubitat. Cum autem Ecclesia a se ipsa dissimilis, & discrepans in doctrina morum, ac definitionibus esse non possit; non aliam futuram recipit sententiam, nisi quam Ecclesiæ Præsules, quandocumque ipsis placuerit, pronunciabunt. Spes quidem non fefellit auctorem hunc: nam triennio post, idest an. 1700., Gallicanus Clerus, ob compescendos hosce tumultus, damnavit propositionem 59. his verbis expressam: *Usura etsi esset probibita Judæis, non tamen Christianis, lege veteri in judicialibus præceptis abolita per Christum*: quæ per hæc tempora totius erroris caput, & origo erat. Censura autem propositionis hæc fuit: *Hæc propositio verbo Dei contraria est, novæ legis perfectionem, & gentium omnium in Christo adunatarum fraternitatem tollit.*

Propositio a Clero Gallicano damnata.

## §. X.

### *De quibusdam aliis Anonymorum auctorum libris pro usura.*

28. Nova paullo post erroris semina in Lotharingia disseminata, Henrico de Bissy Episcopo Tullensi, postea autem Meldensi, ac Cardinali celeberrimo, an. 1703. caussam dederunt promulgandi edicti, cui hæc inscriptio est. *Ordonnance de M. l' Illustriss. & Reverendiss. Evêque Comte de Toul; pourtant condamnation d' un libelle intitulè: Factum ou propositions succinctement recueillies des questions, qui se forment aujourdhui sur la matiere de l' usure &c.* Jacobus de Fieux, qui Henrico de Bissy in Tullensi sede præcesserat, cum usuram in tota diœcesi late pervagatam deprehendisset, timens de plurium animarum periculo, officii sui esse putavit omnes commonere, & in id die 25. Aprilis an. 1679. typis dedit Epistolam pastoralem inscriptam: *Lettre pastorale de M. l' Evêque & Comte de Toul sur le prêt usuraire de l' argent par obligation.* Huic Epistolæ Instructionem addidit, in qua totam de usura doctrinam tribus ac decem capitulis luculenter exposuit, præcepitque in Epistola, ut huic Instructioni omnes, non tam laici, quam Confessarii & Prædicatores se se accomodent. Instructioni hic titulus est: *De l' usure ou de prêt usuraire de l' argent par obligation.* Contra hanc Epistolam & Instructionem insurrexit anonymus nescio quis, qui ementitis, aut simulatis typis memoratum opusculum edidit: *Factum ou propositions succinctement recueillies &c.*, quod in Indice librorum prohibitorum hac notatione prænotatur *Jouxte la copie imprimée a Ville sur - Illon en.* 1680. Plura hic capita cum hæreticis usurarum patronis concinentia leguntur. Doctrinam de usura nondum ab Ecclesia definitam, novoque judicio indigere auctor contendit: laicosque, Jurisconsultos præsertim, & a consiliis Principum hac

in

in materia judices cum Episcopis esse oportere affirmans, hos inducit eadem fere docentes, ac quæ a Calvinistis fœnoris defensoribus de usura traduntur, inter quæ illud potissimum ingeritur, magnam in hoc Principum potestatem esse, ut quod lucrum ex pecunia præfiniunt, legitimum, & licitum sit. Hic autem liber, qui una cum Epistola, & Instructione Jacobi de Fieux Episcopi Tullensis catholicum de usuris dogma impugnabat, cum recusus fuisset an. 1703., eum Henricus de Bissy Jacobi successor prætermittendum non duxit; ac propterea die 23. Septembris an. 1703. laudatum Edictum, quo ejus libri errores damnantur, & refelluntur, evulgavit. Anno autem sequenti 1704. die 11. Martii hic idem liber a suprema Romana Inquisitione proscriptus fuit, una cum duobus aliis similem doctrinam continentibus, quorum alter inscribitur: *Usura explicata, seu de conscientia pacata in concessione pecuniæ ad incrementum annuum, auctore Philopones, translata de idiomate Anglico in Latinum*: Londini 1695.; alter vero anonymus, cui titulus: *Consuetudines Anglicæ de concedenda ad usum pecunia*: Londini 1699. Vide Indicem librorum prohibitorum.

29. Neque defuisse videtur aliqua erroris occasio in opere *de Usuris*, auctore Bigozier Decano Senatus Britanniæ, quod editum sub initium præsentis seculi, Nanetenses quidam Doctores an. 1713. impugnarunt. Licet enim pecuniæ pupillaris collocationes per censsus utrinque redimibiles ab usura defendere propositum ejus sit; cum tamen hæc collocatio antiquis usura pupillaris appellata fuerit, & Romanis probata legibus; has leges, & hoc proinde usuræ genus e divitibus, vel mercatoribus exactum vindicare, eaque occasione plura scribere dicitur *generatim in defensionem ejusmodi pecuniæ collocationum, quæ in aliis, quam pupillorum pecuniis, cum divitibus, aut non indigentibus frequentantur*. Ita de illo Nicolaus Broedersen *De usuris* pag. 1636. n. 1. Ex variis autem ejusdem testimoniis,

 quæ

quæ alibi recitat, Bigozier non usuram proprie dictam defendere, sed illam potius uti, & mutuum, in his pecuniæ collocationibus negare videtur. Quidquid sit de hoc opere, quod etiam Theologi Parisienses confutarunt; non multo post, idest an. 1717., novitio de usuris errori se objiciens Facultas Theologiæ Parisiensis, inter doctrinæ articulos ad usurarum materiem pertinenres, hunc 91. recensuit: *Sive a pauperibus (quibus non solum mutuo dare, sed etiam erogare sæpe praeceptum est) sive a divitibus aliquid ultra sortem exigere, vel intendere, vi mutui ad certum, incertumve tempus dati, usuræ crimen est, naturali, divino, & humano jure prohibitum.*

## §. X I.

*De controversia circa usuram in Belgio Fœderato excitata a nonnullis Schismatico-Jansenistis. Turpis ejus caussa, & contradictio inter ipsos; ac de libris hinc atque hinc editis. Systema eorum exponitur. Novi operis necessitas in catholicæ doctrinæ defensionem.*

30. Nunc ad novissimam controversiam in Belgio Fœderato inter Schismatico-Jansenistas acrius excitatam, & adhuc fervescentem, venio. Hæc autem controversiæ occasio & origo proditur in Gallico opusculo, cui titulus: *Memoire sur l' etat present des Refugiez François en Hollande au sujet de la Religion*. Paris 1728. Varlettus Babylonis Episcopus, cum ab Apostolica Sede suspensus in Belgium Fœderatum secessisset, ut Jansenistis faveret, suppressum jamdiu ob hæresim Ultrajectinum Archiepiscopatum propria auctoritate restituturus, die 15. Octobris an. 1724. Steenhoven Archiepiscopum consecravit, eique mortuo anno sequenti Barchmannum statim in Archiepiscopatu suffecit.
Tum

Tum Schismatico - Jansenistæ, ut suam Ecclesiam in Belgio magis magisque stabilirent, suffraganeos creari cupientes, duos Episcopos consecrandos Barchmanno proposuerunt. Sed magna quæstio de usuris, quæ in hæresim tandem erupit, factum impedivit. Usitati erant in Belgio contractus pecuniæ in annuum lucrum collocatæ, quos etsi redituum utrinque redimibilium nomine detensos, cum Barchmannus Pseudo Archiepiscopus usurarios crederet, his magnopere resistendum ratus, nullos abs se ordinatum iri Episcopos professus fuit, nisi se quoque iisdem contractibus objecturos jurarent. Ad hæc autem Jansenistæ nonnulli, cum de offensione Reipublicæ, cui ii contractus, & usura probabatur, vehementer timerent, primo quidem redditus utrinque redimibiles vindicare: at cum objecta iisdem usura vix posset abstergi, aliique contractus in ea Republica vigerent, qui ad redditus reduci non possunt; sensim in usuræ defensionem dilapsi sunt, illud aperte pronunciantes, usuram intra consuetos, vel decretos limites coercitam non esse peccatum, nisi quoad pauperes, qui necessitate victus, & impotentia opprimuntur. Ita Calvinianæ Reipublicæ metus Schismatico - Jansenistas a Catholica in hanc Calvinianam plane sententiam induxit. Hæc susius describuntur in laudata *Memoire*, quæ publica auctoritate edita fuit. Id ipsum confirmant, & indicant etiam Petrus Franciscus Lafiteau Episcopus Sistaricensis in Historia Constitutionis *Unigenitus* lib. 5. ad an. 1728., nec non Georgius Lazarus Berger Montispessulanus Episcopus in pastorali epistola Gallico sermone edita die 24. Septembris an. 1740. *au sujet d' un Ecrit rouvé dans son diocese*. Ubi D. Thierry de Viaixnes testimonium allegatur.

Vide infra Vindiciarum c. 2.

31. Nunc de scriptis hac super controversia utrinque editis. Pro usuræ defensione hi subinde prodierunt. *Epistolæ D. Thierry de Viaixnes*, quarum fusior mentio, ac veluti summa, in laudata *Memoire* invenitur.

Una

Una ex his ad Barchmannum data an. 1728. impressa est ann. 1738. post *Traité des prêts de Commerce*. In hac memoratur quoddam opusculum eadem super re, atque in eamdem sententiam, a Launojo scriptum, cujus editionem DD. Sorbonici nunquam voluerunt permittere. Hoc opusculum esse arbitror epistolam Launojo tributam, quæ in novissima editione Genevensi operum ejusdem tom. 2. p. 2. pag. 563. inserta est cum hoc titulo: *Lettre d' un Theologien a son ami sur le sujet de l' usure non encore imprimée*. Notatur autem in calce: *Hujus opusculi exemplar prostabat in Bibliotheca D. de la Boissiere ad calcem tractatus MSS. de usura, auctore doctissimo Diroisio, quem amici tantum nomine hic designat Launojus*. At in titulo non proditur Launoii nomen; cur autem ejus præsumatur, nullibi dicitur. Aliis etiam in operibus defensorum Catholici dogmatis uti *Launojo* attributa semper allegatur. Ceterum Launojanam opinandi licentiam, rebus multis exploratam, & ab omnibus doctis reprehensam, nemo ignorat.

*Consilium Causidici Bruxellensis Cl. D. H.*, quod ad usurariorum contractuum impugnatores, qui an. 1728. *Casus positionem* ediderant, missum, ab iisdem eodem anno, cum refutatione, quæ *Iterata discussio* inscribitur, publicatum fuit.

*Tractatus brevis de redditibus utrinque redimibilibus* an. 1729. Auctor in fronte non memoratur, sicut & plerisque id genus operibus accidit. At scriptum a Nicolao Broederssen Pastore Delphensi liquet ex novissimo ipsius opere *de usuris*, ex quo sequentium opusculorum Auctores cognovimus.

V. Præfat. n. 12. & pag. 915. c. 48.

*Discussio responsionis ad difficultates quasdam propositas in materia de usuris an.* 1730. Auctore Godefrido Valkemburg. pseudocapituli Ultrajectini Canonico.

Broedersen de Usuris Præfat. n. 14. & p. 916. c. 99.

*Examen pacificum scripti, cui titulus: Casus positio circa redditus, per Theologum Brabantinum*, eodem anno 1730. Verus Auctor hoc nomine tectus est Antonius

Cinch

Cinch præses collegii Lovaniensis Craendonck vocati, ad quem Delphis tum commorantem quidam nescio quis Lovanio scripsisse traditur, Dominum Daelman de hac controversia interrogatum respondisse, *quod ad tollendas omnes difficultates conveniret, quod Status Generales ederent edictum, seu legem, qua redditus illos declararent licitos*: id tamen nemini probatum fuit. Præfat. ibi. & p. 916. cap. 100. pag. 919. cap. 104.

*Defense des contracts des rentes racbetables de deux costes communement usitées en Hollande*, eodem anno, auctore Francisco Meganek Ultrajectini pseudocapituli Canonico.

*Suite de la defense des contracts des rentes racbetables de deux costes* anno 1731., eodem auctore.

*Observationes pacificæ in epistolam N. N. Doctoris Sorbonici* an. 1731., auctore memorato Antonio Cinch. Scriptæ sunt contra epistolam primam Petit-pied, cujus inferius fiet mentio, cum de libellis pro sana doctrina editis sermo erit.

*Traité des prêts de Commerce, ou l'on compare la Doctrine des Scholastiques sur ces prêts avec celle de l'Ecriture, & des Saints Peres*. 1738. Auctor esse dicitur quidam Doctor Facultatis Theologicæ Parisiensis; at simul ejus impressionem a Schismatico Jansenistis pseudo-Capituli Ultrajectini *non modo verbis, & suasione, sed & aliis argumentis promotam*, certissimum affirmatur. Broedersen. pagi. 1736. n. 8. Licet editus præferatur in Insulis apud Petrum Mathon; vere tamen Amstelodami impressus traditur in opere inscripto *Lettres Theologiques contre le Traité des prêts &c.* pag. 78. n. 8. Omnes enim id genus libri, ementitis typis, in Batavia editi sunt, ut per litteras testatus est summæ Ecclesiasticæ dignitatis vir, qui jamdiu in Belgio versatus, controversiæ præsentis testis extitit. Huic porro tractatui *Consultatio* in eamdem sententiam præmissa legitur, signata an. 1735., quam in originalibus MSS. plurium Doctorum subscriptionibus notatam ferunt. Idem in præfat. n. 23. Videntur tamen hi casus practici positionem approbasse, non usuram, cum illum, uti propositus

ſitus fuerat, ab uſura defenderint; ipſum ſcilicet opus hactenus habere non potui. Cum vero ejus compendium magnificis laudibus protuliſſent Calviniſtæ *Bibliothecæ Gallicæ* auctores tom. 27. P. 1. art. 5. male autem de eodem tractatu relatum fuiſſet in Gallia; in vindicationem, & confirmationem ejuſdem ſententiæ an. 1739. editum fuit longius opuſculum, inſcriptum: *Lettre aux Auteurs de la Biblioteque Françoiſe*, quod tom. 28. memoratæ Bibliothecæ P. 2. art. 10. inſertum legitur.

*Epiſtolæ* aliquot Gallice ſcriptæ, *Negotiatoris*, uti inſcribitur, *Amſtelodamenſis* an. 1739. quibus prædictus tractatus de mutuo commercii iterum vindicatur.

Tandem *de uſuris licitis, & illicitis, vulgo nunc compenſatoriis, & lucratoriis libri XII. auctore Nicolao Broederſen* an. 1743.

32. In his opuſculis, licet de redditibus utrinque redimibilibus nonnulla, pleraque tamen afferuntur pro vindicanda uſura, quæ ad legum, vel conſuetudinum limites a divitibus, præſertim mercatoribus, exigitur. Id autem etſi in Calviniſtarum ſententiam re ipſa concurrat, ab eadem tamen nonnihil diſcrepat. Calvinus enim, Salmaſius, ac ceteri plerique ejuſdem ſectæ homines, omnem uſuram inter Hebræos, etiam divites, vetitam agnoſcentes, idcirco nos eadem lege non teneri docuerunt, quod hæc lex, quatenus uſuram a divitibus perceptam complectitur, inter politicas præceptiones recenſent, quæ a Chriſto ſublatæ fuerunt: neque enim traditioni, & auctoritati Eccleſiæ, quæ ejus legis confirmationem luculentius ſtatuit, ex hæreticis præjudiciis, quicquam deferunt. At Schiſmatico-Janſeniſtæ, cum non in tantam impietatem, atque hæreſim adhuc prolapſi ſint, ut omnem traditionem, atque Eccleſiaſticam auctoritatem abjecerint; intelligentes exinde, vetus de uſura vitanda præceptum in novo teſtamento confirmatum negari non poſſe, aliam uſuræ a divitibus, ac præſertim mercato-

cato-

catoribus exactæ defensionem excogitarunt; nimirum usuram in veteri, ac novo Testamento damnatam, solam pauperum, non autem divitum usuram spectare. In hunc sensum & Scripturam, & Patres interpretari conantur, & ita errorem eundem, quem Calvinistæ, sed alia via, propugnant. Usuram itaque, quæ pauperes gravat, atque opprimit, omnes damnant; quæ autem a divitibus, præsertim ex mutuo accepto lucrantibus, juxta legum, vel consuetudinum modum percipitur, una defenditur. Juxta legum, vel consuetudinum modum, inquiunt, quia immoderatam, quæ præstitutos excedit limites, injustitiæ etiam in divitibus damnant.

33. Adversus hunc errorem, pro catholico dogmate asserendo, varii libri typis dati sunt, magno studio, & eruditione lucubrati, inter quos hi præcipue memorantur.

*Appendix ad casus positionem circa redditus* an. 1728., ubi Epistola D. Thierry refellitur toto articulo primo. Id affirmatur diserte Epist. 15. inter Theologicas scriptas *contre les prêts de Commerce* num. 17. pag. 119.

*Refutation d' un Ecrit ou l' on tachoit de justifier l' usure* anno eodem, quæ tamen refutatio in præmissa monitione ante triginta, & amplius annos scripta dicitur ad quendam librum MS. refellendum.

*Courtes observations sur une lettre attribuée a feu Mr. de Launoy au sujet de l' usure* eodem anno.

*Dogma Ecclesiæ circa usuram expositum & indicatum* an. 1730. adversus *Tractatum brevem*, *Discussionem responsionis*, & *Examen pacificum*, libellos antea memoratos.

*Lettres touchant la matiere de l' usure* anno 1731.

*Lettres Theologiques contre le Traité des prêts de Commerce* (confutatur etiam longius opusculum, seu epistola ad Bibliothecæ Gallicæ auctores). Iitis epistolis adjectum *Supplement, & suite du supplement aux Lettres Theologiques &c.* adversus Negotiatoris Amstelodamensis Epistolas an. 1739. & 1740.

 Au-

Auctores istorum librorum, qui pro Catholico dogmate adversus Schismatico-Jansenistas usurarum patronos lucubrati sunt (excipe *Refutation d' un Ecrit &c.*) omnes Shismatico-Jansenistæ & ipsi fuisse videntur, nimirum pseudo-Archiepiscopus Barchmannus, Petit-pied, Maupas, & id genus alii satis noti. In prima Epistola Theologica adversus tractatum *des Prêts de Commerce* num. 1. *Dogma Ecclesiæ* Barchmanno tribuitur. In supplemenro autem Epist. 6. n. 9., & Epist. 11. difficultate 13. n. 1., Petit-pied, tanquam auctori, disserte vindicatur. Alias ex Epist. 2. num. 2. idem videtur Epistolarum, & Dogmatis auctor; etenim ejus Epistolæ auctor adversario responsurus scribit: *Ce Docteur a lù sans doute le Dogma, & il a puy voir dès la seconde page, que nous ne regardons point &c.* Auctor autem Epistolarum Theologicarum, ac supplementi, est Maupas Barchmanno Archiepiscopo intimus, & in hac conrroversia addictissimus, ut in *Memoire*, quam n. 30. allegavimus, traditur. Vide Epist. 2. D. Blondel supplemento insertam pag. 7., & Epist. 5. ejusdem supplementi pag. 14. Hæc conciliabis, si non unum, sed plures in hoc opere laboralle scias; unde idem Maupas Epist. 11. supplementi pag. 42. de Dogmate loquens ait: *Ceux, qui ont travaille a cet ovrage, y ont refuté &c.* Et similiter Episcopus Montispessulanus in Epistola diei 7. Febr. 1732. ad D. Van Erchel Decanum Ultrajectinum supplemento adjecta plurali item numero scripsit pag. 49. *Les raisons que les Auteurs du dogma ont empoloice &c.* Iidem fuerunt fere auctores operum ceterorum. Petit-pied Epistolæ allegantur a Maupas auctore Epistolarum Theologicarum in supplemento Epist. 5. n. 11. pag. 42., unde auctor fortassis est operis inscripti *Lettres touchant la matiere de l' usure*, & traditur aperte a Broedersen pag. 1690. c. 13. Petit-pied, & Maupas præcipui vindices Catholici dogmatis citantur in Epist. 3. Supplemento inserta p. 8. Ex his ergo inter Schismatico-Jansenistas hinc & hinc

hinc hæc pugna fuit, ut palam proditur ab auctore Litterarum Theologicarum contre *le Traité des Prêts de Commerce* Supplementi n. 8. pag. 13., ubi de Schismatica Ultrajectina Jansenistarum Ecclesia loquens, ait: *Vous vous plaignez d' une legion dechainée contre. Je ne connois personne, qui ne lui veuille dubien; & on lui en feroit certaiment un tres grand, si on en bannissoit l' usure. Ce sont ceux qui l' autorisent, qui travaillent a rendre cette Eglise odieuse a l' Eglise catholique.* Hinc etiam nota, eos qui in Belgio Fœderato usuræ patrocinabantur, idcirco tradi Catholicæ Ecclesiæ odiosam reddere Ultrajectinam Ecclesiam, quod ii, qui adversus catholicum dogma a Catholica Ecclesia custoditum pugnarent, ex Ultrajectinæ Ecclesiæ gremio essent, cui Jansenianæ quidem, & Schismaticæ Ecclesiæ soli Schismatico-Jansenistæ bonum velle, & adprecari poterant. Si utriusque autem partis auctores Schismatico-Jansenistæ extitere, nihil mirum accidet, si alii alios, etsi catholico de usuris dogmati adversarios, *catholicos* vocent. Vide præfat. dogmatis n. 3. & 4.

34. Hinc porro malum eorum quoque Auctorum, qui Catholicum dogma propugnarunt, nomen, ipsa eorum opera apud Catholicos in suspicionem vocat; nec desunt, qui dubitant, utrum illi in Catholico dogmate propugnando rigidius egerint, an etiam fortassis venditarint pro dogmate, quod dogma non est: indeque ea in nonnullos de ipso dogmate dubitatio irrepsit, cujus initio meminimus. Itaque Catholicæ doctrinæ studiosi opus esse crediderunt, ut Catholicus Catholicum hoc dogma proponeret, statueret, vindicaret. Adde quod non soli Jansenistarum libri refellendi sunt, qui adversus dogma postremis hisce temporibus nova quadam ratione editi fuerunt, sed Calvinus, Molinæus, Salmasius, Noodt, le Placette, & alii etiam, sive antiqui, sive novi hæretici, qui fusis quandoque voluminibus vehementia sæpe argumenta, aliis intacta, nec satis ex proposito a Catholicis hactenus rejecta obtrusere. Accedunt etiam alia a Novi operis necessitas.

 non-

nonnullis hoc tempore excogitata, vel vulgo objecta, quæ sine idonea confutatione dimittenda non sunt. In hoc ergo opus, cum materiem mihi jamdiu paratam notum esset, excitatus fui ab iis, qui jubere potuissent: occasionesque præsentis temporis, quæ hanc controversiam inter ipsos Catholicos excitarunt, vehementes addiderunt stimulos, ut citius, quam volebam, operi manus apponerem.

Duo systemata confutanda proponuntur.

35. Interim ex descripta historia, cum novitas, & sera, ac turpis etiam patet origo doctrinæ, quæ usuram defendere nititur; tum vero ex duobus systematibus, quæ in plerisque concinentia modicum discrepant, hæc fere sunt errorum capita. Primo convenit inter ipsos nullam usuram per se jure naturali illicitam, nisi duobus in casibus, si vel exprimatur a pauperibus etiam modica, vel a ditioribus, supra legum, vel consuetudinum præscriptionem, ac limites, exigatur. Dein quoad divinum jus alii omnem usuram Hebræis inter se in veteri Testamento divino jure prohibitam non dubitant; at idem jus in novo Testamento confirmatum inficiantes, moderatam usuram cum iis, qui pauperes non sunt, nunc contrahi posse contendunt. Alii vero cum videant negari non posse confirmatum in novo Testamento idem omnino jus, quod in Testamento veteri Hebræis præstitutum fuit; eandem moderatam usuram, quæ a non pauperibus exigatur, nec in veteri, nec in novo Testamento unquam interdictam volunt; quæ duplex sententia præcipuum inter adversarios discrimen constituens, ea duo quæ appellavi systemata distinguit. Porro usuram plerique contra justitiam esse negant, nisi quatenus legitimum modum excedat: quæ autem juxta modum a pauperibus extorquetur, soli charitati adversam contendunt. Errores etiam circa mutuum non desunt; quidam enim mutuum, ex quo usura nascitur, a vero mutuo conantur excludere, ut lucrum inde perceptum ab usuræ vitio diluant.

## §. XII.

*Operis præsentis scopus, & divisio.*

36. Nos autem demonstraturi Catholicum dogma, hæc singula ad examen revocabimus. Sex libris omnia complectemur. Primo libro agemus de mutuo, ubi errores circa mutuum refellentur. Cumque in rebus dogmaticis plurimum intersit, ut quod dogmatis est, dogmatice statuatur ex revelatione, & auctoritate divina; ne si forte immisceantur, quæ ad dogma non pertinent, nec satis demonstrari ex ratione possint, hæc dubium aliquod afferentia, dubitationem in ipsum dogma traducant; de solo & universo divino jure, quod ex Catholica Ecclesiæ doctrina, ac divina auctoritate omnino demonstrare me posse video, tribus sequentibus libris disputabo, quibus universi circa usuram errores certissime disjicientur. Nam secundo libro ex ipsa traditione, atque Scriptura præmittam primo notionem, & definitionem usuræ, ne dubium esse possit, quid usuræ nomine damnatum divino iure fuerit. Hinc autem postquam palam factum erit, non immodicum tantummodo, sed omne omnino lucrum mutui esse usuram divino jure appellatam, adversus primum systema, quod hanc in veteri quidem, non autem in novo Testamento vetitam universim ponit; eandem divino jure, non minus in Testamento novo, quam in veteri, prohibitam, eodem secundo libro statuam: & prohibitam quidem uti contrariam non soli charitati, sed etiam justitiæ, uti ex Scriptura item atque traditione ostendam libro tertio: ac tandem libro quarto usuram, non ex pauperibus, sed divitibus etiam exactam, eodem divino jure utroque in Testamento interdictam demonstrabo: quod alterum, & præcipuum adversariorum systema subvertet. Sic totum Catholicum de usuris dogma distincte propositum, & ex principiis dogmaticis constitutum patebit.

Tum

Tum de usura ex naturali jure, atque ratione concludam duobus postremis libris, quorum primus, ordine quintus, usuram jure naturali illicitam, atque charitati, & justitiæ infensam ex ratione suadebit; postremus vero objectionibus a ratione ductis satisfaciet, ita tamen ut si quis de hoc naturali jure ex rationibus non plane acquiescat, haud propterea inficiari, vel dubitare possit de divino jure, quod ex certissimo dogmate, ac exploratissimis tum Scripturæ, tum traditionis testimoniis, atque ipsius Ecclesiæ definitionibus, tribus libris antecedentibus demonstratum inveniet. Videnda quæ in hanc rem sub finem lib. 4. & 6 fusius dicentur. Solum observandum est postremum Nicolai Broedersen volumen *de Usuris* novissime editum, in meas manus venisse, postquam sex libros indicatos lucubraveram. Itaque illud distincto opusculo, quod *Vindicias juris Divini, & naturalis circa usuram* inscripsimus, & sex libris memoratis subjiciemus, confutatum invenies.


DE



# DE JURE DIVINO, AC NATURALI
# CIRCA USURAM
## *LIBRI SEX.*

# LIBER PRIMUS.

## *De mutuo, unde usura nascitur.*



T disputationi de usura, quam ex proposito tractandam hoc in opere suscepimus, disputationem præmitteremus de mutuo, duplex caussa permovit. Prima, quod sine intellectu mutui intelligi non facile possit natura usuræ, quæ ex mutuo nascitur: altera, quod in ipsa mutui materia errores nonnulli, partim vulgo obtinentes, partim a patronis usurarum excitati, convellendi sunt, qui si intacti relinquerentur, quæcunque deinceps disputaturi sumus, nihil proficerent.

### CAP. I.

*Mutui natura exponitur.*

1. DUæ apud Romanos vulgatiores mutui, ut in præsentiarum accipitur, definitiones, seu descriptiones inveniuntur, quæ tamen imperfectæ valde sunt, nec satis accuratæ. *Si datur, quod redatur, mutuum est*, inquit Varro de Lingua latina lib. 4. At non mutuo solum, sed commodato etiam, atque deposito id convenit. Tritum est pariter illud, quo mutuum *in iis rebus consistere* dicitur, *quæ pondere, numero, mensura constant &c.* uti scribitur Leg. 2. D. *de rebus creditis*, & lib. 3. Institutionum tit. 15. At nonne pondere, numero, vel etiam mensura constant, quæ non consumuntur usu, & in mutuum cadere nequeunt? Accuratius itaque mutuum definiri potest: *Traditio rei usu consumtibilis, in consumtionis usum, ea conditione, ut post aliquod tempus tantumdem restituatur.* Explicemus singula.

Definitiones mutui non accuratæ.

Vera definitio.

2. Primo res, in quas mutuum cadit, usu consumtibiles esse debent. Nam etsi mutui, sicut & commodati, vetus appellatio ab antiquis promiscue usurpata invenitur de traditione tum eorum, quæ ipso usu consumuntur, tum eorum, quæ non consumuntur, dum ita tradantur, ut post aliquod tempus restituenda sint; propriè tamen *commodati* nomine illis rebus

bus relicto, quæ non consumuntur usu, sed eadem numero reddenda sunt, uti est equus, pallium &c., *mutuum*, de quo nunc agimus, & ex quo tantum usura nascitur, de iis tantum rebus accipitur, quarum usus est ipsa consumtio, & in consumtionis quidem usum cuipiam traduntur, ut iis proprio jure consumtis, non eadem numero, sed alia ejusdem generis restituat. Res autem *consumtibiles* a nobis dicuntur, quas alii *fungibiles* vocant, seu quæ ( ut ait Paullus Leg. 2. D. *de rebus creditis* ) *in genere suo functionem recipiunt*. Duplex autem rerum consumtio, alia naturalis, qua scilicet res ipsa usu consumitur, & perit, uti vinum, frumentum &c. si quis hæc ad victum accipiat: alia civilis, qua res alienatur, & ita priori domino perit, ut pecuniæ accidit, quæ tum consumi dicitur, cum in aliorum dominium transfertur.

3. Neque tamen ad rationem mutui sufficit, ut res usu consumtibiles dentur, sed ut præterea in consumtionis usum, seu ( ut alii vocant ) in (1) *abusum* dentur, necesse est. Si quæ enim res consumtibilis, non in consumtionem, sed in alium usum tradatur, verbi gratia ostentationis gratia, ita ut eadem numero restituenda sit; ea traditio non mutui, sed commodati rationem habet. Hinc Ulpianus Leg. 3. D. *Commodati, vel contra* §. 6. scripsit: *Non potest commodari id, quod usu consumitur, nisi forte ad pompam, vel ostentationem quis accipiat.* Confer L. 4. ejusdem tit., & L. 13. D. *de rebus creditis*. Rursus quod in custodiam, non autem in consumtionem datur, etiam si consumtibile sit, non mutuum, sed depositum dicitur. Ratio itaque, ac natura mutui, quod a commodato, ac deposito discrepat, exigit, non tam ut consumtibiles res dentur, quam ut in consumtionis usum dentur.

4. Cum porrò mutuum non sit, nec esse possit, nisi quod datur, & mutuo redditur; unde *mutuum amorem* definivit Cicero l. 5. ad famil. epist. 2. *cum par voluntas accipitur, & redditur*; restitutionis debitum in mutuo imponatur, oportet; & eatenus tantum, *quod ita datur, ut reddatur, mutuum* esse jure Varro dixit. Hinc ἔρανον, quo apud Græcos amicis pecunia dabatur, ut illam redderent, cum ad pinguiorem fortunam venissent, ex hoc restitutionis onere species erat mutui; at simul erat eleemosynæ species ex ea parte, qua amici, si ad eam fortunam non ascendissent, omni restitutionis debito solvebantur. Cum vero res, quæ in consumtionem mutuæ traduntur, eædem numero tradi nequeant; res aliæ ejusdem speciei ex mutui contractu restituendæ sunt, ut monet Paullus antiquus Jurisconsultus L. 2. D. *De rebus creditis*. *Mutuum damus, recepturi non eandem speciem, quam dedimus, alioquin commodatum erit, aut depositum, sed idem genus*: ubi *speciem eandem* dixit pro *eadem re numero* ( species enim fere apud jurisconsultos individuum est substantiæ, ac certum corpus ) *genus* autem *idem* vocavit *rem ejusdem generis*, seu ut Philosophi appellant, *speciei*; uti vinum pro vino, pecuniam pro pecunia &c. Id autem est *par pro pari*, ac propterea verum *mutuum* reddere, ut probe notavit Aristoteles. l. 7. de moribus c. 15. Similiter Lucas c. 6. v. 54. mutuum dari dixit, ut recipiantur τα ἴσα

aqua-

(1) Boetius in Topic. Cic. *Utimur iis, quæ nobis utentibus permanent, iis autem abutimur, quæ nobis pereunt; unde abusus idem, atque consumtio est.*

*aqualia*, æqualem scilicet, vel mensuram, vel numerum, vel pondus. Hinc L. 2. D. *de rebus creditis* Paullus scripsit, *mutui dationem consistere in his rebus, qua pondere, numero, mensura constant . . . qua in genere suo functionem recipiunt per solutionem aquam, specie aquam*, vel *aqua* pro *aquam* ( quod vulgo legitur, nec satis intelligitur ) Jacobus Gothofredus in operibus minoribus correxit: eaque idcirco *functionem* recipere dicuntur, quia iis consumtis, in restitutione aliæ deinde res ejusdem generis *per solutionem aquam, idest aqualem, vel aqua specie*, rerum acceptarum officio funguntur. Æqua igitur species *aqualia* illa significat, quæ mutuo reddenda sunt: unde eam mutui conditionem, seu obligationem posuimus, *ut tantumdem restituatur*: quæ particula non *idem* numero corpus, sed eandem quantitatem, ac æstimationem efflagitat. Sic Papinianus L. 24. D. *Depositi, vel contra, tantumdem*, non *idem reddi* observavit in mutuo.

Differt. 2. de functione, & aqualitate in mutuo.

5. Notanda tandem illa *post aliquod tempus*; nam rei mutuo traditæ restitutio non statim exigenda est ex contractu mutui, alioquin inutiliter daretur; ac proinde obligationem aliquam etiam mutuator contrahit, ne statim post mutuum tantumdem repetat. Hinc Donatus in Terentii Andriam act. 5. sc. 5. v. 3. *Mutuum est, quod habemus ad tempus*. Tempus vero mutui repetendi certum, & determinatum esse potest, & tum ante præstitutam diem mutuum repeti nequit. Si vero indeterminatum relinquitur, potest repeti quandocunq. libet; unde Cicero Tuscul. 1. *Natura dedit usuram*, idest usum, *vita, tanquam pecunia, nulla præstituta die. Quid est igitur, quod querare, si repetit cum vult? ea enim conditione acceperas*. Idem ergo in mutuo pecuniæ fieri potest, dum non statim, sed post aliquod tempus repetatur. Infra decem dies ad minus mutuum apud Romanos repeti non poterat, ex L. *Promissor* 21. §. 21. D. *de pecun. constit.*, & apud Hebræos ante diem trigesimam non potuisse repeti observarunt viri docti ad codicem Machoth. c. 1. §. 2. Reddere quidem mutuum licebat ante statutam diem, repetere autem non licebat. Hinc ergo mutuum jure accersendum est inter perfectos contractus, ex quibus utrinque oritur obligatio, non una ex mutuatarii parte tantum; sed ex utraque, mutuatarii, & mutuantis, parte duplex.

6. Adversus definitionem, quam hactenus proposuimus, & explicavimus, magnam criminationem nonnulli adversariorum nobis movebunt, quippe qui de usura dogmatice acturi, *mutuum*, unde illa nascitur, non ex Scriptura, & Patribus, sed ex Jurisconsultorum Romanorum placitis definiverimus. Varias autem utriusque Testamenti voces ingerunt, ex Hebraico, & Græco textu, ex Latinis item interpretationibus, varias, ipsumque *mutui* nomen, nunc de rebus usu consumtibilibus, nunc de equis, aut aliis rebus, quæ usu non consumuntur, promiscue acceptum inculcant. Inanis objectio, & ad tenebras pusillis effundendas idonea; quæ tamen peritos nihil movere potest. Cum Scriptura, & Patres non fuerint soliciti de definiendis rebus, quæ variis licet vocibus appellatæ, ipsa tamen vulgi notione erant perspectæ, & cognitæ; præcisa definitione iisdem opus non fuit. Ex sola scholasticorum methodo, ne quid confusionis ex variis nominibus incidat, voces propriæ cuique rei significandæ adsignantur; & definitio, quæ rem significatam explicet, atque a ceteris distinguat, subjicitur. Ita cum *mutuum* appellavimus, & definivimus, unde usura nascitur; non vocem *mutui*, quæ alio atque alio sensu accipi potest, sed contra-

ctum, unde usura nascitur, definivimus; eumque contractum latina voce *mutui* in vulgatam Romani juris locutionem a ceteris distinximus. Sed quidquid de hac voce sit, non alius certe contractus usuram parit, nisi is, quem explicavimus *traditionem rei consumtibilis, ad consumtionis usum, ea conditione, ut post aliquod tempus tantumdem restituatur.* Nemo in hoc dissensit unquam, ipsaque Scriptura, & Patres cum damnarunt usuram, licet alia atque alia voce, sive Hebraica, sive Græca, sive Latina usi sint, hunc & non alium contractum, in quem illa caderet, palam insinuant. Semper enim usuram perstringunt in lucro percepto ex pecunia, frumento &c., quæ res consumtibiles sunt, & ad consumtionis usum traditæ fuerunt cum onere restituendi tantumdem, uti contractus a nobis definitus præfert: nunquam vero usuræ damnant lucrum perceptum ex equo, aut aliis ejusdem generis, quæ cum eadem numero restituenda sint, etsi mutuo data late dici possint, contractum tamen mutui, ut hic accipitur, nequaquam recipiunt.

7. Verum ex Scriptura nonnulli obtrudunt illud Deuteronomii c. 23. v. 19. *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno. Fratri autem tuo absque usura, id quo indiget, commodabis.* Insistunt autem verbis *quamlibet aliam rem*, nec non illis *id quo indiget, commodabis*, quæ omnem rem, etiam non consumtibilem, qua pauper (*) indigeat, comprehendi volunt. Audirem libenter num hoc loco vetitum dicerent pensionem accipere domus, vel jumenti, quo pauper egeat. Si quis hoc dixerit, quot usuræ damnandi erunt? Refelletur autem iis Scripturæ testimoniis, quibus jumentorum merces inter fratres permittitur, uti Exodi 22. v. 14. & 15., cum nullibi permittatur rerum consumtibilium usura. Sed planior solutio colligitur ex Hebraico textu, qui sic ad litteram redditur: *Non dabis ad usuram fratri tuo, usuram pecuniæ, usuram cibi, usuram ullius rei, quæ in usuram datur, aut dari solet.* Ita reddit Buxtorfius postrema verba, quæ totam difficultatem peperere. In eodem Hebræo item desunt voces *id quo indiget*, quæ cum in vulgata sint antecedentium paraphrasis, non in alio sensu intelligi queunt. Cujusmodi autem sunt *res, quæ in usuram dantur, aut dari solent*, nisi quæ usu consumuntur? Itaque vulgati interpretis verba *quamlibet aliam rem* explicanda patet de qualibet alia re consumtibili, in quam usura cadit. Id quidem manifestum fit ex ceteris omnibus ejusdem Scripturæ testimoniis, quæ cum subjectum usuræ memorant, semper res consumtibiles memorant. Exodi c. 22. v. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* In Levitico c. 25. v. 37. *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam*

(*) Quod si qui hæc idcirco urgeant, quia solam usuram a pauperibus exactam divina lege interdictam rati, mutuum, in quo usuram Scriptura condemnat, ad solos casus pauperum, & ad res quæ illis creduntur, restringendum putant: ii quæso caveant, ne in definitione mutui veluti certum ponant, quod in præcipuam quæstionem cadit, de qua lib. 4. erit ex proposito disputandum. Nos hic cum late definiezimus mutuum, ex quo usura nascitur, non idcirco definivimus, num omnis usura, quæ ex quolibet mutuo percipitur, illicita sit. Hoc decidere in sequentes libros reservamus; ac propterea propria, quam attulimus, mutui definitio notari nullo vitio potest.

*tiam non exiges*. In Psalmo 14. v. 5. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Esdræ lib. 2. c. 5. ubi usura reprehenditur v. 7., non est sermo nisi de pecunia, & frumento accepto, pro quibus agri, vel personæ obligatæ fuerant, ut liquet ex v. 2. 3. & 4. *Accipiamus frumentum infame: mutuo sumamus pecuniam*. Tandem Matthæi c. 25. v. 21., & Lucæ c. 19. v. 23., de sola pecunia nummulariis credita sub usuris sermo est. Si ergo omnia Scripturarum loca, dum usuræ subjectum memorant, solas res usu consumtibiles recensent; quis in aliam significationem traducere auserit unicum Deuteronomii testimonium, quod cum in vulgata *quamlibet aliam rem* appellat, de re qualibet, quæ *in usuram datur, ac dari solet*, sermonem esse Hebraicus textus declarat. Neque solum nullus Scripturæ textus huic novæ interpretationi favet. Resistit pariter traditio Sanctorum Patrum, & perpetua atque constans ipsius Ecclesiæ doctrina, quæ non in aliis rebus usuram deprehendit. Ubi autem traditio, & Ecclesia Scripturarum interpres est, alia quævis minime congruens interpretatio, commentitia, & falsa cognoscitur. Stet igitur *mutui* notionem, quam dedimus, (si spectetur non vox ipsa, sed contractus, in quem usura cadit) reipsa congruere cum iis, quæ & Scriptura, & Patres, & Ecclesia docuit.

8. Mirum maxime fuerit, si quis nihilominus dubium afferat, num hactenus exploratum sit, quid ex Scripturis, & Patribus, vel ex Ecclesia *mutui* nomine intelligi debeat. Sacræ paginæ per ejusmodi homines obscuræ sunt, Sancti Patres non exacte fuerunt loquuti, Ecclesia item nihil apertum definivit, Scholasticis vitio tribuitur, quod nimium sophistice egerint, & ad jurisprudentiæ potius, quam ad sacræ auctoritatis normam mutuum definierint. Ita dicendum esset, hactenus ignotam fuisse in Ecclesia rem non speculativam, sed maxime practicam, atque Christianæ vitæ regendæ necessariam. Pudeat hæc a viris Catholicis indicari. Si non de *mutui* voce, in qua nihil mali, vel boni situm est, sed de contractu ipso, ex quo usura nascitur, in præsentiarum quæritur; quid Scriptura, quid Patres, quid Ecclesia tradiderit, satis exploratum est, adeo ut nihil plane a constitutis hactenus discrepet. Quando ergo in contractu, ac re definita convenimus cum Scriptura, cum Patribus, & cum Ecclesiæ doctrina; quid importuna, & impertinens vocis quæstio, & criminatio obtruditur? Tam imbecillis adversariorum conatus ut infringatur, longiori confutatione non eget.

## CAP. II.

### *Errores circa propositam mutui naturam.*

### §. I.

### *Error popularis refellitur.*

1. Communem, & veram mutui propriè dicti notionem, quam superiori capite explicavimus, omnes & Romani, & Græci, & antiqui, & recentiores, præferunt; neque cum appellant usuram, quæ redit ex mutuo, aliud mutui genus commenti sunt. Solum nonnulli vulgo, audientes usuram nasci ex mutuo, ut usuram se vitare sibi suadeant, mutui nomen refugiunt, ac propterea quidem usuram se vitare existimant, quod mutuum nequaquam appellant. *Nos*, inquiunt, *eum pecuniam alicui credimus restituendam cum lucro, mutuum non damus, nec dare volumus, sed lucrari*. Si mutuum, ex quo usuræ nascitur, meri nominis officium esset, non autem realis contractus, justa videri posset istorum homi-

num

num excusatio. At sicut usura rei, non nominis vitium est, quod non ex mero mutui nomine, sed ex reali mutuo originem ducit: ita reale mutuum tum contrahi (quocumque tandem nomine appelletur) cum pecunia, vel aliquid aliud usu consumtibile cuipiam traditur, ut tantumdem restituat post aliquod tempus, ex omnium doctrina superiori capite ostendimus, adeo ut quicunque pecuniam reapse ita credat, reale mutuum ineat, nihilque omnino prosit, si re immutata solum mutui nomen mutetur. Gregorio XIII. a Serenissimo Bavariæ Duce propositus fuit contractus, in quo nulla mutui fit mentio; sed idem contractus, ut vocant, lucrativus exprimitur, quo pecunia ad moderatum lucrum pariendum tradebatur. Ille autem in Apostolicis (1) litteris eidem Duci redditis die 27. Maji an. 1581. propositæ quæstioni respondens, usurarium esse contractum hac ratione definivit, quia non solum est ibidem mutuum, sed ad nullum etiam alium contractum, præter mutuum, ille contractus reduci potest: *Contractus modo, & forma prædictis celebratus, usurarius est: neque enim ad aliam speciem, quam mutui, cum conventione lucri ex eodem mutuo accepti, reduci potest*: ut ex mutui notione superius explicata, & apud omnes, etiam Græcos ac Romanos, communi exploratum est. Nihil ergo interest, utrum quis mutuum inire velit, nec ne, dum re ipsa (quacunque utatur appellatione) eum contractum ineat, qui alius a mutuo non est, nec esse potest. Fac quis venditionis appellationem refugiens, dicat, se omnino nolle vendere; at affirmet se rei suæ dominium, accepto pretio, in alium perpetuo transferre; cum satis ex hoc ea omnia præstet, quæ venditionem reipsa constituunt; nomine rejecto venditionis nomine eum contractum reipsa efficiet, qui venditio appellari solet? Idem in casu evenit; nam re id fit, quod est vere mutuum, & solum mutui nomen vulgo respuitur. Deo tamen, qui vitia, non vitiorum nomina vetuit, nemo fucum faciet. Hinc sicut S. Gregorius Nyssenus, & S. Ambrosius eos reprehenderunt usuræ, qui solum usuræ nomen olim mutabant; ita peræque reprehendendi, qui solum mutui nomen nostris temporibus mutant.

(1) Hoc ineditum hactenus monumentum dabitur integrum in fine operis.

S. Greg. Nyss. Orat. in usur. S. Ambros. de Tobia c. 14. n. 49.

## §. II.

*Error quorumdam patronorum usuræ, nec non Theologi recentioris.*

2. ATqui non solum mutui nomen, sed ipsum realem contractum se mutare nonnulli opinantur, quoties pecuniam cum lucro restituendam tradunt; propterea quod aliud reipsa sit pecuniam in lucrum tradere, aliud verò dare gratuito: mutuum autem in eo situm existimant, si gratuito pecunia tradatur; non autem in eo, si tradatur ad lucrum. Hoc idem principium in Belgio nuperrime eduxit magnus usurarum patronus auctor opusculi inscripti: *Examen pacificum* pag. 56., ubi hosce homines sic loquentes inducit: *Mutuum, inquiunt nonnulli, gratuitum est. Ergo nos, qui pecuniam ad lucrum damus, mutuum non damus, adeoque neque usuram committimus, quæ est lucrum ex mutuo.* Eodem omnino principio sub idem circiter tempus usus est etiam Theologus quidam, ceteroqui catholicus, in MS. primum dictato in scholis, dein vero proximis hisce mensibus disseminato, in quo contractus quosdam apud vulgum usitatos, quibus lucrum ex pecunia quæritur, hac ratione ab usura universim purgare se posse credidit, quod essentiale mutui sit esse gratuitum. Ab hoc enim gratuito cum longe absint iidem contractus, quibus pecunia ad lucrum traditur; si essentiale mutui sit esse

Apud Auctorem Dogmatis Ecclesiæ de usuris in præfat. nu. 21. pag. XIV.

se

se gratuitum, ab iisdem contractibus mutuum quoque abesse manifestum est, ac proinde lucrum exinde intentum, non est lucrum ex mutuo, nec usura esse potest.

3. Quod principium si semel admittatur, usura a toto orbe penitus tollitur, immo inter crimina plane impossibilia relegatur, adeo ut usura nuspiam fit, aut fuerit unquam, nec esse possit. Quicunque enim in tradenda ex. gr. pecunia, restituenda post aliquod tempus, usuram voluerunt, aut velint; ii pecuniam non gratuito, sed ad lucrum dedere, ac dare intendant necesse est: quod tamen ex hisce auctoribus mutuum, & una cum mutuo usuram etiam excluderet. Ita sacra Scriptura, Concilia, Pontifices omnes adversus usuram, & usurarios clamantes, inanis laboris, immo & erroris, seu falsæ hypothesis arguendi essent. *Dare enim ad usuram*, quod illi tantopere reprehenderunt, ac prohibuere, aliter fieri non potest, quam *si mutuum detur ad lucrum*; (alterutro enim deficiente, usura non erit) quæ tamen duo in ea sententia essentialem contradictionem involvunt; nam vel *mutuum datur*, & gratuita intentio essentialis mutuo lucri intentionem excludit; vel *datur ad lucrum*, & lucri intentio gratuitum excludens, quod essentiale mutuo est, ipsum mutuum excludit.

4. Neque quispiam reponat, usuræ locum esse, ubi quis post datam gratuito ex. gr. pecuniam, lucrum deinde exigeret; quod contra gratuitam mutui traditionem exactum, satis inhonestum ab omnibus agnoscitur. Primo enim hac in sententia usuræ solum damnatur, si quis post mutuum gratuito traditum contra pactionem lucrum exigat, quod rarum prorsus, & non nisi apud inhonestissimos homines reperietur; usura autem non agnoscitur lucrum initio contractus statutum, vel intentum, quod & frequenter accidit, & a Scriptura, Patribus, Conciliis, infinitis in locis damnatur, atque reprehenditur, cum *dare ad usuram* damnant, & reprobant. Dein neque in eo casu, quo post gratuitum mutuum lucrum exigeretur, usura locum haberet hoc in systemate. Esto enim quod mutuum ab initio contractum fuerit, cum pecunia ex. gr. gratuito tradita fuit, lucrum tamen posterius adjectum, cum a primo contractu subducat gratuitum, quod in eo systemate essentiale mutuo est, mutuum pariter destruit, & contractum immutat; ut proinde lucrum illud, etsi possit esse alias injustum, ex mutuo vere non fit, nec damnari possit usuræ, quæ sine mutuo stare non potest. Ita usura hoc in systemate plane est impossibilis, & ita impossibilis, ut ne in quovis immoderato lucro reperiri queat, quod etsi injustum, & inhumanum esse possit, destructo tamen mutuo, usura esse non potest. Immo cum tanto minus sit usuræ periculum, quanto magis a mutuo receditur; quanto majus quis exigat lucrum, tanto magis recedens a gratuito, quod per hosce auctores essentiale mutui est, eo magis a mutuo, & proinde ab usura, & usuræ etiam periculo, magis recedit. Id præter mentem istorum auctorum esse nequaquam inficior, qui in eo principio statuendo solum moderatum lucrum ab usura vindicandum sibi sumserunt: at ex eodem principio hæc legitime fluunt; quæ si tenenda non sint, ipsum principium, unde tot absurda sequuntur, deserendum est.

## §. III.

*Argumenta pro eodem errore allata refelluntur.*

5. Mirabitur ad hæc quisquis sanæ mentis vir, nec satis intelliget, quibus rationibus hoc absurdissimum systema venire in mentem, atque suaderi potuerit. Tota isto-

Hallucinationis caussæ.

istorum hominum hallucinatio ex eo dimanat, quod peculiarem mutui modum, pro ipsa mutui natura, atque essentia, acceperint. Mutuum esse opus *misericordiæ*, & *miserationis* audierunt ex Scriptura, & Patribus; miserationis autem, & misericordiæ genus cum non sit, nisi quod ex misericordia gratuito traditur, gratuiti rationem essentialem mutui esse statuerunt. Id autem multo magis illi inculcant, qui lucrum a pauperibus exigendum prohibentes, solum lucrum ex pecunia divitibus, vel mercatoribus in negotiationem, aut lucrum tradita exactum ab usura vindicant. Cum enim de pauperibus agitur, misericordiæ opus erga eosdem gratuito exercendum (uti & ipsi contendunt) veri mutui rationem habet: cum vero agitur de divitibus, in negotiationem, vel lucrum pecuniam flagitantibus, sicut ipsis in id assentiri non est misericordiæ opus, quod charitas præcipiat; ita nec gratuitum, nec mutuum esse, quod iisdem datur, visum est, ut lucrum inde exactum nec ex mutuo sit, nec usurarium.

Mutui natura, & modi distinguendi

6. Hac in ratiocinatione mutui fines, & modi, a natura mutui non distinguuntur, sed permiscentur, & confunduntur mirum in modum: quod nemo hactenus fecit in mutuo, sicut nec aliis in contractibus faciendum est. Sua cuique est natura, & notio distincta, quæ a fine, & modis extrinsece advenientibus nequaquam pendet. Sic emtio, venditio, depositum, locatio, commodatum, & contractus reliqui propriam naturam habent, ex cujus notione alter ab altero distinguitur, ut ne ex modis, & finibus eadem petatur. Quidni eadem ratione de mutuo judicetur? Cum quid consumtibile datur, ut tantumdem reddatur, mutuum est, uti capite I. explicavimus. Gratis autem, aut ad lucrum dare, duo tantum sunt mutuationis modi, qui mutuum præsumunt, non destruunt. Neque sola gratuita datio mutuum est, sed fœnebris etiam. *Usura enim*, inquit Salmasius, *in mutuo, ut accidens in substantia, inharet, nec est pars ejus* οὐσιώδης (essentialis) *sed accessoria, tollique, atque addi potest, sine internecione subjecti*. Id etiam omnes gentiles, & barbaræ gentes noverunt. Hinc non tam *mutuum gratuitum*, quam *fœnebre mutuum* a Romanis appellatum legitur; & non solum mutuum dixere, quo quis gratuitam pecuniam amicis crederet; verum etiam cum quis eam ad usuram daret. Hinc l. 13. C. *Si certum petatur*, legitur: *Mutuam pecuniam .... fœnori dante*; & l. 16. *Pecuniam fœnebrem mutuare* pro *mutuam dare cum fœnore*, vel ad fœnus percipiendum; & similiter Svetonius in Augusti vita: *Pecuniam levioribus usuris mutuati*. Et ut mittam alia sexcenta, ipsa Romanorum Chirographa, quibus debitores pecuniam sibi a creditoribus lucro traditam testabantur, *mutuum* contractum produnt, ut nihil de gratuiti mutui essentia suspicarentur. Id apparet ex exemplo Chirographi, quod exstat l. 41. D. *de Usuris*, ubi hæc habentur: *Ille scripsit me accepisse, & accepi ab illo mutuos & numeratos decem, quos ei reddam calendis illis proximis, cum suis usuris placitis inter nos*. Græci pariter δάνειον, quo *mutuum* significatur, promiscue dixerunt de omnibus, qui pecuniam, sive gratuitam, sive fœnebrem traderent, ut Salmasius pluribus probavit: ac δάνειον ἔντοκον, *mutuum usurarium*, vel δανείζειν ἐπὶ τόκῳ *mutuum dare ad usuram* scripsere: immo, & quandoque eodem sensu δάνειον tantum dixerunt; cum enim plerumque mutuum contraheretur sub fœnore, si quis δάνειον *mutuum* diceret, statim usurarium mutuum intelligebatur. Neque aliter Arabes ipsi accessionem, seu lucrum in contractu conventum, mutuo nihil detrahere, in ipsa usuræ definitione pro-

Adversarii a Salmasio usurarum patrono impugnati.

Lib. 2. de fœnor. trapez. p. 162.

Testimonia gentilium eosdem refellunt.

De Usuris c. 9. pag. 31. ib. cap. 2. p. 16.

produnt, quam ex juris Mahumedani regulis, sibi a Golio communicatis, ex ipso Arabico textu edidit Salmasius c. 5. de Usuris pag. 95. Sic enim illi usuram definiunt: *Est excessus, vel accessio præter mutuum, quæ pacto constituitur uni ex contrahentibus in mutui conventione*. Mitto alia plura ex aliis, quibus non alia mutui notio fuit. Contra communem ergo omnium gentium mentem illi moliuntur, qui essentiæ mutui tribuentes rationem gratuiti, lucri intentionem eidem essentiæ repugnantem comminiscuntur, sicque ut usuram excusent, seu verius impossibilem efficiant, ad mutui essentiam perperam referunt duos mutui modos, qui ad solam mutui honestatem, vel malitiam æstimandam pertinent; quemadmodum etiam ipse Molinæus usurarum patronus observavit in Tract. de usuris n. 656. Postquam enim scripsit mutui officium proprie gratuitum esse debere, & usuras excludere, quibus sicut officii gratuiti ratio, ita & mutuum quodammodo destruitur; dein ad præoccupandam objectionem, quam hoc loco impugnamus; *Nec cavilleris*, inquit, *quod non erit usura, si* (ex lucro) *desinat esse mutuum; quia non desinit esse mutuum materialiter, & impure; usura enim non est forma, & puritas, sed labes, & inquinatio mutui*: quæ malitiæ, & inhonestati deputanda, etsi honestatem mutui tollant, mutuum tamen ipsum non tollunt, uti etiam Salmasius paullo ante affirmavit.

Ipse Molinæus adversarios refellit.

7. Quod vero illi monuerunt distinguendum esse inter pauperes, & indigentes, qui dum ad necessitatem sublevandam pecunia egent, misericordiæ opus merentur; & inter divites, vel negotiatores, qui dum pecuniam quærunt ad lucrum, eandem misericordiam non requirunt; hoc etsi nonnullis satis grave videri possit, ad usuram, vel lucrum in secundo casu vindicandum (de quo plura agemus lib. V.) ad mutui tamen rationem in ratione gratuiti statuendam nihil confert. Si enim essentiale mutui sit esse gratuitum, sive divitibus, sive pauperibus gratuito credatur pecunia, mutuum semper erit hac in sententia; contra verò non tam si divitibus, quam si pauperibus credatur ad lucrum, non erit mutuum, nec proinde lucrum erit usura, ita ut hoc systema contra ipsam auctorum mentem usuram etiam ex pauperibus exactam purget. In hasce angustias malesanum, & falsum principium conjicit. Hæc de Belgis Jansenistis.

Mutui natura sive cum pauperibus, sive cum divitibus eadem est.

8. Theologus vero, ceteroqui catholicissimus, non pertinacia, vel voluntate prava, idem principium invexit; sed pietate quadam (ita enim appellari solet) motus, ac studio defendendi usurarium contractum, qui apud vulgum late obtinet, & eradicandi desperationem in rivatos inducit. Hinc sane in MS. libro, quem multis auditoribus in scholis dictavit, hunc eundem contractum ad Scripturæ, Patrum, Theologorum principia exactum, mutuum, & usuram continere indubie pronunciaverat; & siquidem praxis hunc contractum non suscepisset, nihil novi excogitasset, ut illum vindicaret. At quando praxim tam radicitus ei contractui adhærentem invenit, studium salvandi tot homines, quos ab ea consuetudine removere difficile sensit, ad defensionem aliquam quærendam eundem excitavit, in quam nonnisi memoratum absurdissimum principium reperire potuit, quod tamen satis timide productum hac præcipua ratione statuit, quod gratuiti ratio, *vel favor, seu charitas proximo exhibita per pecuniam data in commodum mutuatarii ad tale tempus, videtur distinctivum mutui ab aliis contractibus; nam translatio dominii, & debitum reddendi tantundem etiam intersunt in venditionibus conditionatis,*

Theologi systema unde ortum.

*natis*, *commutationibus*, & *aliis contractibus innominatis*.

Refellitur. 9. Hic autem aperta æquivocatio in voce *tantundem*, & imperfecta, seu mutila potius mutui notio, fucum fecit. Primo enim in permutationibus, & venditionibus conditionatis, aliisque contractibus, qui mutuum non sunt, vel non æquivalent mutuo, non *tantundem* ejusdem speciei, vel generis, ut in mutuo accidit, sed *idem* omnino quod traditum fuit, ex altera saltem parte, reddendum est, eadem domus, prædium &c. Dein non sola dominii translatio, atque obligatio restitutionis integram mutui notionem exprimit, ut argumentatio præsumit, sed *traditio rei consumtibilis*, *ad consumtionis usum*, *cum obligatione restituendi tantundem*, ubi & traditio ex unius tantum parte fit, & obligatio restituendi absoluta, non conditionata est; quæ omnia præter mutuum nullo alio contractui convenire invenientur. Illud porro hac occasione addendum videtur, quod in ceteris contractibus, in quibus virtuale mutuum continetur, non gratuiti ratio mutuum constituit, ut idem Theologus paullo post videtur innuere (hac enim in sententia nullum virtuale mutuum lucri gratia initum usurarium haberi posset) sed quod virtualem rei consumtibilis traditionem, æquivalentis restitutione imposita, continet. Sic L. 11. *De rebus creditis*, mutuam pecuniam factam putavit Ulpianus, si quis lancem vendendam accepisset, ut nummis uteretur: perinde enim id habendum credidit, ac si mutuans lancis pretium ab emptore acceptum mutuum dedisset. Similiter anticipata venditio, quæ pretii solutionem expectat, idcirco virtuale mutuum præfert, quod perinde habeatur, ac si (1) pretium statim ex ipsa venditione solvendum, ementi traditum, vel relictum sit, ut illud post præstitutum tempus restituat. Anticipata autem pretii solutio in emtione anticipata, quæ traditionem rei emtæ, tanquam æquivalentis restitutionem requirit, virtuale mutuum est: anticipata autem solutio debiti, pro virtuali mutuo medii temporis habetur, quod idem in anticipata vectigalium solutione Cæsar de Bel. Civil. l. 3. c. 32. *promutuum* vocavit. Nihil ergo nisi paralogismos Theologus allegavit, nec pro absurdissimo principio, quod communi circa mutuum notioni, totique & humanæ, & sacræ auctoritati opponitur, nisi parologismi, & æquivocationes allegari queunt.

Mutuum virtuale.

10. Verisimilius forte videri potest, si quis eam apud Latinos veteres inter *mutuum*, & *fœnus* distinctionem allegaret, quod *fœnus* cum usura sit, *mutuum* autem sine usura, ac proinde gratuitum. Ita Nonnius: *Mutuum a fœnore hoc distat, quod mutuum sine usuris, fœnus cum usuris sumitur*, & citat Plauti locum ex Asinaria, ubi mutuum pariter pro gratuito habetur: *Nam si mutuo non potero, certum est, sumam fœnore*. Alia objecta

11. Id autem ex prima, ac propria *mutui* significatione dimanare contendit Salmasius de Usuris c. 2. pag. 17., propterea quod *mutuum* illud proprie dicitur, quo paria paribus rependuntur, uti *mutuus amor*, cum amor pro amore, *mutuum beneficium*, cum pro beneficio beneficium redditur: qui vero mutuum aliquid dant, idcirco mutuo dare recte dicuntur, quod mutuam paris quantitatis restitutionem efflagitant, in quo gratuita mutui ratio cognoscitur.

12. Hæc vero si quem moveant, quæso, consideret non negare nos mutui vim non aliud per se se, nisi paris Solvuntur.

(1) Hine *usuras pretii*, non autem *usuras rei venditæ* appellavit Ulpianus L. 15. D. *De act. emt.* §. 20.

paris quantitatis restitutionem exigere, quæ una si exigatur, mutuum gratuitum est. At si præter ejus quantitatis restitutionem aliquid quæratur, id quidem non ad mutui naturam, ac notionem, sed ad fœnus pertinet: ita ut non simplex mutuum, sed & mutuum, & fœnus simul contrahatur. Quatenus enim tantundem restituendum convenitur, mutuum est: quatenus vero aliquid prætérea exigitur, fœnus, & usura mutuo additur, quæ addendo aliquid supra mutuum, mutuum non destruit, cum non impediat, quin par pari mutuo reddendum sit, quod primævæ, & propriæ mutui significationis a Salmasio censetur. In hanc distinctam mutui, & fœnoris notionem, objectus Plauti locus, ne contradicat, huic ferè sententiæ æquivalet: *Si merum mutuum, quo par tantum accepto referendum sit, invenire non potero, sumam mutuum cum fœnore*. Quæ sententia necessariam mutui rationem, non in gratuito, sed in æqualis quantitatis restitutione ita collocat, ut non impediatur fœnore, sed potius præsumatur: unde laudatus Nonnius eodem in loco, in quo mutuum distinguit a fœnore, fœnus definit *quasi partus mutui sumti*: adeo vel is mutuum sine fœnore posse reperiri censuit; fœnus autem, seu usuram sine mutuo non posse. Ceterum si quis ex objectis locis contenderet, se mutuo non dare, cum gratuito non dat; fœnus tamen, & usuram ex his ipsis testimoniis declinare non posset: adeo hæc negati mutui excusatio ad propositum nihil confert. Sed adversus evidentissimum errorem nimis fortasse multa.

§. IV.

*Alius error circa mutui naturam rejectus.*

13. INter errores circa naturam mutui, alius, etsi paucorum, omittendus non est, qui fucum pusillis facere, maximumque dicendis circa usuram præjudicium afferre posset. Auctor tractatus *De la pratique des Billets* vindicaturus ab usura lucrum, quod ex rebus consumtibilibus in lucrum, & negotiationis usum traditis percipitur, docet quidem usuram nunquam esse sine mutuo; at mutuum non esse affirmat, nisi res cuipiam detur, uti ab ipso physice consumenda: unde si cui vinum tradatur ab ipso bibendum, mutuum esse ait; si vero idem vinum illi dederis, qui ipsum vendere, & lucrari inde velit, negat hoc esse mutuum, sed contractum commercii appellat. Simile commentum arripuit etiam Auctor operis inscripti: *Discussio responsionis ad difficultates quasdam propositas in materia de usuris*, qui propterea pag. 3. scribit: *Duplex est usus rei mutuo tradita, unus consumtionis, qua absumitur, nec quicquam fructus parit, ut si vinum, frumentum, pecunia mutuo dentur ad vivendum: alter, incrementi, ut si hac tradantur ad tempus, ut vendi possint, & lucrum parere*. Quibus connivens Auctor operis Gallica lingua editi cum titulo: *Suite de la defense des contracts des rentes de deux costez* pag. 29. & 26., duplicem item rerum consumtibilium usum distinguens, eum *incrementi* ita definit: *Un usage, qui laisse subsister l' argent en sa valeur*, ex quo scilicet *pecunia in suo valore consistit*, uti quum pecunia merces negotiandi caussa emuntur, in quibus, inquit, mercibus pecuniæ æquivalentibus ipsa subsistit pecunia, unde non omnino, nec absolute consumta dici potest. Hinc porro Auctor discussionis, ab illo contractu, quo res non in consumtionem, sed in negotiationem traduntur, mutui proprie dicti naturam ablegat, inquiens: *Mutuum proprie est traditio rei ad usum consumtionis, ac propterea sterile est & mutuanti, & mutuatario. Contra si res detur ad usum incrementi, est contractus quidam com-*

*mercii, ex quo lucrum captare nefas non est.*

14. De lucro hic non agimus, sed de solo mutuo: cujus naturam quicunque ex dictis intellexerit, novam, & inanem hanc distinctionem mirabitur. Sive enim ad meræ consumtionis, sive ad incrementi usum detur pecunia, semper ad consumtionis usum datur; unde qui lucraturus, merces ex pecunia mutuo tradita emit, pecuniam ipsam distrahendo consumit. Quod autem valor ejus in re, quæ per pecuniam emitur, subsistat, vel non; hoc ad naturam mutui nihil pertinet; secus quando pecunia ad ipsum victum a paupere quæritur, ut ex ea panis ematur, in quo valor pecuniæ perseverat, mutuum non fieret, nisi postquam panis consumtus est; contra verò si quo casu perirent merces, quæ contractu commercii, ut ab adversariis dicitur, emtæ fuerunt ad lucrum, non subsistente amplius valore pecuniæ, commercii contractus hoc casu desineret, & in mutuum evaderet: quæ absurdissima quisque intelligit. Mutuum scilicet ex eo dicitur, quod res consumtibilis in consumtionis usum ita detur, ut eadem specie mutuo reddenda sit; quæ si concurrant, mutuum habetur, nec quicquam refert, utrum res in æquivalenti perseveret, an consumatur prorsus, immo etiam an non consumatur, dum in consumtionis usum data fuerit, cum obligatione restituendi: unde si quis acceptam mutuo pecuniam, quam volebat insumere, mutata postea voluntate, non consumserit, non minus mutuum contraxisse dicetur. Toti certe antiquitati, cum profanæ, tum sacræ, hæc distinctio repugnat. Mutuum enim omnes appellarunt, quoties quid ad consumtionem traditur, ut tantundem deinceps restituatur, quidquid fit, utrum in aliquid æquivalens commutetur, an non; unde & de pecunia in lucrum, atque negotiationem tradita æque mutuum dixerunt, ac de ea, quæ sine lucro in consumtionis usum tradita fuit. Lucrum sane ex utroque quæsitum (id quod e re nostra maxime est) usuram habuere, uti de usura agentes videbimus. Plura non expedit addere.

## CAP. III.

*De dominii translatione in mutuo.*

1. DE mutui proprietatibus dicturis, illa præcipua, ceterarumque radix imprimis statuenda est, quæ translationem dominii, ac veram alienationem mutuo tribuit. Ex hoc enim principio maxime pendent, quæ & ad refellendum errorem circa usuram gravissimum, & ad naturale jus asserendum lib. V. dicturi sumus. Transferri quidem in mutuo dominium palam insinuat Justinianus lib. 3. Institut. tit. 15., cum ita res mutuas tradi ait, *ut accipientium fiant*, hoc est, ut in eorum dominium transeant. Quod apertius docuit Paullus J. C. L. 2. D. *de rebus creditis*, ubi mutui dationem *ab eo apellatam* testatur, *quod de meo tuum fiat*. Hinc etiam Ulpianus L. 31. D. *Locati*, duplicem contractuum speciem distinguens, in quibus *idem*, ut in locato &c. vel *tantundem*, ut in mutuo reddendum est: *Si actum est*, inquit, *ut res reddatur ex priore caussa, rem Domini manere*, ut in locato, *ex posteriore in creditum ire*, ut in mutuo, in quo *rem Domini non manere*, ac proinde dominium translatum palam præsumit. Suadetur Romanis legibus.

2. Enim vero si res mutuo tradita accipientis non fieret, vero ac pleno dominio, ea is non posset pro libito uti, nec eam consumere, nec dominium ejus in alium traducere, & alienare: *Nemo enim plus juris ad alium transferre potest, quam ipse habeat*, L. 54. D. *de Reg. Juris*. Ratione

*Juris*. Cum autem hæc mutuatarius facere possit, & suo quidem nomine, ac jure, non ex mutuantis mandato (neque enim mutuatarius, cum de re mutuo tradita dispónit, mutuantis ministrum se gerit; unde si illam ex. gr. alteri mutuam det, accipiens uni ipsi obligatur) palam fit, rem mutuo traditam in plenum ejus dominium transisse. Id ex vi ipsius mutui fluit, nec non ex natura earum rerum, quæ in mutuum cadunt. Cum enim res mutuo traditæ consumtibiles sint; vi autem mutui non ad pompam, ut in locato, sed ad consumtionis usum cum pleno jure tradantur; hoc jus consumendi usu tradi non potest, nisi jus alienandi, ac destruendi item detur, quod proprietatis, ac dominii jus est. *Jus utendi separatum a proprietate, seu dominio in rebus, quæ usu consumuntur, nequit constitui*. Nihil hac regula certius, quæ inserta est in Extravaganti *Ad conditorem, de verborum significatione*. Neque obstat, quod de Religiosis traditur, eis usum rerum, etiam consumtibilium, sine dominio competere: id enim in eis idcirco evenit, quod *simplex usus facti*, non autem *juris*, paupertatis voto impediente, eisdem concessus est, ut Bullæ Pontificum explicant. Ita Nicolaus III. in Decretali *Exiit, de verb. signific.* in sexto c. 3., Fratribus Minoribus tribuit *usum facti simplicem, absque omni jure utendi .... Qui usus, non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum, in utendo præbet utentibus nihil juris*. Usus autem meri *facti* simplex facultas est utendi rebus necessariis, sine ullo prorsus jure, quod paupertatis voto adversatur. Licet autem hoc quoque usu res consumantur, & dominium earum pereat; id tamen ab iisdem Religiosis nullo ipsorum jure fit, & eatenus hic meri facti usus omni utendi jure, ac dominio caret. At ubi usus earundem rerum cum jure utendi conceditur, tum usus juris, qui idem est ac jus consumendi, vel alienandi, a proprietate, & dominio separari non potest, ut in recitata Extravagantis regula traditur. Hic ergo usus juris cum tribuatur in mutuo, proprietatem, & dominium in mutuo transferri evidentissimum est.

3. Id quidem illi pariter fatentur hæretici usurarum patroni, qui ut usuræ patrocinium præstent, alienationem in mutuo nequaquam fieri contendunt. Molinæus in tractatu de usuris num. 440. sortem in mutuo redditam *alienatam quidem esse ait, quoad corpora numerata, seu ad eorum proprietatem*. Salmasius in Præfatione operis *De modo usurarum: Ex jure constat dominium transire rei mutuo datæ ad mutuatarium ..... quia non potest aliter usus concedi rerum, quæ usu consumuntur, aut deteriores fiunt, quam si earum dominium transferatur*: & similiter C. 14. pag. 628. *Dominium rei mutuo datæ ad accipientem transit, quod quidem ideo fit in rebus ponderis, numeri, & mensuræ, quia aliter usus earum concedi non potest, utpote qui in abusu consistat*. Idipsum repetit in *Diatriba de mutuo*, quam sub nomine Alexii a Massalia Lugduni edidit ann. 1640. pag. 82. 232. & 135., nec non in *Confutatione Diatribæ de mutuo* edita an. 1685. pluribus in locis, & in opusculo contra Joannem Othonem Tabor: idque adeo per se notum, ac certum habuit, ut Molinæo succensuerit, quod dominii translationem mutui essentialem in ipsa definitione ratus, rem ex reliquis mutui essentialibus in definitione expressis satis patentem, & omnino superfluam expresserit: *Nec opus est addi, ut Molinæus censuit, ut pecunia, vel aliud, quod mutuo datur, fiat accipientis. Quod enim utendum ex his rebus datur, cum aliter usus earum non procedat, nisi accipientis fiant, ideo adjicere superfluum*. Sic ille de Usuris cap. 5. pag.

Ipsi adversarii fatentur.

pag. 94. Alii similiter Salmasii assectæ, inter quos recensendus Gerardus Noodt. lib. 1. De fœnore, & usuris cap. 8., eandem dominii translationem, invictis rationibus ducti, ingenuè fateri debuerunt.

## §. II.

*Num in mutuo fiat alienatio. Salmasii sententia alienationem negans, translationem dominii confirmat.*

4. Alienationem porro non minus, quam translationem dominii fieri in mutuo, & alienationem quidem veram, atque perpetuam ejus corporis, quod in consumtionem mutuatario traditur, ea tamen conditione, atque onere, ut tantundem post certum tempus reddatur, negari non potest. Hoc quidem in capite magnam controversiam excitavit Claudius Salmasius, qui alienationem in mutuo nequaquam fieri pluribus libellis propugnavit; ut in Præfatione monuimus. Gravia etiam videri possunt tanti viri argumenta, vi quorum non pauci ex iis ipsis, qui antiquo sensu ei sententiæ primo adversabantur, rationibus ejusdem diligentius expensis, ad assentiendum attracti fuerunt, ut inter ceteros celebri Talæo accidisse in Salmasii vita traditur. Rationum autem ejus summa hæc est. Primo quod si mutuum alienatio est, inter donationem, & mutuum nihil intercedit; non major enim in dono alienatio foret, quam in mutuo. At cum per mutuum nummi recipiendi aliquando sint, qui dono traditi non recipientur unquam; sequitur in donatione alienationem fieri, in mutuo nullam. Dein Romanas leges appellat, in quibus nullus est locus, ubi inter modos acquirendi dominii mutuum recenseatur. Si autem mutuum alienatio est, debet etiam esse acquisitio; quod enim unus alienat, alteri acquiritur. Tum plures etiam vulgares formulas ingerit, in quibus in mutuo *æs alienum* dicitur, quod in mutuatarii manus transit, *suum* autem creditoris appellatur: quę alienationi repugnant. Hic autem multos multorum textus agglomerat & Latinos, & Græcos, in quibus præterea *commodari, vel locari* pecunia mutua dicitur: quæ in res alienatas nequaquam cadunt.

Vita præmissa Epist. Salmas. pag. LVIII. edit. Lugdun. Batav. 1656.

5. His tamen, & aliis id genus argumentis, quæ aliquot in libellis fusius proponuntur, nihil contra nos posse concludi, non ex iis ostendam, qui novam hanc Salmasii sententiam impugnarunt, sed ex ipso Salmasio, & ejus asseclis, quos veram, & perpetuam rei mutuo datæ alienationem apertissime confitentes habeo. Cum enim rei, quæ mutui contractu *in consumtionem* traditur, dominium translatum fateri debuerunt, ut ex testimoniis num. 3. recitatis liquet; tum vero dominium in perpetuum etiam transferri in mutuo, inficiari non potuerunt. Quis enim id nisi stultus inficietur? Hoc probe intelligens Salmasius, corpus rei mutuo traditæ a quantitate distinguendum censuit, & solius quantitatis, quæ reddenda est, alienationem non fieri defendens, rei mutuo traditæ corpus alienari ultro concessit. Ita porro motam de alienatione controversiam ad punctum adduxit, quod rem præsentem nihil lædit, immo potius confirmat. Contendit nimirum mutui contractum haud statuendum in mera traditione rei, seu corporis consumtibilis, quod in mutuatarii dominium perpetua alienatione transfertur, sed præsertim in obligatione, qua mutuatarius pro corpore accepto *tantundem* reddere debet; unde mutuum definit: *Est obligatio re contracta ad idem in genere reddendum*. Qua in sententia res mutuo tradita, caussa est obligationis mutui propriæ, non ipsa obligatio; in obligatione autem

Confut. disput. diatribæ de mutuo p. 7. ad thes. 3.

autem omnis contractus ponitur. Itaque cum alienatio eorum fit, quæ a nobis abdicamus, non vero eorum, quæ recipere intendimus; illud *tantundem*, quod vi obligationis in contractu mutui reddere mutuatarius debet, alienatum dici non posse ait, licet res corpore tradita, ut accipientis fiat, nec in se numero sit restituenda, alienata vere sit, ac dici debeat. Audiantur ipsa Salmasii verba in confutatione diatribæ de mutuo disput. 2. ad Thesim octavam pag. 115. *Res mutuo data, idest corpora ipsa nummorum, alienantur. Quid tum? An hac datio rei in mutuo, qua alienatio est, mutui contractum perficit, & consummat? immo incohat tantum. Hinc initium contractus: hac origo obligationis, & caussa efficiens. Nisi alienaretur illa pecunia, qua datur a creditore debitori, non constaret obligatio mutui, nec contrahi posset. Non tamen ex ipso corpore rei alienata nascitur obligatio. Nulla alienatio potest obligationem parere. Quod perit apud aliquem, & usu consumitur, cum datum ad hoc sit, non repetitur. Sed duo sunt, qua in mutuo dantur, pecunia, & numerus, sive pecunia numerata; aurum, & pondus, sive aurum ponderatum: fruges, & mensura, sive fruges mensurata. Pecunia igitur cum datur numerata, ipsius corpus pecunia alienatur: numerus, idest quantitatis, non alienatur, sed Domini manet. Nummi ipsi apud eum, qui accepit, idest nummorum corpora pereunt, nunquam reditura ad illum, qui dedit. Decem in dominio dantis remanent, nec transeunt in accipientem, quia totidem debet reddere, & ad eandem quantitatem obligatur, non ad illos ipsos nummos restituendos, quos utendos accepit, & abusus est.* Vides ergo ipsum adversarium in neganda alienatione, dominii translationem, & alienationem corporis mutuo traditi fateri.

§. III.

*Quid sentiendum sit de sententia alienationem negante. Magis magisque confirmatur translatio dominii, & vera alienatio corporum in mutuo. De distinctione inter corpora, & quantitatem, cui Salmasius innititur.*

6. Sed ut in hanc ipsam sententiam, quæ alienationem mutui negat, nonnihil advertamus, quod & hactenus dictis, & postea dicendis perutile futurum erit, de mutui definitione, qua mutuum, uti contractus, in una mutuatarii obligatione ponitur tantundem reddendi, quantum acceptum fuit, haud observabo, obligationem, quæ ex contractu nascitur, minus recte poni pro ipso contractu, qui consensu partium definiri solet: ac propterea obligationem, quæ quandoque pro contractu ipso accipi potest, non unam, sed duplicem esse in mutuo, uti duplex in omni contractu stricte accepto reperitur, quod capite primo in fine explicatum invenies. Neque immorabor circa distinctionem illam corporis, quod mutuum traditur, & quantitatis, quæ reddenda est, ut quæ alienatio in corpore conceditur, in quantitate negetur. Sufficit enim (quod e re præsenti est) ipsum Salmasium, sive auctorem, sive præcipuum patronum ejus sententiæ, quæ alienationem a mutuo ablegare conatur, corporis mutuo traditi alienationem confitentem audiisse, & alienationem sane perfectissimam; unde num. 12. pag. 141. memoratæ confutationis ait: *Respectu corporum, qua mutuo dantur, quaque accipientis fiunt, mutui contractus alienatio censetur. Non quadam est, nec minor, sed maxima, & totalis, ut ita dicam, formalisque alienatio. Nam species illa ita descendit a dominio dantis, ut nunquam ad eum redeat, sed usu apud acci-*

*accipientem consummatur, haud secus ac tradita ipsi esset ex justa quacunque caussa, & a Domino alienata.* Quid apertius scribi potuit? Legatur praeterea, si placet, praefatio Disquisitionis de mutuo, & pag. 151. 153. & 407. Nec tamen praetermittenda quae scribit ad thesim 12. in confutatione disputationis tertiae pag. 272., ubi in alienationem rei traditae mutuo omnia concurrere ostendit, quae alienationi rerum dono traditarum conveniunt: *Non potest alienatio videri, nisi propter eam speciem, quae mutuo datur, & fit accipientis, & de mea tua. In hanc vero speciem ea omnia fere concurrunt, quae dominus professor de donatione dixit. Fit accipientis; eo animo datur, ut nunquam revertatur ad eum qui dedit; & eo animo datur a Domino, ut nec ullo casu ea ipsa species ad se redire queat. Consumitur, dissipatur, perditur, alienatur a debitore, quocunque modo vult.*

Quatenus mutui alienatio ab alienatione donationis discrepet.

7. Neque propterea mutuum donatio est: istum enim inter utraque discrimen, non in traditi quidem corporis alienatione, quae in utrisque est aequalis, sed in eo situm est, quod in rebus per donationem alienatis tantundem reddere donatarius non obligatur, ut in rebus mutuo traditis obligatur mutuatarius; non quod rerum ejusmodi alienatio temporalis sit ( aeque enim perpetuam esse vidimus, ac in rebus donatis, quoad ipsa rerum traditarum corpora ) sed quod alienatio id genus eo animo, & obligatione facta est, ut post praestitutum mutuo tempus tantundem reddendum sit, ac in mutuantis proprietatem afferendum. Qua in sententia late verum est, quod Salmasius in praefatione libri *de modo usurarum* scriptum reliquit: *Non fit de meo tuum, quoad proprietatis alienationem perpetuam, sed temporariam dumtaxat* ( proprius tamen diceretur *quoad proprietatis alienationem simplicem, & absolutam, sed onerosam, & conditionatam dumtaxat* ) & eatenus quoque mutuum a donatione distinguitur, in qua perpetua, seu potius absoluta, & simplex alienatio, sine ullo restituendi unquam onere contrahitur. Quin cum ea *temporaria*, uti a Salmasio vocatur, vere autem perpetua, sed conditionata, & onerosa, alienatio non sit absoluta, & simplex, nec ejus generis, quae tantidem recipiendi voluntatem excludat; hac in alienationis significatione verum est non alienari absolute nummos in mutuo, qui conditionate, & cum onere restitutionis alienantur. In hanc sententiam intelligi commode potest, quod traditur ab Ulpiano L. 55. D. *de solutionibus*: *Non alienantur nummi, qui sic dantur, ut recipiantur*: Si modo haec verba non de mutuo accipienda sint, sed potius ( ut aliis videtur ) de iis contractibus, quibus nummi ita dantur sine ulla translatione dominii, ex. gr. ad pompam, aut alium similem usum, ut iidem corpore restituendi sint. Certe autem in mutuo, si de absoluta alienatione ea verba accipere velis, haud intelligi possunt de corpore pecuniae, quod omnino absolute, & in perpetuum alienatum ex ipso Salmasio accepimus: unde eadem de sola quantitate, quae reddenda mutuo est, intelligenda monuit in *Disquisitione de mutuo* pag. 160. Quod enim ita datur, ut recipiatur, sola quantitas nummorum est, non autem corpora. De hac item quantitate verum est *alienum* esse, quod mutuatarius debet, huieque conveniunt reliqua, quae alienationi negandae conferunt: ut nihil tamen prejudicii ereetur verae alienationi corporum, quam & adversarii debent fateri.

8. In hac igitur controversia, quae multis opusculis, atque disputationibus hinc, atque hinc agitatur, tota concertatio, si recte perpendamus,

mus, non rei, quæ nos offendat, sed verborum potius est. Cum enim duo distingui soleant in mutuo, corpus datum, & quantitas, quæ reddenda est; qui alienationem defendunt, de corpore loquuntur, quod consumtioni datum, nunquam quidem recipiendum est, & hoc corpus alienari, ipse Salmasius, aliique omnes Salmasii affeclæ, concedunt: qui autem cum Salmasio alienationem negant, de quantitate, ad quam reddendam debitor obligatur, intelligunt, & hanc alienari nemo dixit. Re itaque cum omnes conveniant, in eo pugna est, num ex ipso potius corpore, an ex reddenda quantitate mutuum definiendum sit, ut de alienatione in mutuo definiatur: aliique alterum præferunt. Quum vero & datio corporis mutuo necessaria sit, & reddendæ quantitatis imponatur obligatio; in rei ipsius concordia tantam verborum, aut modi pugnam gerere modicum refert. Certe in rem nostram satis est, si corpus ipsum mutuo datum alienari dicatur, etiamsi quantitatem non alienari sentiamus: undecunque autem mutuum definire placeat, ex corpore, an ex quantitate, an ex utroque, cum nostrum nihil intersit, in hoc non magnopere laborandum est.

9. Illud solum multum referre videtur pro iis, quæ lib. V. dicturi sumus, videre, cujusmodi sit ejus quantitatis, quæ in mutuo non alienatur, dominium, quod penes mutuantem superesse Salmasius, ejusque socii contendunt. Si de improprio quodam dominio id accipiatur, defendi potest; si autem de reali, ac proprio, neutiquam potest. Quantitas enim, ad quam restituendam mutuatarii obligatio contrahitur, nihil reale est, in quod creditor reale dominium proprietatis retinere queat (quidquid enim reale mutuo datum fuit, ipso corpore alienatum ipsimet fatentur: quod autem reale per debitorem restituetur, in creditoris dominio non erit, nisi postquam redditum fuerit) sed mera est quantitas generica, & ut ita dicam, idealis, in quam recipiendam creditor jus quidem, & actionem, non autem verum, & reale proprietatis dominium habet. Rerum dominia proprie in ipsis præsentibus rerum corporibus, non in quantitatibus corporum abstractis, atque recipiendis, vel obligatis exeruntur. Quod si quantitas a corpore quanto realiter non distinguitur; re ipsa traducto corporum dominio in debitorem, in ipsum pariter realis quantitatis dominium traductum fuit: in eo autem, qui pecuniam a debitore suo tempore possidendam nunc actu possidet, reale quantitatis dominium esse convincitur.

10. Dominium tantummodo improprie dictum in realem quantitatem stato tempore restituendam creditor habere dici potest, quatenus ad eam recipiendam jus, & actio ipsi est: quemadmodum fictione quadam juris, & vulgari etiam locutione, *nostra* appellantur, quæ alii nobis debent, non tam mutui caussa, sed aliis quoque actionibus; etiamsi nihil unquam dederimus nostrum: & similiter *alienum æs* vocari potest, ac solet, quidquid debitor cuipiam debet, quocumque nomine debeat; unde trita illa duo juris effata. L. 213. D. *de verb. signif. Æs alienum est, quod nos aliis debemus: æs suum est, quod nobis alii debent*. Fictione autem juris id fieri patet ex L. 143. ejusdem tituli: *Nam id apud se quis habere videtur, de quo habet actionem; habetur enim quod peti potest*: & L. 49. *Æque bonis adnumerabitur etiam, si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus: nam hæc omnia in bonis esse videntur. In bonis esse videntur*, inquit, nam revera non sunt in bonis, quæ petenda, & exigenda sunt: unde Ulpianus in L. 209. D. *De regul. juris: Minus esse*, ait, *actionem habere, quàm rem*; in quam legem ve-

tus interpres: *Qui enim actionem habet, rem habere videtur; veruntamen non habet*. Eandem vero juris fictionem, quæ non nisi improprium dominium adstruit, locum habere pariter in pecunia mutuo reddenda colligere licet ex L. 15. D. *de regul. juris*: *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur*: ubi verbum *videtur* fictionem juris significat: ex quo perbelle Grotius in cap. 6. Luc. v. 35. *Jus illud ad recipiendum idem genere est vice dominii*. Quidquid autem *dominii vicem* gerit, non proprium, sed improprium dominium est, quod ex quadam similitudine dominii nomine appellatur, licet verum dominium non sit. Id aliis quoque rebus paris juris fictione tributum deprehenditur, ut alieno nomine, quod vere, & proprie ipsis non convenit, ob quandam similitudinem compellentur. Sic nomen *usufructus*, quod proprie non cadit nisi in res, quibus uti possumus salva earum substantia, Senatusconsulto dictum fuit etiam de iis, quæ in abusu continentur L. 5. D. *de usufructu* &c. & paullo absimiliter actio quasi Serviana simpliciter *Serviana* appellatur L. 18. D. *de pignoribus*. Neque id ab usu ipso vulgi alienum observat Seneca l. 5. de beneficiis cap. 18. *Quædam*, inquit, *etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt*, & aliquot deinde popularium locutionum exempla subjicit. Nihil ergo mirum si de pecunia mutua quædam dominii formulæ ab antiquis usurpentur, quæ veræ non sunt; & si quis ex his verum dominium velit colligere, impropriis locutionibus convincetur deceptus, & a Romanorum mente, ac jure, cui fere inniti credit, alienissimus erit. Quod enim illi dominium hisce formulis asseruerunt, mera fictione juris usi, improprium dominium est; unde aliis in locis proprie loquentes, dominium verum, & proprium, citra contradictionem, creditoribus denegare, & debitoribus vindicare non dubitarunt. Sic Ulpianus L. 55. D. *de rebus creditis* eos ipsos nummos, quos debitor creditoris mandato cuipiam solverat, creditoris non fuisse affirmavit: *Si tibi debitorem meum jussero dare pecuniam, obligaris mihi, quamvis meos nummos non acceperis*; debitor autem ejusmodi mutuatarius esse potest. Similiter Boetius in Topicis: *Pecunia, quæ est in nominibus creditorum, non est nostra*. E contrario laudatus Ulpianus debitoribus dominium asseruit L. 1. D. de *Liberat. legat.* inquiens: *Omnibus debitoribus ea, quæ debent, recte legantur, licet domini eorum sint*. Donatus autem expresse de mutuo illud Terentii Andriæ 5. 5. 3. *Ego deorum &c. mutuum est*, inquit, *quod habemus ad tempus, nec postmodum nostrum futurum est*; cum scilicet restituetur; ubi fatetur illud esse interim *nostrum*, idest debitoris. His ergo, aliisque, quæ afferri possent, veterum testimoniis ne contradicant, quæ dominium mutui creditoribus videntur adjudicare, hæc de dominio improprio, quod sola juris fictione inductum est, intelligenda sunt. Atqui, inquiunt nonnulli, propria dominii vis in eo sita est, si quis aliquid vendere, legare, ludo exponere, vel alia ratione alienare queat: nemo enim hæc præstare posset, nisi de suo. Hæc porro omnia fieri queunt de ea quantitate pecuniæ, quæ mutuo tradita est. Proprium itaque in ea dominium agnoscitur. Id quam infirmum sit facile intelliges, si animadvertas, hæc eadem cadere in quælibet credita: nam & vendi, & legari, & ludo exponi, & alia quavis ratione alienari queunt. Quis autem idcirco proprium in credita dominium adstruat? Quidam nuperrime institutus heres cujusdam ususfructus ex prædio (quod fideicommisso ligabatur). percipiendi post certum annorum numerum, potuit hunc usumfructum, ante-

tequam suus fieret, vendere, & alienare, ut nullum tamen proprium dominium in eo haberet, nec utile, nec directum. Non directum, quippe quod in fideicommissis ad heredes non pertinet, nec item utile, quippe quod ante præstitutum a testatore tempus ipsius non erat, sed illorum, quibus eo intermedio tempore legatum fuerat. Solum itaque jus consequendi stato tempore antedictum usumfructum, etsi omni dominio interim nudatum, illud fuit, quod vendi, & alienari potuit. Quicunque ex aliquo opere jus habent in mercedem, nullum idcirco proprium dominium in eadem obtinent. Quis nescit quorumdam statutorum jure medicos, & pharmacopolas in mariti infirmitate speciale jus acquirere, ut ex ipsa uxoris dote, si aliud non suppetat, ipsis solvatur? Num proinde dominium aliquod proprietatis acquirunt in dotem, in quam nec maritus, dum viveret, dominium habebat? Omne dominium jus est; non autem contra. Nota est distinctio inter *jus ad rem, & jus in re*. Qui hoc alterum in re aliqua obtinet, verum in ea dominium habet: non vero cui primum tantummodo jus est; nam ex eo quidem res debet aliquando in ejus dominium transire; & interim eo caret, & carebit, quoad illa ipsi tradatur. Similiter ergo ex mutuo jus est ad tantundem recipiendum; at quoad non recipitur, nullum est jus in re, dominium item nullum, sed merum creditum; unde hic contractus a Romanis inter eos censetur, quibus *in creditum itur*; & idcirco qui mutuum dedit, ex domino nummorum fit *creditor*, sicut qui mutuum accepit, licet accipiendo dominium acquirat, *debitor* efficitur. Hæc si rite perpendantur, nulla amplius difficultas, quæ indoctum vulgum movere solet, reliqua erit. Solo igitur improprio quantitatis dominio fictione juris creditoribus, qui mutuum dederunt, tributo, verum actuale pecuniæ, aut aliarum rerum ejusdem generis dominium, in mutuatarios transferri dubitandum non est. Vide (1) plura, si placet, apud Fabrottum in insigni opere inscripto: *Replicatio adversus Claudii Salmasii refutationem. Parisiis 1647.*, ubi translationem dominii, & alienationem in mutuo uberrime statuit. Mihi enim satis, superque est pauca indicasse, cum alias ipsi adversarii id, vel inviti, agnoscere, ac fateri debuerint.

## §. IV.

### *Aliæ proprietates mutui.*

1. Ex his porro, corollarii cujusdam loco, illud colligere licet, quod cum rei mutuo traditæ corpus in mutuatarii gratiam vere alienetur, ut non idem numero, sed aliud ejusdem speciei pro illo reddatur, commutationis quædam species in mutuo intervenit, unius scilicet corporis cum alio, etsi ea non fiat, qua res unius speciei cum aliis alterius commutari communiori acceptione intelliguntur. Id non inficiatur, immo concedit, ac probat Salmasius de Usuris c. 1. pag. 11., & c. 7. pag. 174. Hinc in tract. *de Fœnore trapezitico* lib. 2. pag. 362. edit. Lugd. Batav. 1640. affirmat *mutuum reponendum esse inter contractus commutativos. Vel inde nomen habere ostendimus a mutando*. Idipsum a simili ex quadam lege probatur *in disquisitione de mutuo* pag. 24., & additur: *Pro centum aureis, quos mutuos accepit debitor, centum alios* au-

Species commutationis est mutuum.




(1) Confer etiam Jo. Jacobi Wissenbach vindicias contra Salmasii Diatribam, & Disquisitionem de mutuo. Franekere 1660.

*aureos reddit creditori*; quod commutationem proprie significat, a qua *mutuum* appellatum auctor confirmat. Neque vero hic de appellatione *mutui* volo contendere, num a *mutando* proprie dictum sit mutuum, quo casu mutuum non ante dicendum esset, quam res a creditore recepta sit, & ita mutuum nomen inde acciperet, unde ejus obligatio desinit; de hac, inquam, appellatione nolo contendere: etsi enim mutuum proprie ante omnem restitutionem subsistat; quin tamen in mutuo commutationis species interveniat, negari non potest.

Periculum vi mutui transit in debitorem.

11. Tandem ex translato in mutuatarium dominio rei mutuo traditæ periculum ad eundem pertinet. Quæ proprietas ex dominio proxime fluens (res enim si perit, nisi per accidens de averso periculo caveatur, domino perit, ut omnes norunt) adeo proxime sequitur ex mutuo, ut mutuo inito inferre liceat: *Ergo transit periculum ad eum, qui mutuum rogavit*, quemadmodum scribitur L. 9. D. *de rebus creditis*. Hinc cum in deposito proprie dicto non transferatur dominium, sicut nec in commodato; rei depositæ, vel commodatæ periculum non spectat ad accipientem, sicut ad accipientem spectat in mutuo: quæ alia mutuum inter, & depositum, & commodatum differentia afferri solet; eaque in rebus usu consumtilibus adeo essentialis habita, ut si pecuniæ ex. gr. depositæ usus cum periculo alicui committatur, dominium inde colligatur traductum, & depositum Romanis quoque legibus conversum judicetur in mutuum, uti ostendam lib. V. cap. 5.



LIBER

# LIBER SECUNDUS.

## *De usura, quoad jus divinum in genere.*

### CAP. I.

***Ratio tractandi de divino jure, ac de separandis quæ ad jus divinum, & dogma non pertinent.***



Tsi usura omni & naturali, & divino, & humano, sive canonico, sive civili jure vetita probari possit; cum tamen de dogmate catholico agitur, de solo divino jure, circa quod divina fides, & dogmata Ecclesiæ versantur, cognoscendum est. Humanum enim jus, si mere canonicum sit, non fidei, sed disciplinæ est, quæ a dogmate differt; idemque multo magis censendum de mere civili, quod a divino, vel naturali jure non profluit. Jus autem naturale, cum non omnia præcipit, aut vetat, quæ divino positivo jure potuere vetari, vel præcipi; tum vero ejus cognitio, nisi quatenus fidei, & divini juris principiis suadeatur, ad dogma catholicum nequaquam pertinet: unde accidere potest, ut citra dogmatis, ac fidei periculum negetur naturale jus in nonnullis, quæ divino jure præcepta, vel vetita creduntur, si ea naturali jure vetita esse fides aperte non prodat. Adde quod propria naturalis juris cognitio, ac scientia, non auctoritate, sed ratione comparatur, quæ ad catholicum dogma divini juris adstruendum necessaria non est. In re itaque præsenti unum primo catholicum de usuris dogma monstraturus, non ratione, sed auctoritate sacra, qua omne dogma continetur, utendum mihi esse intelligo: ex qua si prætermisso interim naturali jure, cujus disputationem in libros quintum, ac sextum remittemus, jus divinum circa usuram exploratis documentis patebit; propositum, de quo mihi nunc ex catholico dogmate statuendum sumsi, ex sententia conficiam. Quanquam enim veteris Testamenti mandata, quæ in novo confirmata fuerunt, jure quoque naturali illicita esse satis certum videatur, ut lib. V. ostendam; dum tamen usuram divino saltem jure illicitam credamus, quod ex sacra auctoritate, idest ex Scriptura, ac ex perpetua Ecclesiæ doctrina credendum demonstrabo, sartum tectum erit catholicum dogma, quidquid a ratione de naturali jure judicetur.

2. Hæc autem ab iis attentius animadverti velim, qui dum divinum de usuris jus ex catholico dogmate sibi opponi audiunt, rationes quasdam suo ingenio vehementissimas reponunt. Hæ enim, cum in quæstione de jure naturali recte objicerentur, ineptissimæ plane sunt in illa, quæ unum jus divinum, & dogma catholicum versat, ac si vel divino jure aliquid revelante in jure naturali cedere non debeat omnis humana ratiocinatio, si quæ difficultatem facessat; vel divino etiam jure vetari non potuerit, quod naturali jure illicitum non sit. Quando igitur hoc, & duobus sequentibus in libris de divino jure ex catholico dogmate disputaturi sumus, non autem de naturali; Scripturam, ac traditionem, quas ad idem divinum jus demonstrandum afferemus, expendant, quæso, adversarii, quicunque illi sunt, & ad severiorem etiam censuram omnia, & singula exigentes; videant, num propositum ea evincant, nec

ne,

ne, & num pauca quædam, quæ ex eadem sacra auctoritate opponi solent, apte explicaturi sumus. Hoc autem si ex sententia fiet, jam constabit divinum jus, & catholicum simul dogma constabit. Quidquid porro difficultatum ex ratione occurrat, quibus usura naturali jure non præcepta quidem, nec omnino necessaria, sed ad summum commoda, & licita videri posset; divino manifesto juri, & catholico dogmati cedat. Reserventur hæc, & remittantur in eam controversiam de jure naturali, in quo expendendo singula ad calculos revocabimus lib. V. & VI., ita tamen ut, si minus persuadeant, quæ ibidem responsuri sumus, nihil eo præjudicii afferre divino juri, vel catholico certissimo dogmati possint, uti pluribus statuam cap. I. lib. V. Age modo singula catholici dogmatis capita statuamus.

## CAP. II.

*De perpetua, atque constanti usuræ notione in Scriptura, ac traditione, unde jus divinum circa usuram statuendum est.*

### §. I.

*Ea notio, quæ omne lucrum ex mutuo, sive magnum, sive minimum, usuræ nomine complectitur, quam necessario statuenda, ut non minus hæreticorum error solum lucri excessum damnantium, quam vulgare quorumdam præjudicium revincatur.*

Usuræ notio. 1. Cum res consumtibiles ad consumtionis usum ita traditur, ut post aliquod tempus tantundem reddatur, quod mutuum reale est, ut superiori libro explicavimus; si quid exinde supra rei traditæ æstimationem, vel quantitatem percipiatur, usura dicitur. Hanc porro simplicem usuræ notionem, quatenus a divina prohibitione præscindit, adversus sectarios usurarum patronos ex catholico dogmate statuere, minus necessarium fortassis videbitur, quippe quod illi in eo conveniant, omnem hujusmodi accessionem supra sortem usuram esse, uti omnes quidem & Græci, & Romani eadem notione usuram appellarunt. Solum pro quibusdam ex indocto vulgo id utile creditur, qui usuram in uno lucri excessu constitutam putant. Ad hos quidem de vera usuræ notione ex catholico dogmate docendos, hanc disputationem præcipue dirigo, ut videant, quid damnet catholicum dogma, cum usuram damnat. Si vero ex hac usuræ notione palam fiet, omne vel minimum lucrum ex catholico dogmate usuram esse; id ad ea, quæ de divino jure usuram prohibente adversus ipsos patronos usurarum deinceps statuemus, plurimum conferet. Cum enim divino jure usuram universim reprobari monstrabitur & Scriptura, & Patribus, ac totius Ecclesiæ traditione, ac fide; & ideo quidem reprobari, quia ab ipso Deo, seu divino jure prohibetur; usuræ nomen ea utique notione, ac significatione accipiendum patebit, qua illam ex eodem dogmate, ac traditione perpetuo acceptam hac disputatione ostendam, ita ut omne vel minimum lucrum ex mutuo, divino jure reprobatum, intelligatur. Num enim, cum usuram illi damnarunt, aut divino jure damnatam prodidere, aliam usuræ notionem habere potuerunt, nisi illam, quam omnibus in locis, ubi usuræ nomen explicandum, vel definiendum fuit, unam semper, & eandem constantissime declararunt? Qua de causa hæc notio statuenda.

2. Eninvero observare quisque poterit definitionem usuræ, quam ex Scriptura, ac traditione allaturi sumus, iis fere ex locis esse excer-

cerptam, in quibus usura damnatur: adeo nihil dubii esse potest, quin ea loca, quæ usuram in quavis supra sortem auctione, etiam minima, sitam definiunt, usuram uti illicitam definiant. Ex his porro tam expressis testimoniis, quæ in unam, eandemque usuræ definitionem concurrunt, ut ne unum quod diversam afferat, allegari queat; ceteræ quoque ubi usura sine definitione reprobatur, in eandem notionem accipienda manifeste colligitur. Hinc omnia Scripturæ, Patrum, Conciliorum, Pontificum, ceterorumque scriptorum loca, quæ hoc in tractatu ad jus divinum statuendum, ac explicandum contra usuram afferemus, non de immoderato (nisi peculiari aliqua de causa expresse nominetur) sed de quocunque lucro intelligenda erunt; ita ut, si propositum exequar, quodcunque usurarium lucrum divino jure damnatum ex catholico dogmate manifestissimum futurum sit. Id autem adversus usurarum patronos aperte etiam concludet, qui etsi omne ejusmodi lucrum usuram esse fatentur, solam tamen usuram immodicam, quæ præstitutos limites excedit, nedum divino, sed & naturali jure universim reprobari contendunt.

3. Illud autem ad præcludendam sophisticam quandam objectionem præmonendum est, quod si præcisam illam usuræ definitionem, quæ a Scholasticis ingeritur, *lucrum ex mutuo*, neque in Scriptura, neque in Patribus inveniatur; ea non idcirco contemnenda est, nec a Scriptura, & Patrum mente credi debet aliena. Satis nimirum esse debebit, si rem ipsam ab iisdem eodem sensu explicatam inveniamus. Usura nimirum, quæ non vocis, sed rei peccatum est, non ex voce *mutui* nascitur, sed ex certis rebus eo contractu traditis, qui *mutuum* a Latinis dici solet. Sicut autem Scriptura, & Patres satis explicarunt *mutui* contractum, in quem usura cadit, cum illum versari docuerint circa res usu consumtibiles, quæ ad consumtionis usum traduntur, cum obligatione reddendi tantundem, ut superiori libro explicavimus c. 1. n. 6., ita satis explicarunt *usuram*, cum eam collocarunt in lucro, quod ex eo contractu, seu ex iisdem rebus perinde traditis percipitur: id quod Scholastici brevius dixerunt *lucrum ex mutuo, aut perceptum vi mutui*: res enim variis licet vocibus expressa, eodem recidit. Ubi autem de rebus, non de vocibus agitur, & res quæ definitur, est eadem, inepta prorsus verborum quæstio ingeretur. Cum itaque Scriptura, & Patres de rebus usu consumtibilibus semper loquantur, quoties usuram damnant; & illud lucrum, quod ex iisdem rebus mutuo traditis percipitur, usuram appellent; nunc jam videndum est, num omne id genus lucrum, vel accessionem, usuræ nomine comprehenderint, & condemnarint, an excessivum, & immodicum tantum.

## §. II.

*Ex usura notio ex veteri, & novo Testamento ostenditur.*

4. Usuræ nomen in veteri Testamento de omni, vel minimo augmento, quod ad sortem mutuo traditam accederet, non autem de solo excessu sumptum patet ex illis Levitici c. 25. v. 35. *Ne usuras accipias ab eo, nec amplius quam dedisti*, ubi τὸ *amplius quam dedisti* usuræ naturam optime explicans, quamcunque, sive magnam, sive modicam pecuniæ mutuo datæ accessionem significat. Neque vero quisquam ex vulgata interpretatione scrupulum moveat, quæ hoc loco non verbum verbo reddidit; sed paraphrasim potius exibens, Hebraicam vocem *Tharbith*, quæ proprie *augmen-* *Ex veteri Testamento.*

*mentum*, seu *multiplicationem* innuit, Græcis autem πλεονασμὸς redditur, explicavit verbis *amplius quam dedisti*. Nonne ipsa vox *Tarbith*, sive augmentum, cuivis supra sortem incremento convenit? Nonne omnis vel modica usuræ accessio, quæ supra datum exigitur, πλεονασμὸς est, (τυ δεδομένυ πλέον explicavit S. Joannes Chrysostomus hom. 56., al. 57., in Matthæum n. 6.) & cursu temporis accedens ad sortem, eam auget in dies, atque multiplicat? Eandem itaque sententiam, aliis licet verbis, vulgatus explicavit interpres; quam ea vox vere significat: cumque hanc interpretationem susceperit, ac probarit Ecclesia; eam utique sententiam suscepit, atque probavit, quæ usuræ nomine, omne, non tam magnum, quam modicum sortis augmentum, complectitur. Enimvero usura in Hebræo textu non *Tharbith* solum vocatur, sed etiam *Neschech*, idest morsus, qui de quavis, etiam minima, quantitate, quæ dentibus decerpitur, verissime dicitur. Repugnare quidem aliquantulum videntur hæ voces, quarum altera accessionem, detractionem altera indicat: sed nihil repugnat, immo eòdem redeunt utræque, diverso scilicet creditoris, ac debitoris respectu. *Nam Tharbith*, inquit Salmasius, *usum est, quantum ad creditorem, quia ad sortem ei accedit, & opes ejus amplificat: Neschech vero, quantum attinet ad debitorem, decessio est, non accessio; & ita dicta est ex parte debitoris, quia veluti quodam morsu deterat, & oblimet ejus facultates*. Quod itaque relate ad debitorem *Neschech*, idest *morsus est*, *Tharbith*, idest *accessio* est quoad creditorem. Hinc utræque voces simul junguntur, tum hic in Levitico, tum etiam alibi, propterea quod diverso respectu idem significant. Scio nonnullis placere *Tharbith* proprie accipiendum de usura segetum, *Neschech* autem de usura

De Usur. c. 4. p. 111.

pecuniæ, ut Rabbi Levi Ben Gerzon apud Salmasium notavit. At cum *Neschech* Deut. 23. v. 19. dictum reperiatur de usura cibi, quæ ad segetes pertinet; tum vero *Tharbith* æque dici potuit de usura pecuniæ, quam quidem Chaldæi, & Arabes, ipsique etiam Rabbini Hebraicæ linguæ peritissimi eo appellant nomine, quod ab eadem radice descendit ac *Tharbith*, ut apud eundem Salmasium videre licet. Sed quidquid hac de re opinari libet, utræque sane voces quoad usuræ notionem eòdem pertinent, ut omne augmentum, & morsus omnis, idest omnis supra sortem accessio, sive magna, sive modica, usuræ nomine intelligatur, unde usura sit *amplius quam dedisti accipere*, quemadmodum a vulgato interprete explicatum fuit. Non repugnant ipsi usurarum patroni, inter quos laudatus Salmasius de usuris c. 20. pag. 611. nonnullis succensens, qui solas graves usuras, *Neschech* morsum appellatas, non autem leviores, lenioresque, non æque mordaces, *Tharbith* Hebraice, Græcis autem πλεονασμὸν, Latinis vero *superabundantiam* nuncupatas, Hebræis prohibitas putabant. *Nescio*, inquit, *qua ratione ducti id opinentur, nec video cur nomen Tharbith de minore usura debeat accipi, & Neschech de majori. Immo πλεονασμὸν de graviori fœnore magis sumi dicerem. Nam omnis usura, quæ auget quocunque incremento summam sortis, ea πλεονασμὸν est, nec de levi augmento potius, quam de magno, si absolute ponatur, dici conveniat. Adde quod utrunque pariter vetitum legitur, tam Tharbith, quam Neschech &c.* concluditque post pauca pag. 612. *omnem omnino usuram cujuscumque rei, quæ fœnori datur, adversus fratrem exercere, esse prohibitum*; qui similia adversus cujusdam protestantis sententiam fuse inculcat l. 2. de fœn. trapezit. pag. 358.

De modo fur p. 21. & de Usur. p. 181. 183.

*In novo Testamento.* 5. Neque aliam usuræ notionem in novo quoque Testamento Christum habuisse, ex illis ejusdem Christi verbis liquet: ***Mutuum date, nihil inde sperantes***, in quibus quidquid sit, utrum antiquæ legis præceptum in lege Evangelica confirmetur, nec ne, de quo in sequenti capite agemus; certe vox ***nihil***, ad accessionem rei mutuo traditæ relata (uti sane aliquatenus referendam ostendemus eodem capite sequenti) non solum excessum, sed omne vel minimum incrementum excludit: ita ut in mutuo non recipiantur nisi ***τὰ ἴσα æqualia***, quemadmodum ex lege veteri omnem usuram excludente ipsum vulgum agere solitum idem Christus ibidem monuit.

## §. III.

*Eadem notio ex traditione statuitur.*

6. Quod si usuræ notionem ex traditione quæramus, nihil dubii est, quin eandem omnes Patres, Concilia omnia, omnes Pontifices, veræ traditionis custodes, testes, vel in casibus dubiis judices, semper tenuerint, quæ & in veteri, & in novo Testamento; immo, & apud omnes etiam prophanos, ethnicosque scriptores una semper obtinuit. Solum dubium esse posset, num usuram damnantes (quocunque illam jure damnarint, de quo deinceps erit sermo) in ea lata significatione omne vel minimum augmentum usuræ nomine intellexerint, an solum excessum. Id autem exploratum non alia meliori ratione fieri potest, nisi ex iis locis, in quibus adversus usuram scribentes, usuræ definitionem produxere. Multas vero multorum definitiones, seu explicationes, nactus, omnes in hanc unam conspirare inveni, quæ usuram ab iisdem damnatam pro omni mutui incremento exhibet, nec unam reperire licuit, quæ moderatum incrementum ab immoderato discernens, solum immoderatum usuræ nomine condemnandum subindicet.

7. Tertullianus l. 4. contra Marcionem c. 17. ***Fœnoris redundantiam, quod est usura***, ubi cum ***fœnoris*** nomen pro ***sorte*** ipsa accipit (uti apud plures quidem scriptores frequenter sumtum pluribus veterum testimoniis probat Salmasius de usuris c. 2.) tum vero ***redundantiam*** ex Ezechiele accipiens, omnem sortis accessionem indicavit.

8. Lactantius l. 6. Institut. c. 18. usuram definit: ***plus accipere, quam dederit***, quod cum Levitici testimonio convenit.

9. Sanctus Gregorius Nyssenus in oratione contra usurarios, contractus usurarii formulam his verbis exprimit: ***Reddam cum lucro sortem***.

10. S. Ambrosius de Tobia c. 14., postquam statuisset usuram, idest ***amplius*** non esse exigendum, contra nonnullos, qui varia nomina appellantes, usuræ nomen refugiebant, sic usuram explicat: ***Quodcunque sorti accedit, usura est, quod velis ei nomen imponas, usura est. Quodcunque*** inquiens, & magnum, & minimum complexus est; unde sequenti capite ***omne sortis augmentum*** usuram interdictam agnoscit.

11. S. Hieronymus in c. 18. Ezechielis, usuræ deputans etiam ***munuscula***, quæ modicum lucrum afferunt, palam declarat ***usuram appellari. & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint***. Et paullo post dans ad usuram is definitur, ***qui repetit ab his, quibus tribuit, amplius quam dederat***: ille autem solus ab usura alienus est, ***qui omnis rei aufert superabundantiam, aut plus non recipit, quam dedit***.

12. Auctor Breviarii in psalmos, quod S. Hieronymo tributum fuit, in ps. 14. ***Usura est plus accipere, quam dare***. *Tom. 7. Append. edit. Veronen.*

13. S. Augustinus serm. 3. in ps. 36. num. 6. ***Si fœneraveris homini***, idest

*idest mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus, quam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus, quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plus, quam dedisti, expectes accipere, fœnerator es;* & subdit *fœneratorem eum esse, qui minus vult dare, & plus accipere:* unde & serm. 239. n. 9. *Quid est fœnerare? minus dare, & plus accipere:* ac propterea ad vitandum fœnus, *Tantum accipe*, inquit, *quantum dedisti*. His similia habentur in Appendice serm. 86. n. 3.

14. Simili locutione usuram peculiari mandato clericis interdicturum totius Africæ Concilium Hyppone coactum an. 397. can. 24. usuram expressit, *amplius accipere, quam dedit*: & in Carthaginensi III. an. 397. *amplius accipere, quam cuiquam commodaverit*: quæ item leguntur relata in codicem, ut a Quesnello inscribitur, Ecclesiæ Romanæ, nec non in alias fere omnes antiquas canonum collectiones: indeque nascitur usuræ nomine omne ejusmodi incrementum ita vetitum fuisse, ut ne quis *amplius, sed tantum, quantum dederit, accipiat*, quod commentariis quoque Zonaræ, Aristeni, & Balsamonis in hunc canonem confirmari posset: adeo certa, & constans hæc usuræ notio fuit.

15. S. Joannes Chrysostomus hom. 56. al 57. in Matthæum, usuram explicans, quam πλεονασμόν Græci vocant, in eo illam collocat, quidquid plus quam datum fuit exigitur. Sic enim usurarium alloquitur: *Tu vero plus, quam dedisti exigis* ( τυ διδομένυ πλέον ἀπαιτεῖς ) *& quod non dedisti, uti debitum cogis numerare eum, qui non accepit:* quæ omni vel minimæ super datam sortem accessioni congruunt. Ea vero præsertim verba τυ διδομένυ πλέον, quæ πλεονασμόν declarant, Græcorum Patrum mentem exhibent, cum usuram πλεονασμόν appellarunt; simulque vindicant Latinos quosdam interpretes, cum eam Græcam vocem Latine reddituri, *aliquid supra sortem*, vel *amplius, quam dedisti* nonnunquam transtulere.

16. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 8. *de adoratione, & cultu in spiritu, & veritate*, agens de charitate in fratres, *usuras* a Deo vetitas *superabundantiam & sortis incrementum vocat*. Nec absimiliter Theodoretus in c. 18. Ezechielis ad usuram dare explicat, *id quod amplius est, accipere*.

17. Sequenti seculo Concilium Provinciale Tarraconense an. 519. c. 3. *usuram* vetans, *augmentum* prohibet; seu ut Aurelianense III. ex diversis Galliæ partibus coactum an. 538. loquitur c. 27. *Ne quidquam amplius, quam datur, speretur:* qui duo canones, etsi ad solos clericos dirigantur, uniformem tamen usuræ notionem exhibent. Cassiodorus in ps. 14. usuram interpretatur *exigere, quod te nescias commodasse*.

18. S. Gregorius Papa, qui initio obiit seculi septimi, hom. 9. in Evangelia, *In usura*, inquit, *pecunia etiam non data recipitur; cum enim hoc redditur, quod acceptum fuerat, illud etiam superimpenditur, quod acceptum non est;* quæ sane omne, sive magnum, sive minimum, quod superimpenditur, usuræ accensent. Sub idem tempus Antiochus Monachus Palæstinus e Laura S. Sabæ hom. 12. usuram definit *accessorium, quod præter sortem contingit*.

19. Seculo octavo Beda in eundem psalmum, cum dare ad usuram affirmat, *qui ut plus inde acciperet, accomodavit pecuniam*, neque contentus fuit, ut *non nisi quantum dedit*, exigeret. Similia habet in ps. 36.

20. Clarius in Capitulari Noviomagensi an. 806., in Baluzii Miscellaneis t. 1. p. 454. c. 12. *Usura est, ubi amplius requiritur, quam datur. Verbi gratia si dederis soli-*

doo

*dat decem, & amplius requisieris, vel si dederis modium unum frumenti, & iterum super aliud*, vel (ut alii nunc nominandi exscripserunt) *aliquid exegeris*: quæ usuræ definitio omne lucrum complectens, totidem verbis refertur & a Walterio, sive a Gualtero Aurelianensi in Diœcesana ejusdem seculi Synodo, apud Labbeum tom. 8. pag. 421. c. 10., & ab Ansgisio Capitularium lib. 1. c. 119., & a Reginone l. 1. c. 286., & a Burchardo l. 2. c. 126., & ab Ivone Carnotensi part. 6. c. 200., ac tandem a Gratiano 14. qu. 3. c. 3., qui Burchardum secutus, hunc canonem Agathensi Concilio attribuit. Ex eodem fonte Rodulphus Archiepiscopus Bituricensis c. 3., Miscellaneorum Baluzii lib. 6., usuram a Domino interdictam professus, eandem usuræ definitionem subjicit, usurarium eum appellans, qui præter rem datam mutuo, *super aliquid, quacunque occasione, vel quocunque modo, exegerit*. E contrario vero eum usuram vitare ait, *qui amplius non requirit, nisi quantum præstat*; quæ postrema verba ex Capitularibus pariter excepta sunt, & apud Reginonem leguntur lib. 1. c. 286.

21. Sub finem seculi XI. Sanctus Bruno Carthusianus in ps. 54. *usurarium* designat eum, qui *plus pecuniæ a debitore exigit, quam commodaverit*.

22. Petrus Blesensis XII. seculi scriptor ep. 17. usuram esse ait *minus proximo suo dare, & plus ab eo accipere*. Vener. Gerhohus a P. Bernardo Pez editus in ps. 54. *Usura pecuniæ, qua quisque commodans, vult amplius recipere*. S. Bruno Astensis Signiensium Episcopus in ps. 71. In usura, *non solum id quod datur, sed etiam id quod non datum est, persolvitur*. Matthæus Paris in Histria ad ann. 1235. *Quidquid accrescit sorti usura est, quocunque nomine censeatur*. Et ne plura sequiorum temporum recitem, concludam lege 28. S. Ludovici adversus usuras Christianorum edita an. 1254., quæ anno sequenti lecta, & confirmata fuit in Concilio Biterrensi, ubi post prohibitionem usuræ, *Usuram intelligimus*, inquit, *quidquid est ultra sortem*.

23. Neque tamen omittam Græci Schismatici Auctoris Nicolai Cabasilæ Thessalonicensis Archiepiscopi testimonium, ut ex Græcorum etiam schismaticorum, qui in multis se se Latinis objecerunt, consensu liqueat, eandem a majoribus traditam usuræ notionem ad hæc usque tempora perductam, Latinis, & Græcis communem fuisse. In præclara ergo adversus usurarios oratione a Pontano Latine reddita, & tom. 26. Bibl. P. P. inserta, usuram, quam legibus interdictam fuse probat, in quovis supra sortem auctuario collocat. *Hoc enim est*, inquit, *contra leges venire, pecuniam cum auctuario recipere*. Ante hunc Balsamon, item Schismaticus, sic usuram definierat in notatione ad canonicam epistolam Sancti Gregorii Nysseni ad Letojum: *Fœnus ergo est, quod Græce plenoasmus dicitur, ut quando quis dat vinum, vel frumentum, vel oleum, vel aliquid aliud, ut in eodem genere plus, quam dederit, accipiat*.

## §. IV.

*De Theologis, & Canonistis. Posteriorum Pontificum Romanorum decreta. Horum vindiciæ. Concluditur de catholico dogmate circa notionem usuræ, quæ non in solo excessu, sed in omni accessione supra sortem collocanda est.*

24. Ad hæc usque tempora, quibus Theologi, & Canonistæ cœperunt florescere, constantem usuræ notionem, ac explicationem perduxisse sufficiat: neque enim de Theologis, vel Canonistis ambigitur,

tur, quin hi, cum usuram vetitam pronunciant, omnem vel minimam sortis accessionem usuræ nomine acceperint. De solis antiquis cum dubitari possit, num usuram prohibentes, vel prohibitam affirmantes, eadem notione usi sint, istorum tantum definitiones præcipuis cujusque seculi monumentis proponendæ fuerunt, ut ex his tam apertis, atque cohærentibus, de aliorum locorum, ubi nihil definiunt, intellectu dubitare non liceat, eosque, qui dubitationem velint ingerere, contra patentissimam veritatem conari, fucum facere manifestissimum sit. Hinc etiam Theologos, & Canonistas in communi usuræ vetitæ notione, quam constanter exhibent, nihil protulisse novi, sed quod a Patribus, & Conciliis antiquis acceperunt fideliter enunciasse liquet: & cum Romani posteriores Pontifices cum omnibus Episcopis, atque Conciliis usuræ damnarunt, seu potius jure (quodcunque illud sit,) damnatum definierunt (1) *aliquid ultra sortem accipere*, hac in illicitæ notione, atque definitione usuræ, non novum Scholasticorum, atque Canonistarum præjudicium, sed veterum Patrum, ac antiquissimam traditionem sequuti cognoscuntur.

25. Videant igitur quid moliantur, & audeant, qui solum immodicum lucrum damnantes, moderatum ita a vitio purgare non verentur, ut eos, qui secus tradunt, Scholasticis sequiorum temporum quasi præjudiciis impeditos, erroris accusent, si non ipsi potius, vulgari præjudicio occupati, insigni impediuntur antiquæ traditionis ignorantia; adversus apertam & perpetuam Ecclesiæ traditionem nituntur; cumque hæc in eandem usuræ notionem cum sacro quoque Testamento conspiret, adversus etiam utriusque Testamenti auctoritatem aperte pugnant. Hujusmodi vero nisum si mens catholica refugit, hoc ergo inter cetera Ecclesiæ veluti dogmata recenseatur, *usura* nomine, quæ sive in Scriptura, sive in traditione prohibetur, (quocunque tandem jure prohibeatur,) nec *modicum* solum, sed *quodlibet supra sortem lucrum* ex mutuo esse accipiendum. Nunc ad jus ipsum, quo id lucrum universim interdicitur, cognoscendum accedamus.

CAP.

---

(1) Vide inter cetera Gregorii IX. decretalem *Naviganti*, *De usuris*, proposition. 42. damnatam ab Alexandro VII., necnon 41. & 42. proscriptas ab Innocentio XI., ubi non *nimium*, sed *aliquid ultra sortem* usuræ damnatur. In propositione autem 42. cum legatur *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum*, eadem usuræ notio *aliquid ultra sortem* exhibentis & propositionis auctoribus, & Pontifici fuit; & solum illi in eo, quodcunque sortem excederet, usuram collocabant, si exigeretur ex justitia, non autem si ex mera gratitudine, aut benevolentia exigeretur, is vero hanc propositionem damnans, utrolibet modo *aliquid* exigatur supra sortem, usuram esse definivit; adeo hæc una, & constans usuræ notio est. Urbanus II. in can. *Consuluit*, *De usuris*, *plus sorte* pro *aliquid supra sortem* scripsit, & similiter alii: & inter Concilia legantur Auxitanum an. 1308. c. 3., Trevirense an. 1310. c. 31., & aliud ejusdem anni c. 140. &c.

## CAP. III.

### *De usura prohibitione ex veteri Testamento.*

### §. I.

### *Proponuntur testimonia ex Pentateuco.*

1. Constituturi hoc libro divinum jus usuram prohibens adversus eos adversarios, qui idem jus ex veteri Testamento concedentes, ejus confirmationem tantum in novo Testamento inficiantur, de veteris Testamenti jure, quod ab iisdem in controversiam non adducitur, dicendum non esset. Omnem nimirum vel minimam usuram Hebræis ex veteri lege, saltem cum Hebræis fratribus, esse interdictam, apud eosdem adversarios indubium est; quippe qui solum contendunt illud unum, fuisse ex legalibus præceptis, quæ ante Evangelium omnes Hebræos obligabant, per ipsum autem Evangelium sublata fuerunt, ut ex eorum testimoniis in Præfatione indicatis liquet. Nimis aperta sunt illa Moysis legislatoris verba, Exodi 22. v. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eos, quasi exactor, nec usuris opprimes*: & illa Levitici 25. v. 35. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam, & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quam dedisti... Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges*; ac præsertim illa ex Deuteronomio c. 23. v. 20. *Non fœnerabis pecuniam fratri tuo ad usuram, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno.* In duobus primis testimoniis, ubi *pauperis*, & *attenuati fratris* expressa fit mentio, divites saltem fratres non excludi, qui tertio Deuteronomii testimonio comprehenduntur, probabitur lib. IV. Nunc enim eos habemus adversarios, qui de omni fratre Hebræo ab alienigenis distincto hanc legem accipiendam fatentur.

2. Potius de distinctione inter fratrem, & alienum, in Deuteronomio expressam, nonnihil dicendum. Hinc enim Sectarii usurarum patroni vocem *alieno* arripiunt, & obtrudunt, ut divinum jus usuram inter solos Hebræos vetans, cum *alienis* autem permittens, seu potius, ut ipsi volunt, concedens, non naturale, sed mere positivum, & legale jus fuisse suadeant, quod in novo Testamento confirmatum nequit præsumi, nisi probetur. Probabimus id sane, & evidenter, quodcunque sit divinum illud jus. Interim vero non vindicaturi quidem jus naturale circa usuram, de quo agemus lib. V. sed explicaturi ipsum divinum jus in veteri Testamento Hebræis præstitutum (quod utile aliquando futurum est, etsi necessarium in præsentiarum non sit) quid *alieni* nomine in Deuteronomio innuatur, declarare debemus.

### §. II.

### *Quid vox* alieni *in Deuteronomio significet. Si omnes alienos comprehendit, non approbativa illa est, sed permissiva.*

3. Si vox *alieni* late sumenda credatur, ut omnes non Hebræos toto orbe diffusos generatim comprehendat, cum a Moyse proveniat, qui non tam conscientiæ, quam civilis reipublicæ rector, & legislator fuit, haud necessario accipienda est uti usuram cum alienis jure naturali licitam approbans, quin pro permissione, ac tolerantia simplici accipi possit. Immo ne approbationem veram adstruamus, illud videtur convincere, quod propositio illa Moysis sit generalis, quæ nihil distinguens, omnes alienos etiam pauperes, & egestate oppressos, complectitur, ex quibus tamen usu-

Vide supra in præfat. n. 19.

usuram petere ipso naturali jure omnibus vetitum adversarii quoque profitentur. Alia id genus a Moyse, ut legislatore, ad majus malum vitandum permissa, non autem probata ipse Salmasius agnoscere, & fateri coactus fuit. Quidni inter hæc Deuteronomii locum recenseamus ex ea parte, quæ de usura cum *alienis* contrahenda agens, si *alienos* universim comprehendat, eos pariter egentes comprehendit, a quibus usuram exigere, vel etiam accipere, ipsis adversariis fatentibus, jus naturale interdicit?

Lib. 1. de fœnore trapezit. p. 109.

4. Neque vero ad approbationem adstruendam afferatur illud Deut. 15. v. 6. ubi in præmium pietatis Deus Israelitico populo spondet: *Fœnerabis gentibus multis, & ipse a nullo accipies mutuum;* sicut e contrario in iniquitatum pœnam minatur c. 28. n. 44. *Ipse fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei.* Mirum maxime est viros, ceteroqui doctos, pro usuræ defensione arripere ex Latina interpretatione vocem *fœnerare*, quæ tamen simplex mutuum significat, ipso Salmasio fusius probante de usuris c. 1. pag. 23., & non considerare potius Hebraicam vocem עבט, quæ *mutuum dare*, vel *dare mutuum* sub pignore ex ipsis Hebraicis Lexicis tantum significat. Vide inter cetera Lexicon Buxtorfii. Hinc non tam interpretationes antiquæ Græca, Arabica, Chaldaica, Syriaca, Samaritana, Persica, quam recentiores etiam ab Hæreticis lucubratæ, voces usurpant, quæ meram mutuationem exprimunt, ut videre licet in versione Joannis Clerici, & aliis quampluribus. Immo Matthæus Polus in synopsi criticorum ex variis hanc memorato Deuteronomii versiculo 6. adnotationem apponit: *Judæi hinc colligunt usuram sibi cum gentibus permissam. Sed vox significat tantum mutuare, ut patet ex antithesi:* A nullo accipies mutuum. *Usura licet iis cum gentibus permissa* Deut. 23. 20. *non permitteretur pro præmio pietatis erga pauperes. Promittitur tantum facultatum copia, ut non suis tantum, sed etiam gentibus mutuare possint.* Cum itaque originalis Hebraica vox dubia non sit, quid in aliquot privatis interpretationibus quæ *dabis ad usuram*, perperam reddiderunt, adversus inanem, & pusillum tractatoris conatum pluribus laboremus? Nihil ergo usurarium approbantibus his Deuteronomii locis, quibus de simplici mutuatione, non de usura sermo est, tota jam redit argumenti superius instituti vis, quo meram usuræ tolerantiam cap. 23. n. 19. asserendam monstravimus, siquidem *alieni* vox de omnibus alienis accipienda credatur.

Tract. Breviss. pf. 78.

## §. III.

*Verius solos Chananæos voce* alieni *indicatos ex peculiaribus Mosaycæ ætatis circumstantiis monstratur.*

5. EGo vero & rerum, & personarum, & alias ejus temporis rationes considerans, *alieni* nomine solos Chananæos intelligendos exstimo, quorum omnia bona cum a Deo Hebræis tradita fuerint, hi suum, non alienum per usuras exigerent. Enim vero mutui, vel usuræ occasio vel apud nos inter solos incolas, quibus cum versamur fere suppetit. Raro cum exteris hocce contractu agendum nisi caussa aliqua negotiationis, atque commercii. Hebræis autem, præterquam quod ea tempestate bellum, non negotiatio curanda erat, cautumque aliquandiu fuit, ut sui fecundissimi soli redditibus luculenter provisi, atque contenti, negotiationem cum ceteris non facile inirent, ne perversis illorum moribus, ac superstitionibus inficerentur (unde in ipsa terra Hebræis permissa littorales negotiosi portus traditi ipsis non fuerunt) præter hoc, inquam, ipsa ex-

Josephus in Appion. l. 2.

externæ eorum temporum negotiationis ratio, cum non nisi per mutuas rerum commutationes præsertim fieret, uti nunc pariter apud plerasque orientales nationes ex antiqua negotiandi ratione fieri solet, mutui inter exteros ineundi necessitatem, vel occasionem non afferebat. Itaque non alia ipsis mutui, & usuræ cum alienis occasio, nisi cum Chananæis indigenis esse poterat: ac propterea Deuteronomii locus usuram cum alienis permittens, de solis septem Chanaam populis accipi potest, ac debet, uti eum quidem de iis intelligendum jure contendit non solum S. Ambrosius in libro de Tobia c. 15., sed etiam Munsterus inter hæreticos, & inter Rabinos celebris Leo Mutinensis in opere de Cæremoniis Judæorum part. 2. c. 5.

6. Confirmari id ipsum alia observatione ne pigeat ex ipsa Hebraica voce נכרי *alienus*, seu *alienigena*, quæ in hoc versiculo Deuteronomii usurpata, alienigenas inter Israelitas viventes, idest Chananæos, peculiari quadam ratione significasse videtur. Id subolevit Grotio, qui propterea in c. 15. Deut. v. 3. ea voce notari ait *incircumcisum*, *qui inter Israelitas vivebat*. Enim vero Exodi 12., ubi alienigenæ omnes a paschalis agni esu prohibentur, tum qui inter Israelitas in ipsa terra Chanaam viverent, tum qui ex aliis terris in terram Chanaam advenirent, primi tantum voce נכרי appellantur versu 43., ceteri autem, veluti a prioribus distincti, v. 45. indicantur voce תושב *advena*, quam de *advena* non quocunque, etiam Hebræo, vel proselyto circumciso, cui paschalis agnus vetitus non fuisset ex v. 48., sed de *gentili*, & *incircumciso* tantum, ipsi Hebræi apud Matthæum Polum interpretantur. Igitur si hi quantumvis veri alienigenæ non comprehensi fuerunt voce נכרי, hæc de solis alienigenis Chanaam eo tempore usitata quadam locutione videtur accepta, ut ne ad omnes extraneos protenderetur. Forte sicut vox ארץ *terra*, licet per se communis toti terræ, in libris tamen Moysis præsertim, proprio veluti vocabulo, terram Chanaam Hebræis traditam significat (ea fere ratione, qua vox Latina *Urbs* Romam significare solet) ita etiam vox נכרי *alienigena* ejusdem terræ Chanaam homines, peculiari quadam significatione, indicare potuit, quod Hebræi eo tempore probe intelligerent, præsertim in v. 19. c. 23., ubi de mutuo agitur, quod proximis tantum, inter quos viverent, alienigenis credere potuerunt, remotis autem aliarum regionum gentilibus non poterant, nisi forte *advenæ* ad ipsos accederent, quos alia voce תושב appellatos vidimus, & cum quibus sane, ut in mutui officio (si quis casus contingeret) pari, ac cum fratribus ratione, idest sine ullo fœnore, ageretur, præceptum fuisse Lev. 25. v. 35. ex hebraico textu Joannes Clericus, & alii Interpretes, etiam Heterodoxi, fatentur. Esto igitur quod (1) *fratrum* nomine, qui-

(1) Idumæi tamen ab Israelitis alieni *fratres* vocantur Deut. 23. 7. Immo 3. Reg. 9. v. 13. Hiram Rex Tyri, & Sidonis, quocum Salomon amicitiam junxerat, hunc *fratrem* appellat. Præcepta quædam adversus Chananæos data, ad primæ ætatis Chananæos, non autem ad omnes eorum posteros pertinuisse Grotius observavit in c. 5. Matth. v. 43. Hinc amicitia illa Salomonis cum Chananæo Rege, quæ olim non licuisset Exod. 34. 11. Hinc forte spectat etiam Deuteronomii locus de fœnore cum Chananæis permisso; unde David, & Ezechiel fœnus suo ævo nulla exceptione vetitum prodidere, ut deinceps patebit.

quibus gratuitum mutuum dandum praecipitur Deut. c. 23. v. 19., nullæ exteræ nationes censeantur, sed soli Hebræi; *alienigena* tamen Hebraica vox, a quibus usuram exigi Moyses permisit, ex peculiari, ac vulgata ejus temporis significatione, vel saltem ex circumstantiis, atque occasionibus mutui, de solis Chanaam populis accipienda convincitur, ita ut per errorem posteriorum temporum, cum vetus illa ejus Hebraicæ vocis significatio exolevit, de universis populis non Israelitis accepta fuerit.

7. Cum porro in universa Chananæorum bona, non minus quam in vitam, jus Hebræis datum ab ipso Deo fuerit; sicut eos occidere, ita & spoliare pro suo jure poterant; & eatenus usura cum iisdem tantum permissa a rapinæ vitio purgari posse (1) Ambrosio visa est. *Quis erat tunc Alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostis? ibi, inquit, usuram exige, cui merito nocere desideras. Cui jure inferuntur arma, huic legitime indicuntur usuræ. Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centesima vindicare te. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui usuram flagitat. Sine gladio, & hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius. & exactor inimici. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usura.*

Noodt objectio. 8. Neque Noodt objecta moveant, inquientis l.b. 1. de fœnore cap. 10. *Quæ de fœnore, & usuris fiunt conventiones, non belli, sed pacis, & commerciorum jure celebrantur. Igitur si ad expilationem spectant, & a gentium jure abhorrent, ut videtur Ambrosio, ne cum hostibus quidem fieri possunt; quia hi, cum inter se contrahunt, non ut hostes agunt, sed ut homines, qui utilitatis permutatione invicem sibi consulunt, idest jure gentium utuntur.* Hæc probarent, si cum Chananæis merum bellum, non autem jus in omnia omnium, & singulorum bona Hebræis datum fuisset. Resolvitur. Etsi vero usuræ stipulatio contractus sit; ab iis tamen, qui non nisi nostra possident, aliquid quocunque etiam nomine exigere, non aliena, sed nostra exigere est; unde ab eo, qui feudum, vel alienum fundum vi occupat, usuras etiam graviores, alias illicitas, dominum redimendi, ac resarciendi damni caussa extorquere, non solum ab adversariis, sed etiam a * Canonibus non improbatur. * Vide Concil. Turonic. an. 1163 sub Alexan. III can. 2. Sic etiam cum Hebræi, Deo (2) jubente, abstulerunt Ægyptiis commodati nomine vasa; licet commodatum contractus privatus sit, tamen Noodt consitente eodem capite pag. 107. *non furtum, sed magis pignoratio fuit, in quam Deus jus dedit ad compensandam longam, & injustam servitutem, quam Regibus sine mercede prastiterunt.* Ita ergo cum Chananæi nihil in Palæstina haberent, quod Hebræorum non

(1) Hæc Ambrosii interpretatio Carolo Molinæo usurarum patrono arrisit, unde hoc Deuteronomii loco usuram non probari collegit. Sic enim in Tract. de Usuris n. 9. *Quod autem dicit alienum mordebis, mihi nec præcipere, nec permittere videtur; sed hoc innuere, & significare, quod si quem usuris opprimas, jam non tractas ut fratrem, nec officium proximo impendis, sed pro extraneo habes, vel pro hoste, ut innuit D. Ambrosius, qui ibi jus usura, ubi jus belli esse scripsit.*

(2) Adde, quod quædam, alias jure naturali illicita, Deo jus dante, ac præcipiente, licita fieri possunt. Sic Abraham innocenti filio potuit necem intentare, quod sine Dei mandato fuisset nequissimum. Jus in ipsa Chananæorum bona Hebræis non fuisset ullum, nisi Deus illis dedisset.

non esset, juste hi quovis modo illud exigere poterant, sicque licebat etiam usuris eos opprimere, ut hoc minori certe dispendio, quam morte, compulsi, traditam Hebræis terram liberam sinerent.

§. IV.

*Ea Deuteronomii lex usuram cum alienis permittens tandiu valuit, quandiu Chananai hostes fuerunt Hebræorum. Hinc in sacris posterioribus libris nulla inter alienum, ac fratrem distinctio; Usura universim vetita.*

9. HÆc quidem pro eo antiquo tempore, quo Chananæi, veluti hostes, terram Hebræis a Deo supremo Domino traditam injuste occupabant. Cum vero successu temporis aliis Chananæorum occisis, expulsis, & fugatis aliis, reliquis vero in servitutem coactis, totaque Chanaam regione in Hebræorum dominium traducta, jus belli in Chananæos, & in eorum bona desiit: pacatisque jam rebus, commercium etiam aliquod, de quo plura lib. IV. dicentur, cum exteris patuit; tum nec auditur amplius illa inter fratres, & alienos distinctio, nec de usura cum quopiam licite contrahenda, mentio uspiam facta invenitur. Immo quotquot divini libri post id tempus editi, meminerunt usuræ, nec fratrem, nec alienum nuncupantes, ut in Deuteron omio factum fuerat, eam universim illicitam prodidere, & inter illa quidem vitia prodidere illicitam, quæ non minus cum Hebræis, quam cum alienigenis illicita sunt, ut ea non minus cum exteris, quam cum Hebræis illicita insinuetur.

10. Regius Psaltes Psalmo 14. justum hominem universim describens, qui *in Dei tabernaculo habitabit, & in monte sancto requiescet* communia, & necessaria omnibus erga omnes officia recenset, ac inter hac refert istud, ne *pecuniam suam ad usuram* dederit. *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam; qui loquitur veritatem in corde suo, & non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos.... Qui jurat proximo suo, & non decipit; qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit:* ac tandem æque necessarias has omnes conditiones requirens, concludit: *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.* Expendantur quæso singula: & si quidem cetera omnia adeo necessaria inveniantur, atque communia, ut Hebræis ad salutem non satis fuerit ea inter fratres præstari, nisi etiam cum alienigenis præstarentur; quis unam usuram ab hac necessitate jure possit excipere? Matthæus quidem Polus, etsi usurarum & ipse patronus, ut colligere licet ex iis, quæ in c. 6. Lucæ v. 35. ex Grotio latius disputat; hunc tamen Psalmi locum, absque ulla restrictione, sic explicare coactus fuit: *Nota hic generalitatem officii*: Non dat, *nempe* cuivis (*non dicit fratri*) pro fœnore. *Ita tollit discrimen gentium, & personarum. Da, aut commoda simpliciter cuivis.* Sed quid Matthæum Polum appello? Ipse auctor libri Macthoc, qui apud Hebræos est authenticus, in hæc Psalmi verba: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, hanc glossam apponit: *etiam gentili*; ut videre est apud Drusium, qui quantumvis Heterodoxus, hanc sententiam maxime probans, palam fatetur: *Sane David ait, de viro pio loquens:* non dedit pecuniam suam ad usuram, *ubi neminem excipit.*

Testimonium ex Ps. 14.

Interpretatio patroni usurarum, & libri Rabbinici.

In c. 5. Matt. v. 22. tom. 4 Critic. sacr.

11. Hinc porro inane, ridiculumque Theologi Brabantini commentum agnoscitur, cum in Examine pacifico pag. 31. n. 6. contendit *Psalmo isto specialiter agi de iis, qua*

Non de perfectione, sed de præcepto in hoc Psalmo agitur.

*quæ ad perfectionem requiruntur*. Si de perfectione hominis justi ad salutem necessaria intelligeret, non male: at cum de præcipua quadam perfectione consilii intelligat, quæ idcirco solis clericis *ad majorem perfectionem* vocatis juste imposita a canonibus fuit; pessime. Num enim *majoris* perfectionis tantum fuerit *ingredi sine macula, & operari justitiam, loqui veritatem sicut est in corde, dolum non agere, non facere proximo nostro malum, opprobrium eidem injectum libenter non accipere, non decipere perjurio, & munera ad innocentem opprimendum non acceptare?* Cum his ergo, non inter fratres solum ejusdem Religionis, sed cum omnibus omnino exercendis, divinus Psaltes conjungens usuræ fugam, non ut in Sanctuarium cum Summo Pontifice, sed ut in Cœlum ingredi liceat, hoc, uti & cetera, ad necessariam, & communem justitiæ perfectionem referendum est.

12. Enimvero idem Psalmista, qui inter communia justitiæ officia usuræ vitationem hoc Psalmo recensuit, in alio Psalmo 54. inter communis justitiæ vitia usuram memoravit: perversa enim Jerosolymorum crimina, quæ in quibuslibet certa crimina sunt, describens; usuram iis interserit, nimirum, uti Theodoretus observat, *cum iniquitate, & justitia, & dolo copulat*, nec unum peccatum ibidem innuit, quod inter solos Hebræos peccatum sit, cum alienis non sit: *Vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate. Die, ac nocte circumdabit super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & injustitia: & non defecit de plateis ejus usura, & dolus*. Et similiter Psalmo 71. *Ex usuris, & iniquitate redimet animas eorum*. Usuram non peculiaribus Hebræorum inter Hebræos, sed communibus inter omnes criminibus utroque in Psalmo accensitam, quis non commune crimen agnoscat?

De Psal. 54.

De Psal. 71.

Objectioni occurritur.

13. Neque dissimulabo Auctorem *Tractatus brevis* pag. 12. testimonium Psalmi 54. conari nobis eripere, dum observat in Hebræo textu non haberi vocem *Neschech*, quæ *usuram* significat, sed vocem *Toch*, quam Sanctus Hieronymus *damnum* reddit. At cum τόκον, idest usuram hoc loco præferat antiquissima omnium versio LXX. interpretum; unde quæso vocem *Toch*, quæ non unam significationem suscipit, hanc usuræ interpretationem non posse suscipere quispiam probet? Quod usura *Neschech* appelletur, nihil nocet. Apud Hebræos una appellatio alias non excludit, unde usura etiam *Tharbith*, & *Marbith* Hebraice dicitur, & unico nonnunquam loco peculiaris unius vocis est significatio, quam etsi ex Hebraicorum librorum paucitate alibi reperire non liceat; nemo tamen eam repudiare hoc uno nomine debeat. Porro vox *Toch* proprie significat *medium*, & sicut translate *damnum*, vel *fraudem*, quidni & *usuram*, quæ damni, & fraudis species est, significare potest? Septuaginta interpretes, qui fraudis significationem non ignorarunt, uti patet ex interpretatione Psalmi secundum Hebræos 10. v. 7., si τόκον, seu usuram hoc loco reddiderunt, non ejus significationis ignoratione, sed ratione aliqua reddidisse credendi sunt, qua vox *Toch*, *usura* quoque interpretationem hujus loci propriam suscipere, convincatur. Fullerus Anglicanus presbyter, adversariis minime suspectus, Miscellaneorum sacrorum lib. 2. c. 20., postquam conjecit Septuaginta τόκον, idest *usuram*, sæpius transtulisse pro *Toch*, & quasi τόκος Græcum a *Toch* Hebraico originem ducat, interpretationem quidem re ipsa probabilem fatetur his verbis: *Et sane consimilis admodum est vox utraque, resque ipsa pulchre convenit. Nemo quippe nescit fœnerationem perniciosissimis, & innumeris dolis, fran-*

*fraudibusque esse refertam*. Thomassinus Hebraicæ linguæ peritissimus hac septuaginta interpretum auctoritate potissimum motus, in tractatu de Usura part. 2. c. 1. n. 6., Hebraicas voces, quæ usuram significant, omnes quidem metaphoricas, recensens, cum *Neschech* & *Tharbith*, *Toch* etiam collocandum putavit. Hanc saltem interpretationem cum universa susceperit & Orientalis, & Occidentalis Ecclesia, jam inde ab Apostolorum temporibus, quæ Græcam, vel Latinam Psalmorum versionem cum eadem usuræ voce perpetuo decantavit; si hoc crimen inter cetera omnibus, & inter omnes vitanda relatum legens, nihil unquam offensa est; ex ea constanti doctrina accidit, qua aliunde sciebat, credebatque ita usuram omnem, cum quocunque contrahatur, Hebræis fuisse prohibitam, uti cum quovis prohibita sunt cetera, quæ in eodem Psalmo recensentur. Hinc si quis interpretationis error hoc loci esset; vocis minus appositæ redditæ, & meri facti, ut ita dicam, error esset, non juris: quod quidem jus, si non ex hoc textu, ex aliis certe veteris Testamenti manifestissimum fit: quod in rem meam satis fuerit, ut propositum argumentum hac peculiaris textus difficultate nihilum nutet.

14. Enimvero præter Psalmum 14. superius expositum, qui de usura certissime loquitur, afferri potest locus Proverbiorum c. 28. v. 8., ubi Salomon usurarium universim sumtum liberali opponens, ejus culpam simul, ac pœnam declarat his verbis: *Qui coacervat divitias usuris, & fœnore* (in Hebræo *Neschech*, & *Tharbith*) *liberali in pauperes congregat eas*. Quod nimirum sicut ex iisdem Proverbiis c. 13. n. 22. inter injustorum pœnas ea censetur: *Custoditur justo substantia peccatoris*; ita Deus usurarios divitiis spoliat, quibus justos, & liberales uberrime cumulat. Sic etiam Grotius in hunc locum: *leges improbe partas*, puta fœnore, *aufert Rex iis, qui sic eas pepercre, datque eas beneficis*.

Ex Proverbiis.

15. Sed præ omnibus maxime insigne est, quod apud Ezechielem legitur. Hic enim virum justum, & injustum, graphice, & generalibus notis describens cap. 18., usuram inter cetera ter numerat, a qua cavere debet, qui justus est; qui autem non cavet, justus esse non possit. Sic in primis de justo v. 5. *Vir si fuerit justus, & fecerit judicium, & justitiam, in montibus non comederit, & oculos non levaverit ad idola domus Israel, & uxorem proximi sui non violaverit, & ad mulierem menstruatam non accesserit, & hominem non contristaverit; pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit; panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit; ab iniquitate averterit manum suam, & judicium verum fecerit inter virum, & virum; in præceptis meis ambulaverit, & judicia mea custodierit, ut faciat veritatem. Hic justus est, vita vivet; dicit Dominus*. Tum injustum, seu injusti filium delineans v. 10. *Quod si, ait, genuerit filium latronem, effundentem sanguinem, & fecerit unum de istis; & hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, & uxorem proximi sui polluentem; & egenum, & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem, ad usuram dantem, & amplius accipientem, nunquid vivet? Cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis ejus in ipso erit*. Tandem justum injusti patris filium considerans, subjicit: *Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quæ fecit, timuit, & non fecerit simile eis, super montes non comederit, & oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, & uxorem proximi sui non violaverit, & virum non*

Ezechieli testimonia

*non contristaverit; pignus non retinuerit; & rapinam non rapuerit; panem suum esurienti dederit; & nudum operuerit vestimento, a pauperis injuria averterit manum suam; usuram, & superabundantiam non acceperit; judicia mea fecerit; in praeceptis meis ambulaverit; hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet.* Addendum etiam, quod de vitiis, ac iniquitatibus, quibus Jerusalem Dei indignationem accend t, iramque promeruit, traditur c. 22. v. 2. *Et tu, fili hominis, nonne judicas civitatem sanguinum? & ostendes ei omnes abominationes suas, & dices: Hac dicit Dominus Deus: Civitas effundens sanguinem in medio sui... & quæ fecit Idola... Patrem, & matrem contumeliis affecerūt in te, advenam calumniati sūt in medio tui, pupillum, & viduam contristaverunt apud te &c. munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem. USURAM, & SUPERABUNDANTIAM accepisti, & avare proximos tuos calumniabaris, meique oblita es..... Et dispergam te in nationes &c.* Hebræus textus *Neschech*, & *Tharbith* usuræ nomina ubique habet: palamque est Prophetam, seu Deum potius, qui Prophetam alloquitur, omnem usuram non semel, sed quater condemnare cum ceteris, ut qui *fecerit unum de istis* injustus, & morte sit dignus: a qua proinde ita ex divino jure Hebræis, cum quolibet, fuerat abstinendum, uti abstinere debebant a reliquis, quæ cum quibuscunque patrentur, crimina sunt. Nullam in usura exceptionem adsignat sacer Textus, sicut nec in reliquis admitti potest: ut valde audax ille sit, qui distinctionem inter alienigenas, & fratres hic audeat obtrudere, ubi nihil distinguitur, excipitur nihil.

16. Itaque, ut ad propositum revertens, concludam, ex tam apertis Psalmistæ, Salomonis, & Ezechielis testimoniis illud confirmari mirifice arbitror, legem illam Deuteronomii de usura cum alienigenis contrahenda, si non mera permissio, sed approbatio fuit, de solis Chananæis, in quos jus omne fuerat a Deo Hebræis traditum, esse accipiendam, non autem de ceteris alienigenis, quorum in bona jus illis nullum datum fuerat. Nihil ergo est, quod ab Auctore Tractatus brevis opponitur, legem Dei per Moysen quondam latam, hac nostra in sententia per Prophetas mutatam, aut extensam fuisse, quod decies, & amplius repetens, sibi velut triumphum hac in objectione pollicetur. Nihil, inquam, id est; per hos enim lex Moysis nec mutata, nec extensa, sed explicata tantum fuit, ut eorum erat (1) officium; cumque Moyses legem de alienis ferens, solos Chananæos peculiari jure intellexisset, quod ex ejus temporis conditione omnibus quoque Hebræis notum erat; sublatis deinde peculiaribus ejus temporis circumstantiis, Hebræi per Davidem, & Prophetas monendi clarius, & universim fuerant, ne veteri illa fratrum, & alienorum distinctione amplius uterentur. Id pateret multo magis, si usuram naturali jure illicitam poneremus, quod fusius probabitur libro V. Nunc ad propositum satis sit divinum illud jus, quod ex Davide, & Prophetis Mosaicam legem explicantibus exploratissime demonstratum videtur.

pag. 1. 9. 13. &c. Objectio explosa.

Origo

(1) Neque enim ad futura tantum prænuntianda, sed ad legem etiam promovendam, & in obscuris explicandam dati fuerunt; unde illos Christus in Evangelio conjungens cum lege Moysis, ubi testatus est, se non venisse *legem, & prophetas solvere*, prophetas uti legis interpretes appellavit, ut expositores omnes observarunt.

§. V.

*Origo, & ratio Rabbinicæ interpretandæ vocis* alieni *de omnibus alienigenis exponitur. Confirmatur exinde nostra interpretatio, nec non aliorum Rabbinorum testimonio.*

17. Qui nihilominus illam Deuteronomii legem explicare velit, ac si ad usuram erga omnes alienigenas universim exercendam extendatur, (si id non permissio, ut & alia quædam in ipsa lege Moysis, dicatur, quemadmodum sane id permissum tantum cum alienigenis indigentibus fateri vel adversarii debent) cum hæc explicatio ex una parte non sit ex aperta saltem Moysis mente, qui omnia prorsus etiam in alienigenas (1) officia non obscure præcepisse, nonnullosque ex iis (2) fratrum nomine appellasse invenitur; cumque ex parte alia adversus apertum Davidis, & Prophetarum mandatum eadem explicatio sit; quis non videat mere Rabbinicam esse? Rabbinos scilicet literam potius, quam sententiam, & spiritum legis secutos, genuinum legis, & Scripturarum sensum proprio ingenio in multis, ut ipse Christus monuit, corrupisse notissimum est; & sicuti male intelligentes illud, *Diliges proximum tuum*, solos Israelitas pro *proximo* habentes, ceteros autem pro hostibus, eidem legi addiderunt ex suo sensu illud in Evangelio memoratum Matth. 5. 42. *Odio habebis inimicum tuum*, adeo ut omnes non Hebræos spoliare, persequi, necare, si possent, religioni ducerent, ut fatetur, & defendit Josephus Albo in disputatione adversus Christianos, unde & Tacitus *esse Judæis adversus omnes alios hostile odium*, prodidit: Ita alienigenas omnes, tanquam hostes, qui propria sibi a Deo tradita inique occuparent, per usuram (si alia ratione non possent) expoliare, & opprimere sibi licitum putantes, Deuteronomii locum de alienis latissime interpretati sunt.

(1) Exod. 22. 21. Deuter. 27. 19.
(2) Deuter. 23. 7. idumæi ab Israelitis alieni *fratres* vocantur.
Levit. 19. 18
Hist. L. 5.

18. Hanc quidem illi suæ interpretationis, & praxeos rationem sæpe allegant; & Mahumetani, qui etiam multa ex Hebræis derivarunt, simili ratione usi inveniuntur, cum usuram, quam inter suos pariter damnant, cum ceteris alienis sibi licere contendunt. In regulis enim Mahumetani juris, in quibus fœnus cum *inimicis* conceditur, inimicique vocantur homines, qui Mahumetis sectam non sequuntur, hæc concessæ usuræ ratio subjicitur; *quia facultates eorum patent veluti ad prædam, & direptio earum licita est quacunque via*. Quod a Rabbinis Hebræorum sumtum nihil dubito. En itaque genuinum, & pessimum Rabbinicæ interpretationis principium, seu potius præjudicium. Hæc quidem ratio per se verissima est, & ex insita apud Hebræos traditione Moysis, ut videtur, derivata, Deuteronomii legem explicat, ita ut iis in populis valeat, ubi hæc ratio vere est, non autem in ceteris, ubi ea locum vere non habet. At pro solis Chananæis, in quibus tantum vera erat, a Moyse accepta, cum legem illam Deuteronomii ferens, *alienigenas* memoravit, ad omnes alios a Judæis alienos, in quibus nullum jus hostile erat, traducta perperam fuit a Rabbinis, & ad hos proinde omnes perperam etiam lex illa Deuteronomii traducta.

19. Accidit hac in re, quod de fœdere cum alienigenis non iungendo alia Moysis lege cautum fuerat. Id ex præcipuo Dei mandato solos Chananæos respiciente manavit, adeo ut 10 ceteros alienigenas non nisi perperam Hebræi eam legem transtulerint, uti Grotius in memoratum Matthæi locum observavit. Cum vero Hebræi populos omnes haberent tanquam hostes, quos expilare jure possent, nihil mirum, si ad omnes ita prohibitio-

tionem fœderis, uti usuræ permissionem produxere. Verum, ni falsam Rabbinorum interpretationem sequerentur, *proximum*, idest *non alienum*, censere debebant quemcunque alienigenam, uti Christus in parabola Samaritani, Judæo vulnerato succurrentis, innuit; ac propterea usura cum solis alienis permissa, quorum in bona, ac vitam peculiare jus erat, ad ceteros alienigenas, qui veri erant *proximi*, idest *non alieni*, nonnisi Rabbinice traduci (1) potuit. Rabbinos hosce carnales imitantur, atque sequuntur, qui eumdem errorem, ac interpretationem propugnant. Qui legis spiritu, non litera ducuntur, secus intelligant, & doceant, necesse est: adversariisque, qui legis spiritum, Christo Duce, sequi profitentur, rubori esse debent, inter Hebræos ipsos, præter Leonem Mutinensem, & auctorem libro Machtoc superius memoratos, Rabbi Salomonem id probe assecutum (2) docuisse in c. 22. Exodi, quod illi assequi, & docere recusant.

Luc. c. 11. v. 36. 37. Vide Comment. Grotii.

§. VI.

*Quamcunque* alieni *interpretationem adversarii sequantur, propositum nostrum nihil lædit, sublata per Evangelium omni distinctione inter alienos, & fratres.*

20. Sed ne nimium hac in re laboremus, usuram omnem, saltem inter Hebræos, divino jure vetitam agnoscere (quod ipsi adversarii dant) ad ea, quæ statuturi sumus, in præsentiarum sufficit. Nunc videndum superest, num hoc divinum jus in novo Testamento confirmatum fuerit, nec ne; in eo, inquam, Testamento, in quo cum omnes vel inimici pro proximis, & fratribus, nemo autem in quibusque, sive justitiæ, sive charitatis, officiis pro alienigena habendus sit, ut ex ejusdem Testamenti spiritu liquet; si divinum usuræ vetitæ jus confirmatum probetur, id non inter Christianos solum, sed inter omnes obligare, ut usura omnis inter omnes, prohibita sit, manifestissimum fiat. In quo quicunque ex adversariis aliter sentiunt, non Rabbinos solum imitantur, sed Rabbinis ipsis deteriores se produnt, quippe qui, quod inter ejusdem saltem Religionis homines illicitum Rabbini in lege veteri defendunt, hoc in Evangelio inter ipsos Christianos, ac fratres licitum faciunt, ac si Evangelium, & Christus deleverit, quod ad justitiam necessarium prophetæ testati sunt, & quod hi deputarunt injustitiæ, liberum fecerit. Pudeat hæc de Evangelica lege sentire, & cogitare. Christum, & regnum ejus Evangelicum David spiritu prævidens, atque prænuntians Psalmo 71., illud inter cætera præclara ejus facinora recensuit, quod *ex usuris, & iniquitate* pauperum suorum *animas redimet*. Christum vero, qui ex alio Psalmo *Israel*

---

(1) Hinc Hebræi etiam ad fidem accedentes ad usurarum omnium, non tam a Christianis, quam ab alienis, extortarum restitutionem ab Ecclesia impelluntur.

(2) Quin & Sixtus Medices, in libro de fœnore Judæorum, narrat Philippo Archinto Romæ Vicario Judæos jurejurando declarasse, *vetita sibi fœnora in alienigenas perinde ac in fratres*. Hujus doctrinæ indicium etiam deprehenditur in Hebraico Pœnitentiali, quod Morinus in fine operis de Pœnitentia ex Hebraico libro excerptum edidit. Ibi enim fœnus cum alienigenis si non prohibetur omnino, contra plurimorum præjudicium, saltem dissuadetur. *Ille*, sic ibidem scribitur, *qui fœnus accepit, si potest fœnus non exigere etiam ab alienigenis, optimum erit.*

*Israel* redemit *ab omnibus iniquitatibus* suis, non corpus, sed *animas* ab *usuris* redemisse haud alia potiori ratione quispiam intelligat, quam quod Rabbinicam de usuris doctrinam corrigens, usuramque universim illicitam docens, effecit, ne quis e suis usuram amplius sive exerceret, sive defenderet. Enimvero si hac in re quid Christus Ecclesiam docuerit consulamus, liquido apparebit eum confirmasse, seu perfecisse potius veterem de usura legem; nihil autem in ea abrogasse, nisi forte distinctionem illam inter alienigenas, & fratres, quæ Hebræis non bene intellecta occasio erroris fuit. Jussu enim ejusdem Christi, cui in nova lege non fuit distinctio *Judæi*, *& Græci*, idest alienigenæ, omnes uti fratres fratrum officiis prosequendi sunt, ut ipsi (*) adversarii fatentur. Unde autem doctrinam hanc Christi demonstremus? Aliquod expressum Evangelii, aut novi Testamenti testimonium Heterodoxi usurarum patroni efflagitant. Legatur inter ceteros Salmasius de usuris c. 20. p. 618. & c. 21. p. 731. & 737. At hoc est hominum, qui solas Scripturas pro Dei verbo habent, traditionem autem repudiant. Cum vero non minus verbum scriptum, quam traditum, sit, & haberi debeat verbum Dei, ut interim præsumo ex iis, quæ adversus hæreticos pro traditione vindicanda Controversistæ afferunt; non tam Evangelio, quam traditioni credere necesse est. Utrumque igitur in re præsenti expendamus, & Evangelium imprimis, ita tamen ut si hoc non videatur rem plane demonstrare, examinetur etiam traditio, quæ cum evidens perpetua, & constans agnoscenda sit, repudiari quidem cum Heterodoxis poterit ab iis, qui certissimo dogmati acquiescere nolint; explicari autem honeste non poterit.

(*) Vide infra c. 4. §. 3.

## CAP. IV.

### *De confirmata per Christum usuræ prohibitione in illo Evangelico:* Mutuum date, nihil inde sperantes.

### §. I.

#### *Conatus adversariorum in eripiendo, ac distrahendo hoc Evangelico testimonio.*

1. Ex Evangelio ut initium ducamus, locus ille apud Lucam 6. v. 32. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, uti satis exploratus, & a Pontificibus, & a Canonistis, & a Theologis allegatur. At magnas hic turbas adversus Pontifices ipsos patroni usurarum excitare non verentur, & multiplici quidem ex capite, ac si testimonium hoc aliorsum pertinens pro præsenti controversia ineptissime afferatur. Primo enim ajunt illa *nihil inde sperantes* ad capitale referri ex contextu, unde male ad lucrum, & usuram traducuntur, in quibus si quod Evangelicum præceptum inesse credatur, id non tam de usura, quam de capitali ipso nequaquam sperando, ac repetendo accipiendum esset, quod tamen nemo dixerit. Dein etsi in præcedenti ejusdem Evangelii textu loqui Christum de mutuo gratuito non inficientur, & ita quidem loqui, ut mutuum aliud non probet; reponunt tamen id actum eo tempore, quo lex vetus, usuram interdicens, adhuc vigebat: vel certe cum Apostolis, tanquam Ecclesiasticis vitæ perfectioris, actum, qui ex peculiari clericalis ordinis perfectione, ab usura, & avaritia erant submovendi, ut ne peculiaris hæc clericorum disciplina ad laicorum præceptum transferatur. Addunt tandem veram Christi institutionem in futuræ Ecclesiæ doctrinam ex parabolis quærendam esse; inter has autem cum celebrem

de

de pecunia nummulariis tradenda in mensam, & cum usuris exigenda parabolam invenire liceat, apertum hic probatæ usuræ testimonium a Christo positum contendunt.

## §. II.

*Interpretationes Evangelici textus duæ proponuntur maxime literales.*

2. IN hæc divagantur homines, qui in sacris Scripturis interpretandis, non traditionem Ecclesiæ, quam contemnunt, sed proprium ingenium, ac spiritum privatum sequuntur. Allegarunt quidem Barbeyrachius, & le Placete, utrique Hæretici, Catholicum Theologum P. Banesium, qui in tractatu de justitia, & jure, quæst. 78. a. 1. dub. 1. conclusione tertia, affirmavit, *certum non esse usuram probibitam fuisse in novo Testamento expressis verbis, propterea quod ille locus: Mutuum date, &c. alias habet explicationes SS. Patrum.* At hic Theologus, qui in prima conclusione posuerat, *secundum fidem catholicam asserendum, usuras esse illititas*, statim post objectum textum monuit, non placere sibi, *neque tutum esse* ab ea Pontificum, & Conciliorum explicatione discedere, qua usuram ibi vetitam exposuere; *neque enim*, inquit, *mirum, vel novum est, quod unus locus sacræ Scripturæ plures habeat sensus literales.*

3. Quod quam æquissime dictum fuerit, ut quisque non iniquus lector intelligat, observandum est, primo ea apud Lucam verba pertinere ad sermonem Domini in monte habitum, qui partim Matth. c. 5., partim Lucæ c. 6. exhibetur, ut ipsi etiam adversarii fatentur, qui hunc proinde locum de mutuo cum alio simili apud Matthæum capite 5. v. 42. conferendum, & alterum ex altero explicandum existimant. Porro hoc in sermone Christum non cum turbis, sed cum solis Apostolis, atque discipulis separatim in monte differentem, cum iisdem, non tanquam clericis, ut eos in consiliorum perfectione instrueret, neque tanquam Hebræis veteri lege adhuc obligatis, quemadmodum adversarii vellent, sed tanquam Ecclesiæ capitibus, ac Evangelicæ legis prædicatoribus, ad instituendam in ipsis universam Ecclesiam, & ad veteris legis præceptiones perficiendas, tota concione egisse, si quis eam ex utroque Evangelista collectam attente legerit, manifeste cognoscet. Loquitur enim ibi Christus de lege veteri, quam se non soluturum, sed impleturum in lege Evangelica affirmat, & in qua se velle ait, ut Christianorum justitia supra justitiam Hebræorum abundet. Tum plura ejus legis capita innuens, & explicans, quædam a Moyse olim ob duritiem cordis permissa abrogat, nonnulla male superinducta Pharisæorum præjudicia corrigit, multa perfectiora addit, ac præcipit: quæ quidem ad Evangelicam legem omnibus Christianis propositam pertinere indubium est. Nunquid enim præceptum ex. gr. de inimicis diligendis, de non aspicienda muliere aliena, ne concupiscatur, de non referiendo percussore, de repudio extra fornicationis caussam non faciendo, & alia ejusmodi, solos Apostolos, & non omnes potius Christianos ligant? Quod exploratissimum videns Matthæus Polus, adversariis minime suspectus, ex Hammondo Anglicano confiteri debuit in Matth. c. 5. v. 1. *Hac concio non Apostolos* ...... *sed Christianos omnes spectat.* Cum ergo omnia hujus concionis capita omnes Christianos spectent, omnes etiam spectare debet quod de mutuo traditur.

Vide Salmasium de Usuris cap. 20. pag. 620. & Noodt. l. 1. de Usuris c. 11.

Synops. Critic. tom. 4. p. 106.

4. Ut autem sententia Christi probe cognoscatur, integer textus exscribendus est. Sic ergo apud Lucam c. 6. v. 34. *Si mutuum dederitis iis, a quibus speratis accipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores*

*per peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Et vers. 35. Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos.* Duplicem hujus loci sensum ab interpretibus afferri scimus, qui tamen uterque usuræ prohibitionem non excludit, sed potius includit. Primus sensus illorum est, quo Christus in primo versiculo loquutus traditur de iis, qui mutuum non dant nisi illis, a quibus parem beneficii vicem se recepturos sperant. *Peccatores* enim, idest (1) vulgus hominum, illis tantum credere solent, a quibus *æqualia*,

Prima interpretatio.



(1) Plerique nimirum vulgo (*stulti*, & *imperiti* a Stoicis appellati) mali sunt; unde vulgatum illud Biantis apud Ausonium in libro septem Sapientum in Thalete p. 271. edit. Tollii.

*Bias Prieneus dixit*: Οἱ πλεῖστοι κακοὶ, *quod est latinum*: *Plures homines mali: sed imperitos scito, quos dixit malos*. Forte etiam Christus vulgari usus est Pharisæorum locutione, qui cum se sanctos, & justos præferebant, tum vero ceteros e vulgo peccatores putabant, ut liquet ex illis cuiusdam Pharisæi apud Luc. c. 18. v. 11. *Non sum sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri*. Similis locutio apud Matth. c. 5. v. 56. effertur per vocem *Publicani*, qui a Pharisæis peccatores habebantur, & vocabantur, ut patet ex illis Lucæ c. 19. v. 7. *Quod ad hominem peccatorem divertisset*, ubi peccatoris nomine Zachæum publicanum Pharisæi appellarunt. Confer Marc. 2. v. 16., ac Luc. 5. v. 30., ubi *publicani* cum *peccatoribus* ex Pharisæorum lingua accensentur. Justinus Apologia 2., hunc Evangelicum locum ex Luca 6. 34. recitans, *Publicanos* pro *peccatoribus* scripsit. *Si namque mutuo dabitis his, a quibus vos recepturos speratis, quid novi facitis? Faciunt hoc & Publicani*. Erunt forte, qui *peccatores* hoc Lucæ versu nominatos, *Ethnicos* intelligendos existiment, quod ii vel Publicani fuerint, vel jungantur cum Publicanis, qui fere Ethnici fuere: unde apud Matthæum c. 5. v. 47. Ethnici dicuntur, qui alio Lucæ versu *Publicani* appellantur. At probabilius crediderim de Hebræorum vulgo eam vocem accipiendam, tum quod Hebræorum, non Gentium justitiam suis discipulis propositam a Christo ex contextu liquet; tum quod de Gentibus, apud quas mutuum fine usura perrarum erat, accipi nequit versiculus, qui ejusmodi mutuum satis vulgatum, ac notum omnibus exhibet. Publicanos autem id genus, quibus peccatores junguntur, fuisse non Ethnicos, sed Hebræos, patet ex Evangelio Lucæ c. 18. v. 11., ubi *Publicanus* in templo humiliter orans describitur, qui ad Gentes pertinere non poterat. Adde quod Christus cum peccatoribus, & Publicanis familiariter agebat, ut eos ad pœnitentiam adduceret, quod de Gentibus dici nequit, ut colligitur ex illo ejus responso, quo mulieri Ethnicæ se se difficilem præbens, *Non sum missus*, inquit, *nisi ad oves, quæ perierant domus Israel*. Porro originalis Græcus Matthæi versus, ubi *Ethnici* in vulgata legitur, τελῶναι, idest *Publicani*, habet, ut & in antecedenti versu reperire licet: & plures item Latini codices ibidem præferunt *Publicani*, non *Ethnici*, ut Lucas Brugensis notavit. Quamvis autem ad Gentes pertinere possit, quod de salutandis fratribus vulgata interpretatio memorati apud Matthæum versiculi profert; id tamen

*lia*, idest par aliquod beneficium sibi rependendum confidunt: unde nulla ab his *gratia* fit, qui non alieno, sed (1) suo commodo mutuum credunt. Id videtur antecedentibus congruere, in quibus peccatores, idest vulgus, similiter non amare dicuntur nisi eos, a quibus se pari amore redamandos sperant, nec benefacere nisi illis, a quibus beneficia sibi conferuntur. Vers. 32. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quae vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt*. Vers. 33. *Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quae vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt*. Tum sequuntur illa v. 34. *Si mutuum dederitis &c.* Omnia autem tria haec capita Christus complectens v. 35., discipulos suos ita peccatoribus, & vulgo Judaeorum praestare jubet, ut & dilectionem, & beneficia, & mutuum iis etiam praestent, a quibus *nihil*, idest nec amorem pro amore, nec beneficium pro beneficio, nec parem vicem mutui retribuendam sperent, sicque Deum imitentur, qui *benignus est super ingratos, & malos*, illamque solam mercedem prospiciant, quam in Coelo magnam, & multam pollicetur. Haec prima literalissima interpretatio est, quae integram sententiam tribus praecedentibus versiculis optime respondentem exhibet.

5. Non multum vero dissimilis, certe autem nihil repugnans est altera, qua Christus vers. 34. de eo mutuo loqui traditur, in quo tantum *aequalia*, idest restitutio aequalis quantitatis, seu sortis vulgo speratur: sic enim peccatores, seu Hebraeorum vulgus, ex lege Moysis mutuum dabant, ut sine usura parem summam reciperent. Christus autem affirmans, discipulos suos non magnum praestituros, si nihil amplius prae Hebraeis vulgaribus in ipso mutuo praestarent; vult, ut non solum iis mutuum dent, a quibus paris sortis restitutionem sperent; sed iis etiam, a quibus ob inopiam nihil sperare contingat. Cum enim charitas, quam suis discipulis maxime commendatam voluit, non iis tantum opitulari velit, qui bonis mobilibus, vel immobilibus satis provisi, restitutionis spem afferunt, sed iis maxime, qui per summam rerum omnium inopiam restitutionis impotentiam, & desperationem afferentes, majori misericordia digni sunt; Christus ita suos discipulos hac charitate eminere jussit, ut ne miserrimos quidem homines, nullam restitutionis spem afferentes, a mutuo repellerent. Haec interpretatio mire concinit cum illis Matthaei verbis huc quidem pertinentibus, quibus hanc eandem Christi sententiam sic brevius exhibet *Interpretatio secunda.*

---

men, quod de mutuo gratuito apud Lucam traditur, non potest, ut vel ipse Salmasius notavit de Usuris p. 622. Notabis interim Dominum, ut inter Judaeos loquentem, non de alio mutuo intelligere, quam de gratuito, ubi recipiuntur τὰ ἴσα.

(1) *Non enim negotium alterius*, idest mutuatarii, *gessit*, *sed magis suum*, diceret Papinianus a Marciano laudatus L. 12. D. *Qui potiores in pignore* §. 6. Vide Phaedrum lib. 1. fab. 22., & Senecam de Benefic. lib. 6. c. 7., qui illud beneficium verum non habent, quod licet in alicujus bonum cedat, tamen non ejus, sed sui potius caussa exhibetur ab iis, *quorum privata servit utilitas sibi*.
*Et meritum inane jactant imprudentibus*, uti Phaedrus loquitur, & Cicero l. 2. de Finibus: *Nec enim si tuam ob caussam cuiquam commodes, beneficium hoc habendum est, sed feneratio*.

bet c. 5. v. 42. *Qui petit a te, da ei, & volenti a te mutuari, ne avertaris*: quicunque scilicet ille sit, qui mutuum petit, ne considéres, utrum possit reddere, nec ne, neminemque velut minus idoneum despiciens, ab eo ne avertaris: quod idem est ac mutuum suadere, etiam si spes sortis recipiendæ non sit, quæ est expressa Lucæ sententia.

Hæc eadem Patribus probata.

6. Nihil ergo mirum, si hæc eadem explicatio non paucis item Patribus arriserit. Tertullianus l. 4. adversus Marcionem c. 17. legem veterem, quæ usuram vetabat, eatenus Evangelio inserviisse ait, quatenus *assuefecit hominem ipsi fœnori*, idest capitali, *perdendo*, *cujus fructum didicisset per legem amittere*. Lactantius l. 6. Institut. c. 18. *Id juste, id pie, id humane fit, quod sine spe recipiendi feceris*. S. Basilius in Ps. 14. *Quod autem Domini consilium sit? Date mutuo iis, a quibus accipere minime speratis. Et quale*, inquis, *hoc mutuum, cui non reddendi spes conjuncta est?* S. Ambrosius de Tobia c. 2. n. 8. *Da pecuniam si habes ..... qu si non recepturus*. S. Hieronymus in c. 18. Ezechielis: *In Evangelio virtutis augmentum est, præcipiente Domino: Fœneramini, idest mutuum date his, a quibus non speratis recipere*. S. Joannes Chrysostomus hom. 56. al 57. in Matthæum: *Deus vetat id accipere, quod datur. Date*, inquit, *illis, a quibus accipere non speratis*. Mitto alios, qui similiter interpretantes afferri possent. Hæc eadem interpretatio Salmasio, item & aliis adversariis usurarum patronis magis arridet, qui propterea id mutui genus a Christo suis discipulis hoc loco commendatum arbitrantur, quod ἔρανυ nomine in stipis speciem Græci amicis indigentibus præstabant, ut id redderent, si possent, & quando possent; sin minus, quoad fortuna adversaretur, retinerent.

## §. III.

*Utraque interpretatio veterem usuræ prohibitionem a Christo confirmatam evidenter profert.*

7. Utramlibet interpretationem preferendam credamus, quatenus in utraque omnis usuræ prohibitio contineatur, nunc demonstro. Quæcunque interpretatio placeat, certum est hoc loco Christum de mutui officio loquentem, quale apud Hebræos ex veteri lege fuit, & quale apud nos in nova lege futurum instituit; certum est, inquam, eum a suis velle, ut eo in officio Hebræis præstent, & eatenus Christianorum justitia supra justitiam Hebræorum abundet, ut ex ipso integri sermonis contextu docendum sibi proposuit. Porro Hebræorum, non tam perfectiorum, uti Pharisæi sese præferebant, sed vulgarium etiam, quos *peccatores* Christus appellavit, justitia in mutui officio fuit, mutuum fratribus sine usura credere, & de hoc quidem gratuiti mutui officio loqui Christum fatetur Salmasius: *Hæc enim fœneratio*, inquit, *quæ recipit tantum τὰ ἴσα, prorsus est sine usura*, qualis quidem Hebræis recepta fuerat. Erga alienos vero, qui fratres non essent, non præcipiebatur ejusmodi officium, sed potius permittebatur fœnus exigere; & sive id permitteretur ab ipsa Moysis lege, sive ex latiori Hebræorum interpretatione crederetur licere; certe non aliter hoc licitum habebatur, quam quod alieni omnes tanquam hostes haberentur. Justitia vero Christianorum, quam Christus præstantiorem, perfectioremque esse hoc loco jussit, duo effecit.

8. Primo enim distinctionem illam inter alienos, & fratres de medio tollens, omnes pro fratribus habendos indixit; ac proinde Chri-

stus æquale, sicut amoris, & beneficentiæ, ita & mutui officium erga inimicos ipsos præstari jussit; ut Christiani se Dei filios exhibeant, *qui super ingratos, & malos benignus est. Diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date;* quæ singula commata vel ad *inimicos* primo commate appellatos diriguntur. Et hoc, quod ad fratrum, & alienorum, seu inimicorum distinctionem de medio (1) tollendam spectat, certum Evangelicum præceptum est, quemadmodum ipsa inimicorum dilectio est in præcepto, ut neminem in amore, & in amoris officio distinguamus: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem,* neminem distinguentes, neque alienum, & inimicum, quem diligendum toties præcepit.

Joan. 13. v. 35.

9. Alterum vero, in quo Christianos Hebræorum justitiæ antecellere voluit, est in ipso mutuo, cujus justitia apud ipsum Hebræorum vulgum erat, ut nihil usuræ, sed *æqualia* tantum reciperent. Illud autem, quod præstantius a suis discipulis Christus exigit in occasionibus mutui, sive sit ne quid puri beneficii sperent, uti prima interpretatio exhibet, sive sit, ne sperent capitale ipsum, ut altera interpretatione præfertur; profecto mutuum sine usura a Christianis sumendum præsumit: usuram enim nolit oportet, qui nihil neque beneficii, neque capitalis speret. Usuræ igitur prohibitio, Moysis lege intacta, præsumitur hoc loco a Christo, qui illa sola nequaquam contentus, adjiciendum præterea aliquid perfectius in Evangelio judicavit. Nemo enim adjicere aliquid intelligitur, qui id, cui adjiciendum est, destructum velit. Qui ergo Mosaicæ gratuiti mutui legi perfectionem in Evangelio addidit, ipsam Mosaicam legem destruere certissime noluit; sed integram potius retinens perfectionem, quæ illi deerat, adjecit.

10. Hic autem considerare libet eum Salmasii locum, ubi fatetur, gratuiti mutui legem recte Judæis datam fuisse, ut mutua inter ipsos charitas æquissime foveretur. Sicut enim vel inter ipsas gentes, Græcos scilicet, atque Romanos, idipsum obtinuit, ut amicis, & consanguineis pecunia sine fœnore credenda putaretur; id multo magis valere debebat inter Judæos, *quos jussit Deus non aliter inter se vivere, quam si fratres essent ex eodem patre. Et revera omnes ab una origine;* unde infert: *Ad charitatem proximi, quod mutuum sine usura detur, peculiari jure Judæis præscriptum.* His autem nihil impedientibus, cum hanc legem a Christo deletam putet Salmasius, mirum maxime accidet, ac si minorem Christus charitatem postulet nunc

De Usuris cap. 20. pag. 617.

(1) Patrum testimonia hic quoque subjiciam, quæ ipse Salmasius affert, & approbat de usuris c. 21. p. 663. Tertullianus in Apologet. ad nationes: *Fratres etiam vestri sumus, jure naturæ matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres.* Sed clarius Arnobius l. 4. adversus easdem gentes de conventiculis Christianorum: *In quibus,* inquit, *auditur, nisi quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudicos, castos, familiares, communicatores rei, & cum omnibus, quos sol vidit, germanitatis necessitudine copulatos.* Ita legendum esse hunc locum, ex vestigiis antiquæ scripturæ in editionibus vulgo corruptissimum, notæ nostræ docebunt. Discipulus ejus l. 5. c. 20. de Christianis: *Nimirum apud eos, qui bella nesciunt, qui concordiam cum omnibus servant, qui amici sunt inimicis, qui omnes pro fratribus diligunt.* Hactenus Salmasius.

nunc a Christianis, a quibus perfectiorem multo in hoc ipso mutui officio requisivit. Immo si hæc charitas apud gentes, jure quodam naturali, mutuum gratuitum inter amicos, cives, & fratres præscripsit, nū minoris charitatis esse debuerunt Christiani, quos Christus in ea virtute ceteris jussit præcellere? Et si non alio justitiæ naturalis jure usura vetanda fuisset, nonne ex hac charitate vetanda fuit, ne in hoc officio, nedum Judæis, sed Gentibus etiam Christiani cederent, quos in charitate præstare omnibus voluit?

Demonstratio prædictorum.

11. Sed ne de hac antiquæ legis circa usuram, & mutuum confirmatione quispiam addubitet, ipsa Evangelii verba expendantur, quibus Christus in eadem concione calumniam a Pharisæis, & Scribis objectam disjecturus, se *non venisse legem solvere, sed implere*, idest perficere, professus est. Id autem ut exemplis probaret, aliquot veteris legis capita inductione quadam, subjiciens, quid in singulis perficiendum mandaret, exponit, ut nihil in ullo solveret, nisi quædam, quæ vel a Moyse per tolerantiam mere fuerant permissa, ut in libello repudii, vel a Pharisæis per errorem intellecta legi ipsi, vel perfectioni repugnarent, ut in odio inimicorum evenit. Examinentur quæso singula; & cum omnia bona confirmata, & perfecta, nihil destructum invenire licebit (nihil quidem, quod destruitur perfici potest.) tum si quis idipsum de lege mutui gratuiti interserta sentire, & fateri nolit, is nugari, comminisci, & contra apertissimam veritatem conari fucum facere convincetur. Si hæc mutui gratuiti lex inter illas non paucas veteris Testamenti leges esset, quas etsi confirmavit Christus, atque perfecit, earum tamen distincta mentio hac in concione facta non fuit; dubitari aliquatenus posset, num ea inter confirmatas, ac perfectas, an potius inter abrogatas accensenda sit. Et si quidem aliunde confirmata non probaretur, negari fortassis etiam posset. At quando specialis hujus legis mentio hac in concione facta fuit, specialisque etiam perfectio eidem addenda ipsis Christi verbis notatur, ac inter ea præsertim veterum legum exempla invenitur inserta, quibus ille probaret, se non venisse, ut legem solveret, sed ut perficeret; jam si quis de hac una lege confirmata adhuc dubitet, vel illam neget, is, nisi plane desipit, pertinaci certe, & non ferendo errore decipitur.

§. IV.

*Cur opus non fuerit expressiore usuræ prohibitione. Evangelica perfectio antiqua prohibitioni addita, etsi sæpius consilii sit, usura tamen prohibitionem ad consilium non redegit.*

12. Quæret hic fortasse quispiam, cur Christus expressum mutui præceptum nequaquam fecerit. Possem dicere cum nonnullis satis expressum fuisse v. 30. Quod enim Græce est: Καὶ ἀπὸ τȣ͂ αἴροντος τὰ σὰ μὴ ἀπαίτει, sunt qui reddendum putent, ut Matthæus Polus in Synopsi Criticorum notavit, *Ab eo, cui bona tua commodas,* Luc c. 6. v.
*ne usuram exigas: nam αἴρειν non* 30.
*est auferre, sed sumere; & ἀπαιτεῖν etiam per se positum valet usuram exigere. & ea voce Hebraam phrasim* משא נשאים *septuaginta non semel reddunt in libro Nehemiæ. Sic & 2. Mac. 4. 27. significat, ut probabile est, usuram recipere.* Hactenus Polus. Ita proposita primum usuræ prohibitione hoc versu 30., quid perfectius porro agendum Christianis sit, additum in sequentibus fuit.

13. Sed quidquid de hujus versiculi interpretatione sit, cum fal-

Cur opus non fuerit expressiore usuræ prohibitione.

tem ex versibus 34. & 35. pateat, vetus mutui gratuiti præceptum non solutum fuisse a Christo, sed confirmatum, atque perfectum; quid præterea expressam usuræ prohibitionem inquiramus? Sermo erat apud Hebræos, in quibus omnes antiquam in hoc legem adeo sciebant, atque servabant, ut idcirco nihil usuræ ipse quoque vulgus exigeret, sed tantum τὰ ἴσα, idest restitutionem capitalis. Nihil igitur Christo hujusmodi legem perfecturo opus erat expresse mandare de usura cavenda, quam omnes etiam vulgo vitabant; sed ea tantum perfectio, quæ deerat, exprimenda fuit, in quo ipsam veterem legem confirmatam satis intelligimus. Expressiorem certe præceptionem non requirit Salmasius; nam l. 1. de fœnore Trapezitico p. 98., Theologo adversario concedit *non esse semper necessarium in his, quæ merito dicimus a Christo prohibita, ut probibitio vetus vindicata sit expresse nova δευτερώσει, sed sufficere debere veteris juris divini moralis Christi testimonio generatim confirmatam auctoritatem*; quibus statim subdit Salmasius: *Totum hoc concedo, & ajo esse verissimum*; & lib. de usuris cap. 20. p. 618. confirmationem quamvis, sive *expressam*, sive *tacitam* sufficere fatetur, *si nimirum Christus*, inquit, *in Evangelio præceptum illud de fœnore Judæis datum, expresse, vel tacite confirmasset*. Confirmatio vero saltem *tacita* illa profecto est, qua Mosaicæ legis præcepta se non abroganda, sed perficienda suscepisse testatur, perfectionemque addens nonnullis, inter hæc mutuum gratuitum, quod sine fœnore dandum Moyses præceperat, recensuit.

14. Atqui, inquies, perfectio, quæ legi mutui addita fuit a Christo, præceptum non est, sed merum consilium; secus recuperandæ sortis spes omni in mutuo abjicienda esset, nec de restitutione stipulandum, quod sane præceptum nemo dixerit. Esto, si necessitatis casus excipias, in quibus vel (1) Hæretici usurarum patroni restitutionem ex charitatis præcepto non exigendam agnoscunt. Quid porro? Num adjecta meri consilii perfectio veterem quoque de usura vitanda legem a præcepto ad consilium traduxit? O præclara legis perfectio, quæ legem ipsam destruit! At Christus ita perfectionem legi se additurum testatus est, ut illam non destrueret, sed adimpleret. An forte consilium addere, præcepto legis destructo, & ad merum consilium redacto, non est vere destruere legem, quæ sine præcepto cogente lex vera non est? Certe nihil tale in legibus ceteris, quibus Christus meri consilii perfectionem addidit, assignari potest.

(1) Vide Salmas. de fœnore Trapezit. lib. 1. p. 191., & de Usuris c. 1. p. 26.

15. Nonnulla quidem in memorato Christi sermone leguntur, quæ in sola præparatione animi præcepta, ut Augustinus notavit, pro solis necessitatis casibus, in reliquis consilii limites non excedunt: nec tamen legem, cui addita fuerunt, ad merum consilium redegere. Hoc enim fuisset, legem, quæ præceptum continet, vere destruere; quod tamen se non facturum ipse Christus pollicitus est, & ut promissum probaret, hæc quidem exempla in confirmationem adduxit. Quid in una lege mutuum gratuitum præcipiente, ac usuram vetante, quæ ceteris exemplis coopiata legitur, sine ulla peculiari ratione exceptionem cogitemus? Quæ isthæc, quæso, Evangelicæ legis supra Hebraicam perfectio fuisset, quæ præcepto consilium supponens, Hebraicæ legi ita perfectius adderet consilium, ut legem tamen ipsam tolleret, sublataque lege, usuram liberam faceret, non minus quam consilium ipsum; quod in destructionem potius, quam in perfectionem vergere nemo non videt? Consilio enim perfectionis libero a plerisque prætermisso, u-

furam

furam item liberam citius arripient, & præferent, sicque Christus perfectiorem justitiam exacturus a suis præ justitia Hebręorum, Evangelicę legi male nimium consuluisset, ruborique Christianis esse posset ipse Hebręorum vulgus, qui ex Mosaica lege hac in re perfectius aliquid supra Christianos posset ostendere. Satius, & utilius fuisset solum pręceptum usuram vetans confirmare, quam perfectionem consilii addere, quę pręceptum illud destruens, usurę vitationem ad consilium redegisset. Hoc itaque cum incredibile, & Evangelico textui adversum maxime sit; nihil reprehendendi erunt ab adversariis SS. Patres, qui Christianam perfectionem antiquę legis confirmationi additam ex hoc Evangelico testimonio inculcarunt; sed ii ex adversariis potius maxime reprehendendi, qui rem tam apertam, crassissimo errore prępediti, vel non vident, vel videre nolunt, nihilque ex Evangelio suppetere, quo antiquum jus usuram prohibens a Christo confirmatum statuatur, pronunciare non verentur. Modica consideratio ad plenissimam persuasionem satis est, ni enorme aliquod pręjudicium, & pertinacia resistant.

## CAP. V.

*Confirmatur superior Evangelici textus interpretatio ex confessione ipsius Claudii Salmasii. Responsiones ejusdem inanissimæ refelluntur.*

### §. I.

*Testimonia, & confessio Salmasii.*

1. Quam sententiam pro confirmatione veteris legis usuram interdicentis ex Evangelio produximus, ea adeo fine vi, immo potius ex ęquissima, & evidenti ipsius Evangelici textus interpretatione profluxit, ut ejusdem interpretationis testem, vel ducem afferre libeat ipsum Salmasium, adversarium inter omnes infensissimum: ac explorata quidem ejusdem testimonia proferam ex ipso opere de fœnore Trapezitico, in quo catholicam doctrinam impugnat. Libro enim secundo fuse loquens de sermone, quem Christus in monte habuit, distinguit inter veteris mandata legis, & Christi pręcepta; illaque adeo confirmata fatetur a Christo, ut non nisi ad perfectiorem, arctioremque illorum observantiam ista addita fuerint: *Hae omnia Christi præcepta*, inquit pag. 284. *ejus generis sunt, ut supra legem videantur esse, sed eo fine, quo melius mandata legis impleantur. Tanto quippe facilius proximum diliget, quod lex jussit, qui a se impetraverit nec inimicum od sse, quod lex permittebat. Per iram non occidet quemquam, qui nec fratri quidem irasci sustinebit, quod Christus præcepit &c. Quò spectant omnia illa præcepta ad legis præscriptum, quasi ultra mensuram & regulam pro cumulo addita, ut ad observandam legem ipsam magis constringerentur homines*. Et pag. 302. *præcepta dominica* iterum memorat, *quæ veteri legi non derogarent, sed ei potius strictiorem observantiam adrogarunt*: *seu quæ*, ut loquitur pag. 304. *veterem legem intendunt, & fortiori nodo ad eam custodiendam conscientias adstringunt*. Ac tandem expressius confirmationem adstruens pag. 305. *Dominus non tantum suis præceptis præcepta legis confirmat, sed etiam auget, exaggerat, intendit*. Quid pręclarius catholici dogmatis vindex potuisset dicere, ut omnium veteris legis præceptorum, quibus Christus in hac concione perfectionem adjecit, confirmationem assereret? Id autem ab insigni adversario sola veritas, & literalis vis Evangelici textus potuit exprimere, ut nemo de interpretatione

vio-

violenta suspicari queat. Inter antiqua autem præcepta, quibus perfectio a Christo addita est, mutuum gratuitum, idest sine usura, invenitur, ut & adversarius fatetur pag. 300. & 306., unde pag. 281. explicans Evangelicum versiculum 34., ubi Christus peccatores Judæos peccatoribus mutuum dare dixit τὰ ἴσα *tantum recepturi, hoc est sine usuris. Nec enim*, subdit, *aliter per eorum legem licebat Judæum dare Judæo, cum usura inter ipsos a Moyse essent vetita*. Hoc ergo præceptum vetus pariter confirmatum manifestissime sequitur.

2. Solum de novis Christi præceptis ad antiquorum perfectionem additis quæstionem movet pag. 302., num ea consilia, an præcepta sint, eorumque opinionem rejiciens, qui consiliis hæc adjiciunt, omnia, & antiqua, & nova, præcepta esse contendit, hoc uno discrimine, quod antiqua omnes vel hodie Christianos obligent, ut olim Judæos omnes ligabant; nova autem, veluti perfectiora, iis tantum data sint, qui ad perfectiorem gradum vocantur, ac præsertim discipulis, & eorum successoribus Clericis. Sic enim ille pag. 307. *Non tamen hoc inter mandata legalia, & dominica præcepta discriminis statuendum est, ut illa pro decretis, quæ necessario fieri oporteat, hæc pro consiliis accipienda sint, quibus liberum sit unicuique non obsequi. Respectu personarum, quibus utraque dicta sunt, differentia inter se constituenda est. Lex* (idest præcepta veteris legis, quibus Dominus perfectionem addidit) *omnibus posita est, quia juri naturali, & morali consentanea est, & proinde omnes obligat, ut Judæos olim, quibus data est, ita & hodie Christianos, quia Christus eam etiam cum ἐπιτάσει confirmavit*. (Nota rursum confirmationem) *Sed illa dominica præcepta, quibus legalia mandata Christus ad majorem deduxit observationis rigorem, non omnibus per illum tradita sunt, sed solis discipulis*. Confer pag. 344. & 345., ubi de ceteris etiam ad perfectionem vocatis idipsum pronunciat.

3. Non multum hic immorabor in refellenda hac distinctione, qua nova Christi præcepta ad solos perfectos porrigit: quæ enim vere præcepta sunt, æque omnibus fuerunt præcepta; quæ autem data non fuerunt omnibus, consilia perfectionis sunt, quæ non ex præcepto, sed ex consilio quivis sequatur, sequuturus solum ex præcepto, cum alia lege, ex. gr. voti, se se illis adstringat, vel cum in necessitatis casibus charitas præcipiat, in quibus casibus ipsa perfectionis consilia in præparatione animi semper præcepta sunt, ut ex S. Augustino inferius monebimus. Neque item laborabo in refutando eo errore, quo præceptis Christi ad solos perfectos, & Clericos porrectis quædam accenset communia omnibus, ac inter hæc ita refert præceptum de repudio non usurpando, nisi ob caussam adulterii, ut solis Clericis post repudium aliam ducere non liceat: nec dubitat ipsis Canonici juris auctoribus, idest Romanis Pontificibus, tribuere, ac succensere, *addidisse eos ad Christi mensuram, & onus adgravasse, quod solis perfectioribus Dominus imposuerat*. Vah hæreticum commentum, quod controversiarum scriptores ex traditione late refellunt! Mihi interim satis est, ea quæ ex lege veteri commemorata fuerunt a Christo, omnia ab eodem *confirmata, & omnibus posita*, ita ut *obligent omnes*, ex genuina, ac necessaria Evangelici contextus sententia, quam ipse Salmasius exposuit, didicisse: ita enim quamvis mutui datio sine spe recuperandæ sortis, quam Christus ad perfectionem mandavit, non semper omnibus præcepta sit; prohibitio tamen usuræ in omni mutuo, quæ ad legem veterem pertinet, *confirmata*, pag. 310.

& omni-

*& omnibus posita*, ita ut *omnes obliget*, negari non possit.

4. Hanc necessariam præmissorum consecutionem, qua totum Salmasii systema prorsus evertitur, ne ille colligeret, unum Christi præceptum mutui sine spe sortis recipiendæ expressum v. 35. ob oculos ponens, molliterque declinans præceptum vetus de usura in mutuo vitanda, satis expressum v. 34., & a Judæis observatum etiam vulgo, cum *æqualia* tantum reciperent, præterivit hoc loco, ubi de confirmatione ejus ex præjactis principiis inferendum erat. Num hoc præterierit inadvertenter, an vero quod evidenti ratiocinationi æqua responsio non suppeteret, ignoro. Certe autem quandiu hoc argumentum, ut ita dicam, Evangelicum non æque solvatur; irrita, & inania erunt, quæcunque aliunde opponentur.

pag. 324. 349. 5. Quanquam Salmasius hoc alibi non præterivit, sed ipsa veritate, & evidentia compellente, profiteri coactus est, & in eo quidem *de Usuris* opere, ubi contra catholicam doctrinam acerbius dimicat. Sic enim c. 20. p. 624. *Certe, ut apud Lucam concepta sunt Dominici præcepti verba, longe etiam magis usurarum latus transverberant. Nam qui de perdenda crediti summa laborare vetatur, quis credat ei concedi pactiones pro credito usurarias facere? Longe est ab eo, qui nihil speraturus de sorte etiam egentissimis credere jubetur, ut ultro paciscatur aliquid supra sortem sibi reddi, de qua melius, & præcepto convenientius periclitaretur. Illud equidem certum est, Dominum non de alio mutuo loqui, quam quod Judæis permissum lege fuit Judæo daturis mutuum. Cui præcepto, ad pleniorem disciplinæ perfectionem, hoc de suo velut auctuarium mensuræ addidit, ut etiam non reddituris* τὰ ἴσα *mutuum credatur, quomodo & aliis firmandis, ut districtior eorum esset observatio, majori ea severitate constrinxit. Etenim qui in difficilioribus regulam tenet, in facilioribus rarius excidit. Qui potest libenter mutuo quod dedit, perdere, dum lucro apponit, si id fervet; aliquid plus vix sibi sperare permittit, & usuris tanto libentius ut careat, a se impetrat.* Nihil luculentius, ut Evangelica perfectio ad Mosaicam mutui legem non destruendam, sed cautius custodiendam addita probetur; unde hic locus *usura latus longe etiam magis transverberat.* Quin idipsum non obscure repetens c. 21. p. 663., Evangelicam perfectionem in eo veterem legem correxisse docet, quod fœnus olim inter solos fratres, ut ipse putat, vetitum, sublato per Evangelium omni inter fratres, & alienos discrimine, par cum omnibus officium instituit: *Fateor, & ipse quoque*, inquit, *quæ officia olim homini Hebræo præstari jussit lex Moysis, & nunc præstanda esse homini cuivis, omni populorum discrimine per Evangelium sublato, & latius porrecto proximi intellectu, si id posset obtineri.* Tum descriptis aliquot antiquorum Patrum testimoniis, quibus ex lege Evangelica omnes omnibus officiis uti fratres habendi sunt, subjicit: *Si Christiani tunc omnes homines, quos Sol videret, cujuscunque Religionis essent, suos fratres ducebant, omniaque in eos humanitatis, & benignitatis officia exercere semper parati erant; quid nos facere oporteret Christianos Christianis? An non eos saltem habere pro fratribus, & amore fraterno diligere, si Turcis id præstare non possumus? Facessat ergo jam usura; & Gallus Hispano, Christianus ut pote Christiano, frater fratri non solum mutuum det absque fœnore id recepturus, sed etiam si id recepturus omnino non sit.* Quod postremum Evangelicam præceptionem respicit.

## §. II.

*Evidens confirmatio, qua clara ex Evangelio traditur, ea sola de caussa perperam eluditur a Salmasio, quia homines ab usuris abstinere nolunt.*

6. POst tam præclara testimonia, quæ veritas evidens etiam ab invito expressit, quis credat fieri potuisse, ut idem Salmasius contrarium simul defensurus, solum Evangelicum consilium perfectius videret, præceptum non videret? Caussam autem, quam ad præceptum hoc nihilominus excludendum affert, si perpendas, insigne præjudicium agnosces, quod probare nemo queat, omnes improbent. Rationem aliam non affert, nisi quod id obtineri ab hominibus per summam corruptionem non potest. *Faciamus hoc*, subdit statim, *si potest fieri. Si Rex est ullus tam potens, ut ad hoc suos possit subditos cogere, ut non dicam hosti, sed civi ita se benignos velint prabere; per me licet, lex, qua id jubeat, sanciatur, & in aternum mansura figatur: nec is sum, qui meliora tantum videnda, ac probanda, non etiam sequenda censeam. Sed esse oportet, qui legi pareant; aliter frustra quod rectum est imperatura.* Quis non miretur eruditissimum, ac perspicacissimum hominem in eludendo Evangelico testimonio, quod per se *clarum* fatetur, hæc objecisse? Totius ratiocinationis summa sic paucis exponitur. Lex Christi, quæ veterem usuræ prohibitionem confirmat, & perficit, per se *clara* est. At cum homines ei parere nolint, est inficianda.

De Usuris c. 21. p. 664.

7. Egregium sane argumentum, quod si ad negandas ipsas humanas leges adversus usuras non valet, quibus, ubi editæ sunt, ut ipse (1) Salmasius concedit, parendum est; multo minus probare potest adversus legem divinam, quæ si Hebræis carnalibus usuram vetandam putavit, quidni vetaret Christianis ad majorem perfectionem vocatis? Num quod Christiani divinæ ejusmodi legi minus obsequi volunt, quam olim Hebræi inter suos obsequuti sunt, illa, quantumvis a Christo *certe* confirmata, *ut apud Lucam concepta sunt Dominici praecepti verba*, obligare desinet? Quot alia non minus difficilia, & a paucis servata Christi præcepta hac eadem ratione delenda essent? Equidem Salmasius eadem ratione a præcepto ad consilii perfectionem revocasse videtur quædam Christi (2) præcepta de inimicorum dilectione, de non aspicienda aliena muliere, ut concupiscatur &c. quæ ad præceptum certissimum pertinere inter catholicos constat. Et ut pro-

(1) Hinc sane ligatos fuisse Hebræos docet lege antiqua, quæ ipsis, tanquam civilis, ac politica lex, usuras vetabat; & lib. de Usuris c. 21. p. 672. fœnus ad civilium legum normam definiendum tradit similiter Gerardus Noodt patronus & ipse usurarum l. 1. de Fœnore, & Usuris c. 11. *Dicendum est*, inquit, *his, qui salutarem Christi sectam amplectuntur, hodie non prohiberi fœnus; modo si ipsorum civili lege non improbetur*. Ex quibus sequitur idem prohiberi, si illud civiles leges improbent.

(2) Vide l. 2. de fœnore Trapez. pag. 304., confer pag. 284. & seq. Et rationem affert pag. 306. *quia omnia, ut ad veterem legem melius adimplendam pertineant, non tamen admissa fuere in regiminis civilis disciplina*: Et iterum pag. 316. *Quoniam nullum constat receptum fuisse in politica regimine Christiana reipublica*. Ac si inobservantia plurimorum legis negandæ argumentum sit.

proferamus etiam exemplum, de quo in hac ipsa usurarum materie cum catholicis convenit, usura pariter vel a pauperrimis in necessitate exacta, quam etiam adversarii ipso naturali jure saltem charitati contrariam (1) agnoscunt, hac eadem ratione licere dicenda esset; nam qui pauperibus mutuum dare sine usuris velint, rarissimi sunt. Scio quidem Salmasium hoc concedere eo nomine, ne, si non liceat, pauperes necessario subsidio priventur, cum *nemo reperiatur* inquit, *qui velit illos gratis extricare*. Ac propterea Calvinistis ipsis objicientibus: *Pauperi gratuita dari debet pecunia, qua sublevetur, & nulla ab eo exigenda usura*, respondet: *Nemo est, qui hoc mallet, quam ego: nec tamen est alius, qui id effici non posse melius videat*. Ne autem, usura vetita, mutuum in necessitate subtrahatur, quod in his hominum moribus sine usura non invenietur, usuram non esse prohibendam contendit, sicut nec mutuum gratuitum in necessitate praeceptum eadem ratione praesumit: *Ostendam quidem*, subdit, *viam, qua id obtineri posset, præter quam nulla alia est, qua nos eo, quo volumus, deducat. Sed vereor ne pauci sint, qui velint eam calcare. Vis usuras tolli, saltem a pauperibus non exigi? Hoc ut fiat, sanciamus etiam legem, ut liceat nemini nummos habenti, mutuos eos poscenti pauperi negare. Si id imperamus ... tum concedam non esse usuras a pauperibus exigendas, atque etiam, si quis velit, prorsus exterminandas. At ridiculum est priusquam illud evincas, remedium, quod inopia constat esse præsentaneum, pauperibus adimere* &c. Similia scripserat l. 1. de fœnore Trapez. p. 9., nec non in Præfatione operis de Usuris pag. 17; & c. 21. p. 669., ubi etiam *hoc charitatis officium* agnoscit: sed *pauci*, inquit, *sciunt id facere quod sibi faciendum esse norunt*; & p. 669. *Deberet quidem id fieri, verum non quærimus jam quid debeat, sed quid possit*, seu melius, ut liquet ex aliis locis *quid velit*; *frustra enim*, inquit in Præfatione p. 18., *quis expectet, ut interdicta mercedis pro usu pecuniæ commodatæ pactione, reperiantur, qui ultro eam gratis dent mutuam*. Quam desperata, sibique contradicens hæc ratiocinatio est! *Charitatis officium, & debitum* quidem ex una parte conceditur, cui scilicet homines pecuniosi satisfacere ex charitate *deberent*: unde similiter lib. 1. de Fœnore Trapezit. pag. 23. *Fateor*, inquit, *non tali auxilio adjuvanda hominum miseria* (per usuram) *opus fore, si charitatem, quam debent, proximo suo præstarent*: & rursum lib. 3. p. 775. *Si omnes Christiani tales essent, quales esse deberent, usuris non esset locus*; & nihilominus ex parte alia, quia homines nolunt huic *debito* parere, negat simul hoc debitum, dum legem vetantem negat. Ergo ex immisericordi quamplurium animo, qui quod *debent* præstare nec in necessitatibus volunt, neganda lex est, quæ misericordiam in necessitatibus certissime præcipit? Ita *certa* Evangelica lex, quæ veterem confirmans, non modo usuram omnem interdixit, sed mutuum etiam, præsertim in necessitatibus, præcepit, num ob immisericordem eorum animum, qui sine usura mutuum ne pauperrimis quidem credere volunt, inficianda erit, ita ut mutuum indebitum, & usura licita in ipsa necessitate affirmetur? Ut pauperum egestatibus provideatur quid dicendum sit, pluribus exponam lib. VI. c. 1.; ut ne usura dici possit ex iis necessitatibus licere, ex quibus lucrum aucupari, & quærere maxime illicitum est. Piget plura afferre ad hanc inanissimam Salmasii objectionem disjiciendam; quæ si vel per adversarios, usuras ex pauperibus exactas certo charitatis præcepto damnantes, falsissima est; non minus falsa esse

(1) Vide Præfat. §. 1.

Lib. 1. de fœnor. Trapez. p. 227.

pag. 6. n. 8.

debet in neganda Christi confirmatione veteris legis omnem usuram interdicentis, quæ, ipso Salmasio fatente, in Evangelicis verbis satis *certe* elucescit.

## §. III.

*Distinguendum inter mutui præceptum, & prohibitionem usuræ. Quid præcepti, quid consilii sit. Salmasius insigni errore ad consilium transfert, quæ in Evangelio præcepti vim habent. Usura vitatio omni casu præcepta est.*

8. Vide porro, ne hoc loco usuræ prohibitionem cum præcepto mutui confundens, ita neges illam semper urgere, uti hoc præceptum non semper obligat. Notum enim est, quantum distet inter positiva, ac negativa præcepta, ita ut hæc sola quovis casu ligent, illa autem non semper. Hinc satis demirari non possum responsionem illam Salmasii, qua ut *certam* Evangelicam usuræ prohibitionem eluderet, hanc non distinguens a præcepto mutui, immo etiam conferens cum aliis Christi præceptis eodem sermone in monte propositis, omnia perinde habenda insinuavit, ut vel æque ligent, vel æque libera sint. Allegat autem, atque confert præcepta, dandum omni petenti, percutienti unam maxillam præbendam & alteram, rapienti pallium offerendam & tunicam &c., quibus semper parendum ait, si semper prohibitioni usuræ parere oportet; & concludit: *Hæc omnia certe eodem spectant, quæ si ad solam usuræ prohibitionem valent, in ceteris irrita sunt; censura veniam corvis dabit, ut merulas æque nigros vexet.* Quid non potest in hominum mentibus præjudicium? Hæ omnes Christi institutiones, quæ beneficentiam, mansuetudinem, liberalitatemque Christianam spectant, non prohibitioni usuræ, sed præcepto mutui pares sunt, quatenus mutuum beneficentiæ species est, quæ non semper est præcepta, sicut nec reliqua ibidem a Christo memorata semper præcepta sunt. In sola præparatione animi omnia semper obligant, ut (1) Augustinus notavit: re autem tum (2) solum obligant, cum sive corporis, sive animæ proximi necessitas exigit. Idipsum in mutuo evenit, ad quod, quoties opus fuerit, præstandum, paratus semper esse Christianus debet, re autem, sola necessitate occurrente, præstandum est ex præcepto, & iis etiam quandoque præstandum, a quibus restitutio sperari non possit. In ceteris autem casibus mutuum dare solius est consilii, quod neminem ligat, sicut & cetera præter necessitatis casum obligant neminem. Evangelica igitur harum Christi institutionum perfectio partim præcepti, partim consilii est.

De Usuris cap. 20. p. 625.

(1) Lib. 1. num. 58. de Serm. Dom. in monte. Vide etiam S. Thomam 2. 2. q. 108. a. 1. ad 4.

(2) Consule S. Thomam 2. 2. q. 124. a. 3. ad 1.

9. Id autem, quod in præcepto mutui, quatenus est beneficentiæ species, locum habet, haud transferendum ad prohibitionem usuræ, cujus vitatio semper præcepta, nunquam libera est. Quoties enim ipse Hebræorum vulgus mutuum daret, sive ex præcepto, sive ex consilio; cum nihil usuræ ex lege percipere poterat, tum nihil, nisi τὰ ἴσα, *æqualia*, idest sine ullo fœnore, ipso Christo testante, recipiebat. Hoc autem veteris legis præceptum universale, constans, & certum penes Hebræos ipsos, non destruisse quidem, sed confirmasse, & perfecisse Christum in Evangelio, ne deterior, sed præstantior esset Christianorum justitia supra justitiam Hebræorum, observationes a nobis propositæ, & ipsi Salmasio agnitæ evidenter convincunt, ut nihil obsit, si mutui dandi semper præceptum non fuerit. Ut Salmasii argumentatio ex aliis Evan-

ge-

gelicis exemplis valeret, aliquod in iis præceptum ex lege veteri, deletum in nova, ostendendum fuerat. At si nihil tale allatum est, nec afferri possit; quid conferre queunt illa exempla, ad certum usuræ præceptum elidendum, quod, nisi singularis exceptio contra evidentissima ipsius Evangelii principia fiat, confirmatum, perfectumque a Christo affirmare debemus?

## §. IV.

*Resolvitur paritas ducta a duobus aliis antiqua legis praceptis, de anno remissionis, & Jubilao. Cur hac confirmata non fuerint a Christo, uti prohibitio usura confirmata fuit. De anni Jubilai, atque Sabbatici ratione.*

De Usuris præfat. &c. 20. p. 608. 20. AT quidni, instat Salmasius, confirmata pariter dici debent duo alia certa veteris legis præcepta, de anno remissionis, & Jubilæi, quæ sane perfectionem habent præcipuam, & ad sublevandos pauperes majoris momenti sunt? Si de naturali jure hic ageremus, reponerem, quia hæc duo per se se naturalis justitia non præcipit, uti usuræ prohibitionem requirit. Sed quando de naturali jure nunc non agimus, quem isthæc objectio moveat, si horum præceptorum rationem veteris Testamenti peculiarem consideret? Quod Jubilæi anno prædia ære alieno gravata ad suos dominos reverterentur, adeo mirum non est, ut ex præcipua prædiorum, atque contractus apud Hebræos ratione aliter juste fieri non posset. Cum enim terra Chanaam Israelitis ita data fuisset, ut ipsi meri usufructuarii, seu feudatarii, non autem Domini ejus essent, ex Lev. c. 25. v. 23. 38. 42. & 55., illam non poterant alienare, ac vendere, ut Diodorus etiam notavit l. 40. Cum itaque pecunia, aut alia re (De anno Jubilæi.) quis indigebat, solos vendebat fructus, cum pacto redemtionis, idque non *in perpetuum* v. 23., sed *juxta supputationem*, idest æstimationem *frugum*, atque annorum, qui ad Jubilæum deerant v. 15. & 16., unde in redemtione ante Jubilæum tantum prætii erat reddendum, quantum respondebat frugibus annorum, qui ad Jubilæum superessent v. 51. & 52. Hac in hypothesi cum Jubilæi anno terminaret omnis emtio, & venditio frugum, quæ sola licebat; injustum fuisset diutius agros retinere, justum vero, ac debitum restituere. Si hæc vendendi, ac emendi ratio præter Hebræos apud quascunque alias gentes fuisset recepta, non aliter fieri juste potuisset. Hujus autem politiæ apud Hebræos instituendæ peculiares rationes fuere, quarum præcipua est, ne confunderentur tribus, idque propter Messiam. Quæ ratio, ad cæremonialem quandam legem in Messiæ futuri obsequium instituta, post ipsius adventum vigere nec potuit, nec debuit.

21. Quod porro de remissione debitorum additur anno septimo, quem *Sabbaticum* vocant; primo incertum est, num hæc remissio, uti præcipitur Deut. 15. v. 2., absolutionem cujuscunque debiti, an meram cessationem, ac suspensionem ejus anni propriam afferret. Idem sane remissionis verbum in Exodo c. 23. v. 11. terræ tribuitur, quæ eo tantum anno Sabbatico quiescere debebat, & similiter forte debebant creditores ab exigendis debitis cessare, ne tum debitores urgerent, cum ex campis quiescentibus annuos illi redditus capere non poterant. Sic non licebat Sabbato debitum exigere ex Isaia 58. 6., quod tamen post Sabbatum licebat. Nec moveant illa v. 2. *Non poterit repetere*, subauditur enim *eo anno*, nam Hebraice est יגש לא, *Ne exigito*, vel *non arctabit*, ut plerique apud Matthæum Polum in- (De anni Sabbatici remissione.)

ter-

terpretantur. Sed quidquid id est, ratio hujus legis notanda ex eodem versiculo 2. *Quia annus remissionis est Domini*, idest quia annus sabbaticus est, hunc præcipuum Dei cultum requirens; & quemadmodum repugnabat sabbatismo, ut ita loquar, dierum debitores urgere, ita & sabbatismo annorum repugnabat. Igitur meri sabbatici cultus hic erat, qui in nova lege sublatus fuit. Nunquid simile in mutui gratuiti præcepto inveniri potest, quod vel Jubilæo, vel sabbatismo conveniat? Nihil hic Judaici cultus est, quod perinde delendum esset in Evangelio, uti duo illa delenda fuere.

12. Sed quid pluribus agendum in re aperta, cum hoc unum mutui gratuiti præceptum in ipso Evangelio confirmatum, & perfectum reperiatur, duo cetera non reperiantur? Num quia hæc duo non inveniuntur confirmata, illud quoque confirmatum negandum est, quod in Evangelio *clare* confirmatum, & perfectum invenitur? Nonne David, & Ezechiel, licet in veteri lege scribentes, cum ea duo præcepta vigerent, hujus tamen unius præcepti, quod usuram prohibet, meminerunt? Hoc unum, tanquam justitiæ præcipuum, ac necessarium, illi accensentes, confirmationem Christi quodammodo prænunciarunt. Hinc etiam traditio Ecclesiæ unam usuræ prohibitionem a Christo confirmatam memorat, de Jubilæo autem, & remissione ne verbum quidem. In tam aperto certi divini Juris discrimine, quid conjectationes inanissimæ possunt?

## CAP. VI.

*Tria alia objecta ex novo Testamento dissolvuntur.*

### §. I.

*Primum ex parabola servi reprehensi, propterea quod pecuniam nummulariis non dedit cum usuris exigendam.*

1. Vehementius fortassis videbitur, quod adversarii ex Evangelica illa parabola obtrudunt, ubi servus piger a Domino reprehensus legitur, quod pecuniam trapezitis ad mensam non dederit, unde ipse Dominus usuras exigeret: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* Luc. 19. 23., seu ut apud Matthæum 25. 27. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est, cum usura.* Hanc parabolam arripiens Salmasius in libris de Usuris, & fœnore Trapezitico, novæ legis institutionem in ea Apostolis, tanquam Evangelii præconibus communicatam exhibet, ut per legem Evangelicam probaretur usura, quæ antiqua lege in alio sermone habito ad Apostolos, uti Hebræos, interdicta præsumitur: *Certe in Evangelio*, inquit, *cum Christus ad Judæos loquitur, & præceptum iis dat, non alterius mutui mentionem facit, quam gratuiti, quale fuit Judæis inter se usitatum, in quo τὰ ἴσα tantum recipiuntur, ut Luca 6. Alibi vero, ubi privatim cum discipulis sermonem habet, quos ad gentes mittebat, quibus usura, jure, quo utebantur, erant permissa, in parabola περὶ τῶ τάλαντα λαβόντων, sub Domini persona servum eum laudat, quod Domini pecuniam fœnore exercuerat, & ex quinque talentis* De Usuris c.21. p. 611.

de-

*decem confecerat, forte duplicata. Alterum vero, qui talentum a Domino acceptum dederat, & sterile detulerat, servi nequam nomine increpat.* Ἔδει οὖν σε λαβεῖν, inquit, τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις, καὶ ἐλθὼν ἐγὼ ἐκομισάμην ἂν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ. *Oportebat te meam pecuniam collocare trapezitis, & ego veniens eam recepissem cum usura.* Hactenus Salmasius, cujus tamen conatus omnis inanis, & irritus est.

2. Nam ut omittam sermonem Domini in monte, ubi mutui gratuiti inter Hebraeos usitati praeceptum confirmatum, perfectumque a Christo fuit, non ad Judaeos, sed ad Apostolos in novae Ecclesiae institutione fuisse habitum, ut ex superius demonstratis manifestum fecimus; parabola certe de servo desidioso, quae objicitur, quantumvis ad discipulorum institutionem directa, ad usurae approbationem nihil pertinet. Num enim id agitur a Christo hac in parabola, ut de usura praecepta tradat, quemadmodum in alio Lucae capite superius consideratio, de perficiendo antiquo mutui gratuiti praecepto usuram vetante ex proposito egit? Nihil minus. Totius parabolae scopus, totaque lectio, atque institutio haec est, ut a discipulis arceat pigritiam, eosdemque ad sollicitudinem bonorum operum excitet. In hanc disciplinam facilius insinuandam, ex Hebraeorum more parabolam affert Domini, qui servos pecuniam sibi a Domino creditam ex cujusque facultate utiliter negotiatos eximio praemio donavit, servum vero inertem, abhorrentemque ab omni negotiationis, labore & cura, in tenebras exteriores projiciendum praecepit. In ipsa autem descriptione parabolae illud de usura refertur, quod *pars parabolae non est, sed supplementum ad ejus explicationem*, ut ex Maldonato ipse Matthaeus Polus observat.

*In parabolis mala ad bonum transferuntur, non autem probantur.*

3. Quod autem in parabolis narratur, & ad spiritualia transfertur, haudquaquam approbatum dici posse ex aliis parabolis liquet, ubi vitiosa quaedam aliquando posita invenies, quae tamen probata nemo dixerit. Quin sicut Dei est ex ipsis malis bonum deducere; ita e malorum hominum gestis, atque exemplis Christianorum animos ad bonum acuere, acriorique veluti stimulo urgere, ut quod prudentes seculi in malo agunt, ipsi lucis filii traducant in bonum, Christi proprium fuit. Sic Lucae 16. parabola affertur de *villico iniquitatis*, qui & laudatur ab hero, ita tamen ut ejus non probetur iniquitas, sed ea ad eruditionem discipulorum transferatur: *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* In qua notat Matthaeus Polus ex Grotio: *In facto, in quo non potuit Dominus non probare solertiam dispensatoris; atque in hac solertia sita est vis similitudinis, non in facti improbitate*; & post pauca ex Beza: *Partes hujus parabolae non sunt premenda ultra Christi scopum, qui etiam cum fure confertur.* Similiter cap. 18. ejusdem Lucae parabolam Christus proposuit iniqui Judicis, *qui Deum non timens, & homines non reveritus*, pauperem viduam audire nolebat, & non amore justitiae, sed taedio, & importunitate motus illam tandem admisit. Simile quiddam non deest cap. 15. His autem parabolis si non probatur malum, quod mere relatum ad usum bonum traducitur, quid in parabola desidiosi servi probata dicetur usura?

*In objecta parabola improbatur potius usura.*

4. Quanquam si totius parabolae contextus, & usurae memorandae occasio, & ratio consideretur, usura non probata, sed potius improbata videri potest. Sermo est de Domino, qui peregre profecturus, pecuniam inter servos distribuit *secun-*

*eundum propriam* cujusque *virtutem*, ideft facultatem, peritiamque negotiandi; quæ sane verba præcipuam cujusque *virtutem* respicientia, ut major, vel minor pecuniæ summa traderetur, pecuniam ipsam ad negotiationem, non autem ad fœnus exercendum, traditam ostendunt: ad quamlibet enim summam collocandam in fœnore, quod *quaestuosam segnitiem* vocat Plinius, quivis satis est, ut ne major *virtus* pro majore summa requiratur. Id autem contra Salmasium notandum fuit, qui servos *pecuniam fœnore exercuisse* ad majorem usuræ commendationem pronunciavit. Enimvero alii servi in pecunia tradita naviter *operati* ἐργάσατο, negotiationem laboriosam fecere, ex qua multum lucrati, sortem duplicarunt. Solus piger, ac desidiosus servus, ne hunc negotiandi laborem subiret, pecuniam in terra sepelivit, ut, licet sine lucro, integram tamen Domino redderet. De hac pigritia reprehensus, ut se aliquo modo purgaret, culpam in Dominum ipsum rejiciens, duritiem, & iniquitatem ejus accusavit, quia lucrum omni ratione etiam per nefas exigeret: *Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti: & timens abii, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est*. Ad hanc calumniam Dominus indignatus, eam non statim refellere, sed in ipsius servi caput primum retorquere voluit. Itaque non probans quidem iniquitatem, quam sibi servus objecit, sed stulto respondens juxta stultitiam suam: *De ore tuo te judico, serve nequam*, inquit, apud Lucam c. 19. v. 22., ubi eadem, vel similis parabola in similem sententiam affertur: *Sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminavi. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* Quibus concinunt illa apud Matthæum c. 25. v. 26. *Serve male, & piger, sciebas, quia meto ubi non semino, & colligo ubi non sparsi. Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego accepissem utique quod meum est, cum usuris*. Illa *de ore tuo te judico*, nonne innuunt, Dominum, non ex suo quidem sensu, sed ex ipsa servi responsione, qua iniquitatem Domino imposuerat, ad damnationem ejus argumentum ducere? Hæc enim formula proverbialis est, cui similis illa Job. 15. v. 6. *Condemnabit te os tuum, & labia tua respondebunt tibi*: nec non illa Matth. 12. v. 37. *Ex verbis tuis condemnaberis*. Agebatur porro hac in hypothesi de duobus, de segnitie, & metu servi, qui ex segnitie quidem negotiationis laborem, ex metu autem perdendæ pecuniæ periculum refugiens, pecuniam abscondendam duxerat: & de iniquitate Domini, qui dum lucraretur, alienum etiam, quod nulla justa ratione sibi debebatur, colligendum putabat. Utrumque autem servus, si vere Dominum timuisset (ut tota ejus præferebat excusatio) conciliare poterat, si pecuniam tradidisset nummulariis ad mensam. Sic enim lucrum sine ullo labore, & sine periculo rediisset per usuras, quæ etsi lucrum sint inhonestum, ac injustum, dignum tamen, & congruum sunt lucrum ejus iniqui Domini, qui *tollit, quod non posuit, & metit, quod non seminavit*: quę quidem usurario lucro conveniunt. Audiatur Joannes Ligthfoot adversarius minime suspectus, hujus loci interpres in *Horis Hebraicis* in Matth. c. 25. v. 27. *Talenta servis non tradidit Dominus eo fine, ut e mensa fœneratoria lucrum, & redditum reciperent, sed ut per mercaturam, & honestam negotiationem quaestum facerent. Servo solum ignaro responsionem hanc rependit replicationi sua accomodatam. Tu avarum, rapacem, sordidum me repu-*

Lib. 33. Hist. natural. nu. 14.

tas.

*tas. Quare ergo modo his moribus congruenti, fœnore scilicet, & usura, non usus es, si honesta negotiatione uti nolles, ut aliquod incrementum pecunia mea ministrares mihi potius, quam omnino nullum?* Quis igitur hac in responsione, ex ipsis servi verbis, & judicio sumta, iniquum iniqui Domini lucrum indicatum videns, usurę approbationem, & non reprobationem potius deprehendat? Verum Dominus servi calumniam ipso facto repulsurus, ut se ostenderet non eum iniquum avarum, qui sibi appeteret, & captaret aliena, sed liberalem potius, & munificum, qui suum pariter in ipsorum servorum utilitatem converteret; talentum a servo inerti sublatum, ei servo, qui magis laboraverat, dari jussit: *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. Omni autem habenti dabitur, & abundabit; ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* In hac literali hujus parabolæ interpretatione, quæ ab ipsis literatissimis heterodoxorum probata, adversariis displicere non potest, cum nihil sit, quod usuris prosit, sed multum potius, quod noceat; nonne irritus redditur omnis Salmasii conatus, cum exinde peculiarem Christi doctrinam in usuræ approbationem eliciens, apertam ejusdem Christi institutionem, quæ veterem de usura legem apud S. Lucam confirmavit, perfecitque, infirmare studuit?

§. II.

*Alterum ex Luca c. 12. versu 58., quem versum Salmasius de solutione usurarum interpretatur.*

5. Neque vero est, quod multum laborem in illo Lucæ 12. v. 58., ubi certo debitori, quem creditor ad Judicem trahit, dicitur: *In via da operam liberari ab illo, ne forte* &c. Salmasius ἐργασίαν Græce pro *usura* accipiens, reddit: *Da usuram, quo ab illo libereris. Hoc enim justum, æquumque*, inquit, *ut qui non potest ad diem debito respondere, saltem usuram ei rependat:* idque *justum* a Christo affirmatum præferens illis versiculi antecedentis verbis, *quid autem & a vobis ipsis non judicatis quod justum est?* hoc in approbationem usurę detorquet, inquiens: *Hac parabola argumento etiam esse potest, Dominum non improbasse usuras.* At hoc vers. 57. *justum*, Gręce δίκαιον, hìc non proprie est, inquit Grotius, quod *justum* dicitur, *sed quod fieri convenit, quodque rationi est consentaneum*, ut Phil. c. 1. v. 7., & alibi. Ἐργασία vero, etsi usuram significaret, illud non usuram per se justam adstrueret, sed congruum probaret, ut quis a creditore oppressus usuram citius solveret, quando debito solvendo impotens metueret, ne in carcerem conjiceretur a judice, *donec novissimum minutum reddat* ex vers. 59. Sola solutio usurę in casu necessitatis ad summum probaretur, non autem exactio. Lib. de Fœnor. trapez. pag. 438.

6. Verum ἐργασίαν *operam* hoc loco significare, qua antequam judex adeatur, cum ipso adversario omne litigium componendum suadetur, liquet ex eadem, vel simili parabola apud Matthæum c. 5. v. 25., ubi iis verbis idipsum exprimitur, quibus non de usura, sed de compositione cum adversario privatim ineunda præcipitur: Ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου, *Esto consentiens*, idest fac convenias, compone, transige *cum adversario tuo, ne forte tradat te adversarius judici &c.* Sic plerique commentatores etiam heterodoxi interpretantur. Congruit sane tota utrobique sententia. Non enim hìc docet Christus homines, quomodo sit in litibus agendum; nam hoc illi optime norunt;

ſed ex iis, quæ homines in controverſiis ejuſmodi agere ſolent, quid in ſalutis negotio agendum ſit, inſinuat, ac per imperativum brevius docet, ut ſenſus utriuſque loci ſit: *Cur non vos ipſos imitantes, eandem prudentiam, quam in humanis adhibetis, in divinis non utimini? Neque enim tam ſtulti eſtis, ut in judicio contendere velitis cum eo, qui certam habet actionem, nulla exceptione elidendam; ſed cum eo privatim componere mavultis, quod mitioribus conditionibus poſſit, ac ſoleat paciſci, atque remittere ei, qui agit in tempore: judex autem ſummo jure, ac ſine gratia pronunciare cogatur. Quidni eadem œconomia cum Deo agitis, ut prius cum eo componatis, antequam dies judicii, quod inſtat, adveniat?* Iſtam parabolæ hujus ſententiam Grotius, Caſtalio, Lucas Brugenſis, & alii præferunt, ut nullus uſuræ locus ſit.

## §. III.

*Tertium ex Jeroſolymitano Apoſtolorum Concilio, ubi inter neceſſaria veteris legis præcepta in Evangelio ſervanda, uſura prohibitio non recenſetur.*

7. Aliam objectionem non contemnendam Salmaſius toto niſu intorquet ex Apoſtolico Jeroſolymorum Concilio, ubi cum ea in controverſia, quæ inter quoſdam Judæos, & Gentiles ad fidem converſos excitata, utrum lex Moyſis obſervanda eſſet Gentibus Chriſtianam fidem amplectentibus, an abjicienda, ſive in toto, ſive in parte; cum, inquam, in hac controverſia idem Concilium definiſſet, nihil ex ea lege imponendum, *niſi hæc neceſſaria*, ut abſtinerent omnes ab idolothytis, a fornicatione, & a ſuffocato, ac ſanguine; Salmaſius his negativis præceptis non omnia quidem crimina, quæ alias omnibus, & Judæis, & Gentibus lumine naturali illicita cognoſcebantur, ſed ea tantum vetari interpretatur, quæ Judæis quidem erant interdicta, & a Gentibus licita cenſebantur, ut ſane licitam iſtos putaſſe fornicationem ſimplicem, non minus quam idolothytum, ſanguinem, & ſuffocatum pluribus ſtatuit. Cum vero uſuram Hebræis vetitam Gentes putarent licitam, nec tamen hujus prohibitio inter *neceſſaria* accenſita ſit eo Jeroſolymitano decreto; hanc non neceſſariam in novo Teſtamento eſſe Salmaſius concludit: *Lex illa Moſaica*, inquit, *de uſura inter fratres non agitanda nullo modo Chriſtianos, quantumvis fraterno nomine ſe invicem compellantes, conſtrinxit. Quandoquidem regula illa Apoſtolica Gentibus ad Chriſtum venientibus data, quæ omnia neceſſaria, quibus abſtinendum eſſet, complexa eſt, nihil de ea expreſſe cavit.* Magna in ſpeciem oppoſitio, ſed reipſa inanis eſt.

pag. 466. l. 1 de fœnor. Trapezit.

pag. 467.

*Vis argumenti infringitur alio exemplo rei illicitæ, & nihilominus omiſſæ in decreto Jeroſolymitano.*

8. Hæc enim ratiocinatio ſi quid probaret, probaret etiam ultionem, & odium in eos, qui nos injuſte impetunt, eſſe permiſſum: eum hæc quidem vetita Judæis Levit. 19. v. 18. Gentiles tamen licita putarent. Hinc Ariſtoteles inter Græcos paſſim ἀμύνην virtutibus accenſuit, & Cicero inter Latinos de Offic. lib. 1. *Juſtitiæ primum munus eſt, ut ne cui noceat, niſi laceſſitus injuria.* Quibus reſpiciens S. Ambroſius l. 1. de Offic. c. 27., de Gentium Philoſophis ait: *Dicunt illi eam primam eſſe juſtitiæ formam, ut nemini quis noceat, niſi laceſſitus injuria.* Quare etiam Themiſtius orat. 9. *ſermonem a multis probatum* refert, *amicis bene faciendum, inimicis vero male faciendum:* cui principio apud vulgum obtinente, quidam tantum e ſapientibus, atque Philoſophis reſtiterunt. Alia nonnulla allegari poterunt, quæ apud Hebræos illicita, etſi a Gentibus licita habebantur, non tamen in Apoſtolico decreto interdicuntur. Quidquid autem ad hæc reponet Salmaſius, aut

aut quicunque Salmasii sectator, id objectionem ejus de usura omnino disjiciet. Hinc sane evidens est non omnia illicita, quæ apud Gentes licita vulgo æstimarentur, in decreto Apostolico notata fuisse, ac propterea *τὸ prater hac necessaria* non omnia complectitur, quæ vetita haberi debent.

Interpretationes variæ ejusdem decreti.

9. Plura in hanc rem conciliandam allegari queunt. Quidam enim, cum Junio in Parallis, tria rerum prohibitarum capita Apostolicis literis interdici observant, ex quibus primum de idolothytis, seu idolis, ex priori tabula sumtum, secundum vero de fornicatione sumtum ex tabula secunda, utriusque tabulæ, ac proinde totius legis moralis observationem mandare existimant; tertium autem de sanguine, & suffocato vetitum ajunt propter infirmam aliorum conscientiam. Itaque in hac sententia usuræ prohibitio exclusa eo solo nomine dici nequit, quod expressa ejus mentio in Apostolicis literis facta non fuerit. Eadem fere ratione hæc usuræ prohibitio includi potuit in illa generali præceptione: *Quæ vobismetipsis fieri non vultis, ceteris ne faciatis:* quæ quidem verba post vocem *a sanguine* nonnulli Græci codices, & antiqui etiam Patres, Irenæus, Cyprianus, aliique in Apostolico decreto exhibent. Ludovicus Capellus apud Matthæum Polum *idolothyta* tantum, *&* *fornicationem* idcirco commemorata putat, quod *jam tum forte gliscere inciperet in Ecclesia Nicolaitarum error, qui utrumque horum licere dicebant, ut liquet ex Apocal. 2. 14. 15.*, cetera autem de sanguine, & suffocato, *ut daretur aliquid infirmitati Judæorum fidelium, qui ab his vel maxime abhorrebant, nec facile conviverent cum iis, qui istis vescerentur.* Alii tandem, & forte probabilius, legales ritus tantum, quos *quidam de Hæresi Pharisæorum* imponere nitebantur ex. v. 5., *oneris* nomine in Apostolico decreto appellatos, credunt, uti *onera gravia, & importabilia* illos etiam appellavit Christus Matth. 23. 4. Enimvero de solis legalibus ritibus mota, & ad Concilium delata fuit quæstio. Cum itaque definivit Concilium *nihil ultra imponendum, prater hac necessaria*, de solis cæremonialibus, ad quos usura non pertinet, ritibus tota definitio fuit, ita ut ad cæremonialia spectare debeat eorum exceptio, quæ pro ratione scandali *necessaria* eo tempore judicata sunt. Perspicuum id est de idolothytis, de sanguine, & suffocato, quæ cum per se liceant, sola scandali ratio eorum prohibitionem tandem *necessariam* efficere potuit, quandiu scandalum impenderet. De una fornicatione difficultas est, quum præsertim in Græco originali πορνεία scribatur, quæ vox non solum *fornicationem* significat, quam Gentes licitam credebant, sed *adulterium* etiam, uti apud Matthæum sumitur c. 19. v. 9., & apud Græcos frequenter, immo & omnem *immunditiam contra naturam*, uti Hammondus putat: quæ sane nec a Gentilibus inter licita censebantur. Itaque ut huic voci justus sit locus inter legalia *onera*, de quibus tantum quæstio erat, alii cum Daniele Heinsio πορνείαν significare hoc loco putant mercedem scortationis, quam sibi offerri Deus vetuit Deut. 23. v. 18., prout vox illa apud Athanasium adversus Gentes accipitur: alii autem cum Joanne Lightfoot in Chronic. pag. 99., & cum Hammondo, connubia in gradibus a lege prohibitis contracta intelligunt, quæ eodem vocabulo πορνεία Paulus nominat, 1. Cor. 5. 1., nec tamen omnia naturali jure vetita sunt.

10. Sed quæcunque ex his, vel alia, quæ excogitentur, responsa placeant; nihil certe ex eo Apostolico decreto confici poterit, sicut pro vindicanda ultione, & odio ini-

micorum, quæ prætermissa ibidem fuere, ita nec pro usura ex eo purganda, quod inter necessaria recensita non fuerit. Quod si dicas satis de ultione, & odio cautum fuisse celebri illo sermone Domini in monte, quo de diligendis inimicis Christus præcepit: cum satis etiam de usura cautum fuerit in eodem sermone, ut superius ostendimus, par utrobique ratio, ac responsio est. Enimvero si nihil de confirmata prohibitione in novo Testamento reperiretur; hæc oppositio Salmasii, etsi negativa, probaret fortassis aliquod. At adversus confirmationem Christi evidentem ex Lucæ Evangelio, quid probare potest merum Apostolici decreti silentium, quod tot præterea interpretationibus explicari potest?

## §. IV.

*Concluditur de confirmata prohibitione usuræ in testimonio Lucæ, in quo vox* nihil, *quatenus & ad sortem, & ad usuram referri queat, explicatur.*

21. Nihil ergo ex sacris novi Testamenti libris obsistente, ab ea ipsius Salmasii confessione non est discedendum, qua *certe, ut apud Lucam concepta sunt Dominici præcepti verba, longe etiam magis usurarum latus transverberatum* professus est; quemadmodum ex ipsius verbis initio hujus capitis descriptis audivimus. Itaque ad nos quoque porrecta veteris legis prohibitio circa usuram agnoscenda est, ut eam idem adversarius eo Lucæ loco *certe* confirmatam vel invictus debuit affirmare: nec nisi inanibus, quæ hactenus exsufflavimus, nebulis tam apertæ veritati objectis abductus est. Nemo qui ratione, & non præjudiciis ducatur, hunc ducem tam manifeste errantem sequetur.

22. Sed ut observationes de Evangelico Lucæ testimonio concludam, quatenus illa Christi, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, prohibitionem usuræ exprimant, vel contineant, ex hactenus dictis, ut arbitror, liquet. Etsi enim *τὸ nihil* ad capitale referri possit, cum tamen hoc loco vetus usuræ prohibitio confirmetur, ad usuram quoque referendum agnoscitur. Itaque *nihil* utrumque complectitur, & lucrum, & capitale, hoc uno discrimine, quod quatenus *nihil* lucrum indicat, confirmatio veteris legis est, quæ strictam usuræ prohibitionem continet; quatenus vero refertur ad capitale, perfectio est novi Testamenti, quę in pręparatione animi semper pręcepta, in solis casibus necessitatis obligat, in aliis autem casibus meri Evangelici consilii est. Hinc ergo nihil pugnans tradiderunt Patres, cum, pro circumstantiarum varietate, modo unam, modo alteram hujus loci interpretationem protulere; iis autem, qui prohibitionem usurę inde collegerunt, nihil est succensendum, ac si minus propriam, & ab Evangelico textu alienam, falsamve interpretationem deprompserint. Immo vero si minus evidens quibusdam videretur Evangelicum testimonium, quod aliam interpretationem capitale respicientem suscipere potest; Pattum, & Ecclesię traditio, quę interpretationem de usura probavit, omnem dubitationem deberet repellere; ac propterea, ut omnem usuram in novo Testamento, non minus quam in antiquo, vetitam fateantur, si non Evangelium solum, ipsa saltem traditio satis esse deberet, quę sane constans, & aperta est, uti celeberrimus Meldensis Episcopus Jacobus Bossuetus in eum Lucę versiculum jure scripserit: *La tradition constante des Conciles a commencée par les plus anciens, celle des Papes, des Peres, des Interpretes, & de l'Eglise Romaine est d'interpreter ce verset comme prohibitif du prêt, qu*

Seconde Instruct sur les passages particuliers de la version du noveau Testament imprimee a Trevoux l'an. 1702.

*qu' on tire du prest* inde, *c' est a' dire de l' Usure*. Latine: *Constans traditio Conciliorum, etiamsi ab antiquissimis exordiamur, illa Pontificum, Patrum, Interpretum, & Ecclesia Romana interpretatur hunc versiculum uti prohibentem lucrum, quod inde, idest ex mutuo percipitur, videlicet usuram*. Verum de traditione ipsa ex proposito agendum, ut qui Evangelio non cedunt, traditioni cedant.

## CAP. VII.

*Traditione idipsum divinum jus probatur.*

1. Cùm traditio non minus sit verbum Dei, quam Evangelium, atque Scripturæ canonicæ; si quis jus divinum omnem usuram prohibens in novi Testamenti libris non plane videat, traditioni certe, quæ idem jus manifeste, & perpetuo asseruit, manus dabit. Soli Hæretici, qui traditionem negant verbum Dei, Evangelium tantum, & Apostolorum scripta audire volunt: & sicut hac ratione plura alia Ecclesiæ dogmata traditione palam firmata repudiare non dubitant, ita nihil mirum, si dogma de usura divino jure in novo etiam Testamento vetita, quod traditione pariter statuitur, refutare non vereantur. Nonnulli quidem, ne hanc traditionis auctoritatem viderentur excutere, faciliusque errorem in animos hominum etiam catholicorum insinuarent, Patrum, ac traditionis testimonia aliorsum explicare conati sunt. At alii nonnisi per summam vim id posse fieri intelligentes (aperta enim nimis Patrum testimonia sunt) hæretico plane sensu Patrum, ac traditionis auctoritatem, veluti jugum non ferendum, traducere, ac traditam illorum de usura doctrinam, inter traditionis, uti appellant, errores accensere non dubitarunt. Audiatur inter omnes Barbeyrachius, qui postquam in præfatione ad Pufendorfii opus de jure naturali, & Gentium, Patrum errori dedit usuram vetitam tradere, not. 6. in cap. 7. libri 5. suis etiam Protestantibus, qui usuras damnant, vitio vertit, quod Patrum auctoritate se duci sinerent: *Voilà effectivement le noeud de l' affaire: & ceux qui aujour d' hui osent bien, quoy qu' ils fassent profession d' être Protestans, se dechainer en invectives grossieres contre les Partisans de l' opinion reçue dans leur Parti, temoignent assez que l' interet des Peres leurs tient au coeur. Mais ils ont beau faire. Toutes leurs declamations, & tous leurs emportemens ne servent qu' a faire voir que la lecture des Peres est capable de gâter le coeur, & l' esprit, sur tout lors qu' on se trouve d' un temperament bilieux, et qu' on a pris soin de cultiver sa memoire, plustôt que son jugement. Si ces gens la ont tant de zele pour la gloire des Peres, qu' ils ne puissent soufrir qu' on juge d' eux long temp apres leur mort aussi librement que d' un Auteur du siecle passé, ils n' ont qu' a nous prouver par des bonnes raisons, ou que les Peres étoient infallibles, ou qu' ils ne sont pas capables des erreurs, qu' on leur impute.*

2. Cui hæc tam impudentia, & temeraria dicta, quibus, una cum Patribus, ipsa traditio, seu ipsum traditum Dei verbum, expungitur, atque contemnitur, horrorem non ingerant? Non est hic locus vindicandę traditionis, & probandi ipsam esse verbum Dei, quod apud celeberrimos controversistas luculenter demonstratum invenies. Hoc autem fundamento in prçsentiarum sumto soli pertinaces hçretici aperte SS. Patrum traditioni, quam de divino circa usuram jure expositori sumus, resistere poterunt. In hanc vero rem non omnia traditionis testimonia adversus usuram producam, sed illa tantum, quę divi-

num

num jus expresse asserunt: ex his enim simul liquebit, quo jure usuram damnarint tot aliis in locis, in quibus de damnandi jure nihil pronunciarunt: unde vel Salmasius fateri debuit l. 2. de Fœnor. Trapez. p. 237. *Certum est porro omnes, qui quandocunque usuras illicitas esse crediderunt, non alio fundamento earum interdictionem superstruxisse, quam quod putarunt verbo divino esse vetitas, idest divino jure.*

## §. I.

### *Testimonia ex Patribus Antenicanis.*

3. INitium petam a S. Justino Martyre, qui in Apologia 1. ad Antoninum Pium, quæ vulgo secunda nuncupatur, inter non pauca, quæ in commendationem præceptorum Christi, ad Christianæ Religionis defensionem, adducit, Evangelicum mutui gratuiti præceptum, ex Christiana justitia supra vulgarem Publicanorum justitiam, perficiendum refert: *De communicatione facultatum cum egentibus, & quod nihil sit ad gloriam aucupandam faciendum, hæc Christus præcepit: Omni petenti date, & mutuo sumere volentem ne aversemini. Si namque his mutuo datis, a quibus vos recepturos speratis, quid novi facitis? Faciunt hoc & Publicani.* Ubi Evangelium *peccatores*, idest vulgares homines, appellavit, *Publicanos* Justinus idcirco fortassis supposuit, ut eos indicaret, qui Romano Imperatori, ac Gentibus noti erant. Hi autem inter Gentes mutuum dare non solebant, nisi sub fœnore, a quorum more cum abesse debeant Christiani, ex eo, quod Christus *præcepit*; hos ex præcepto Christi mutuum dare debere insinuat sine usura, immo (ubi necesse sit) sine spe ipsius sortis recipiendæ.

Lib. 1. c. 19. 4. Apertior est Tertulliani locus in libris adversus Marcionem. Hic hæreticus duos Deos fingens, bonum unum, alterum malum, huic legem veterem, illi Evangelium tribuebat. Hocce commentum ut refelleretur, veteris legis, & Evangelii consensio ostendenda fuit. Itaque Tertullianus, cum in hanc consensionem statuendam moralia quædam utriusque Testamenti præcepta inter se comparat, quæ ita vigent in utroque, ut tamen in Evangelio major perfectio promota fuerit: tum vero ex Lucæ Evangelio, quod unum Marcio admittebat, præceptum Christi de mutuo cum iis, quæ de simili officio in lege præcepta fuerant, conferens, nihil ab illo detractum, sed perfectius aliquid potius adjectum statuit l. 4. c. 17. Primo enim illud Christi mandatum de mutuo proponit: *Et si fœneraveritis a quibus speratis vos recepturos, quæ gratia est vobis?* ubi *fœnerare* pro *mutuum dare*, sicuti, & *fœnus* pro *mutuo* a Tertulliano accipitur. Dein, ut consonam probet veteris Testamenti doctrinam, hæc subjicit: *Percurre sequentia Ezechielis de eodem viro,* Justus pecuniam, *inquit*, suam fœnori non dedit, & quod abundaverit, non sumet; *fœnoris scilicet redundantiam, quod est usura. Prius igitur fuit, ut fructum fœnoris eradicaret, quo facilius assuefaceret hominem ipsi fœnori, si forte, perdendo, cujus fructum didicisset amittere. Hanc etenim dicimus operam legis fuisse procurantis Evangelio. Quorundam tunc fidem paulatim ad perfectum disciplinæ Christianæ nitorem, primis quibusque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat.* Quæ mutui gratuiti lex in Testamento veteri primum fuit *balbutientis adhuc benignitatis* præceptum, quod *ad perfectum disciplinæ Christianæ nitorem paulatim informabat, ut prius eradicaret fructum fœnoris*, idest mutui, sicque *facilius assuefaceret hominem ipsi fœnori perdendo, cujus fructum didicisset amittere*. Quæ, inquam, veteris Testamenti lex hæc præcepit con-

sen-

sentiens utique cum Evangelio probatur, ut erat Tertulliani scopus, & ita consentiens, ut perfecta quidem, non autem destructa per Evangelium, Tertulliano teste, fuerit, ne tota ipsius argumenti vis elidatur. Salmasius sane de usuris cap. 20. p. 623. Tertullianum inter eos Patres refert, qui ea *Domini verba jugulum usuræ petere* existimarunt. Jus ergo divinum legis veteris Christi præcepto confirmatum Tertullianus agnovit.

5. S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi c. 10., postquam eum Ezechielis locum retulit, ubi inter alia viri justi officia recensetur, quod *ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit*, hoc veteris legis præceptum *ad institutionem vitæ Christianorum* mox porrigens, nonne in Evangelica lege confirmatum præsumit? En ipsa illius verba: *Hac continent descriptionem institutionis vitæ Christianorum, & convenientem adhortationem ad beatam vitam, & premium beatitatis vitam eternam.*

6. Origenes hom. 3. in Ps. 36., differens de mutuo, & usura, pecuniam humanam, & pecuniam dominicam confert; & hoc inter utrasque discrimen ex fœnore derivans, ut quod fœnus in pecunia dominica liceat, in humana non liceat, humanę pecunię fœnus *verbo Domini* prohibitum affirmat: *Licet ergo mihi fœnerare pecuniam Domini, meam autem propriam pecuniam non licet, quia verbum Domini prohibet humanam pecuniam fœnerari.* Licet vero ille, ex more suo, allegoricum, & spiritalem sensum his nominibus subjiciens, humanam pecuniam intelligat doctrinam falsam, atque hæreticam; tamen in hoc ipso sensu allegorico, qui literalem sensum non excludit, sed notum, & certum potius præsumit, ut aliis ejus testimoniis probare liceret, respicit procul dubio ad divinam legem, quam in literali sensu etiam Christianis vetare usuram manifestum judicavit.

7. S. Cyprianus lib. 3. testimoniorum ad Quirinum, ubi *excerpisse* se ait *de Scripturis Sanctis quadam capitula ad religiosam SECTÆ NOSTRÆ* disciplinam pertinentia, quæ *breviarium præceptorum cælestium haberi possint*, inter hæc *Sectæ nostræ*, Christianæ utique, *præcepta*, uti appellat, *dominica, & magisteria divina* n. 48. ponit *Non fœnerandum*, & ex testimoniis veteris legis probat, quam propterea in nova lege Christianos ligare non dubitabat. *Non fœnerandum. In psalmo XIII. Qui pecuniam suam non dedit in fœnore, & munera super innocentes non accepit. Qui ista fecerit, non commovebitur in æternum. Item apud Ezechielem: Homo autem, qui erit justus, hominem non opprimet, & pignus debitoris reddet, & rapinam non faciet, & panem suum esurienti dabit, & nudum operiet, & pecuniam suam in usuram non dabit. Et in Deuteronomio: Non fœnerabis fratri tuo usura pecunia, & usura ciborum.* Et nota quod in hoc ultimo Deuteronomii testimonio prætermittit illa *sed alieno*, quod hanc *alieni* distinctionem in Evangelio sublatam sciret. Proœm.l.3.

§. II.

*Testimonia ex Conciliis Niceno generali, & Carthaginensi I. plenario.*

8. INsigne præter ceteros est testimonium primę universalis Nicęnę Synodi, cujus canones S. Leo spiritu Dei conditos jure affirmavit. Hęc autem de usura can. 17. *Quoniam multi Clerici avaritia causa turpia lucra sectantes, obliti sunt divini præcepti, quo dictum est*, Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, *fœnerantes centesimas exigunt.* &c. Sic ex interpretatione Dionysii Exigui, quę Gręco textui magis con- Canon Nicęnus.

congruit. *Centesima* erat usura tunc legitima, quam Romanę leges permittebant. Clerici autem cum in hoc reprehendantur, non quod Ecclesiasticam legem vetantem usuras violarent (nulla id temporis, saltem generalis, lex Ecclesiastica, quę Clericos omnes complecteretur, allegari forte poterat) sed quod *divini praecepti* dicantur *obliti*; subjiciatur autem veteris legis pręceptum ex Ps. 14., nonne hoc pręceptum in Evangelica lege non minus ligare a Nicęnis Patribus creditum fuit?

9. Ne hac de re quispiam dubitet, concordibus Latinorum, & Gręcorum commentationibus prętermissis, duorum insignium usurę patronorum confessionem producam. Theologus Brabantinus in Examine pacifico n. 63. et sequ., per figuram concessionis ponit, *Patres Synodi Nicana revera judicasse omnem omnino usuram lege Divina, & siquidem Psalmo XIV., fuisse probibitam, suumque illud judicium Canone xvii. protulisse*. Neque est dubitandum, *an omnes illi CCCXVIII. Patres hoc uniformiter judicaverint, dum canon ille formandus, & condendus proponebatur; adeo ut nulli dictorum Patrum inciderit vel dubium aliquod movere circa illa, qua canone isto definita fuisse hic supponimus*; *nam*, ut ipse Theologus ad hoc dubium eximendum subjicit, *si plures, immo si vel unicus istius definitionis certitudinem vocasset in dubium, is sui dubii rationes reliquis Patribus exposuisset, petiissetque quibus argumentis ex verbo Dei scripto, vel tradito illius definitionis certitudinem probarent. Neque omisissent Patres argumenta petita proferre. fuissentque illius disputationis utrinque allegata inserta Synodi actis; & quamvis illius Synodi acta perierint, vel certe ad nos non pervenerint, vix equidem, immo nullo modo dubitari potest, quin aliquis saltem bistoricorum illius temporis dicta disputationis meminisset, cum per diversos illorum temporum bistoricos bodie noverimus, si non omnia, saltem plurima, qua in Synodo illa gesta, & acta fuerunt. Cum vero nullus notus sit bistoricus, apud quem reperiatur vel verbum, ex quo colligi possit occasione canonis XVII. inter Synodi Patres ejusmodi disputationem ortam fuisse; fundatissime creditur in facta bypothesi, Patres Nicanos sine ulla dubitatione unanimiter judicasse omnem omnino usuram lege divina esse probibitam, & injustam, & quidem ut peccatum tam grave, quod solum ejusmodi peccati reos regno calorum excluderet. Ac deinde Patres illos unanimiter quoque judicasse Psalmo XIV. a Deo revelatum fuisse omnem omnino usuram tale peccatum esse, illamque veritatem a Concilio esse definiendam*, aut potius, (ut Concilii verba ferunt) *oblivifcentibus* inculcandam, *ac re ipsa Ecclesiam in dicta Synodo judicium suum super illa re per canonem XVII. protulisse*.

10. Huic confessioni accedat illa Claudii Salmasii, qui l. 2. de Fœnor. Trapezit. pag. 237., postquam Nicænos Patres inter eos comprehendit, qui cum prohibuere usuras, *certum* esse fatetur, *non alio fundamento earum interdictionem superstruxisse, quam quod putarunt verbo divino esse vetitas*, hanc prętereà observationem subjecit, quia illi usuram omnem inter omnes eodem divino verbo vetitam indicaturi, solum Psalmi testimonium, quod neminem excipit, allegarint: *Mirum autem non aliud usura illicita testimonium ex sacra Scriptura Nicanos illos Patres allegavisse, quam ex Ps. 14. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Atqui poterant ex aliis locis Exodi, Levitici, & Deuteronomii id firmare. An noluerunt, quia illis locis ita vetatur usura Judao in Judaum exercenda, ut permittatur eidem cum gentibus agitanda? Ita sane est.... Hac eadem caussa adducti,*

&

*& aliarum Synodorum Patres, qui usuram vetuerunt, illo ipso testimonio Davidis tantum eam interdictionem stabiliverunt*. Contra evidentem igitur Nicęnorum Patrum mentem, quam & adversarii debuerunt fateri, ille dubitabit, qui divinum jus, omnem, & cum omnibus usuram vetans, in Nicęno canone declaratum non videat.

11. Id autem si semel admittatur, quanti ponderis hęc definitio haberi debet? Hoc sane testimonium, uno licet canone editum, tercentorum decem & octo Patrum, antiquissimę oecumenicę Synodi, ac totius Ecclesię testimonium est, quo quid luculentius in tota antiquitate desiderari possit, non video. Neque refert, quod solas Clericorum usuras illi canonicis poenis coercuerint. Quando enim divinum veteris legis jus post Evangelium quoque obligare judicarunt, hoc satis est, ut sicut illud non solos ligabat Levitas, ita nunc quoque non solos Clericos ligare credatur, uti sane illa Psalmi, quæ recitantur, non Clericos tantum, sed omnes etiam Laicos, immo etiam omnes non Christianos respiciunt, ut ex ipsa Nicænæ Synodi mente idem Salmasius monuit.

Objectio de mentione Clericorum tantum ex sufflatur.

12. Quærent hic curiosius nonnulli, cur Nicęni Patres, qui usuram divino jure veritam credidere, apud Constantinum in Concilio prę sentem non intercesserint, ut revocata lege nuperrime edita circa certum usuræ modum, omnem usuram etiam Laicis vetaret. Importunam hanc quæstionem movit auctor Examinis Pacifici, ac si exinde Nicęni Patres usuram Laicis licere crediderint, quibus peculiari canone non prospexerunt. At quando Patres divinum jus, quod & Laicos complectitur, exploratum, ac certum habuisse, ex ipsa Examinatoris concessione superius descripta, dubitandum non est; quacunque ex caussa (de qua in pręsentiarum cognoscere nihil refert) Laicis peculiari canone non prospexerint, usura profecto licita exinde probari non potest. Nulla Laicis usurariis ibidem imposita pęnitentia, sicut nec ebriosis, incontinentibus, & aliorum criminum reis; nec interpellatus Constantinus, ut legibus usuram, sicut nec ut hęresim, idololatriam, impudicitiam exterminaret: num hęc idcirco innoxia ipsi Patres judicasse censeri possunt? Similes quęstiones evidenti divini juris testimonio, quod & ab adversariis agnoscendum est, nebulas frustra spargunt.

Solvitur alia objectio.

13. Nicænæ Carthaginensem primam Synodum subjiciam, quæ anno circiter 348. habita creditur. In hac autem Abundantius Adrumetinus Episcopus Grato Carthaginensi totius Concilii præsidi proposuerat, num provincialis Synodi decretum circa usuras pro solis Clericis latum, ad universam Africam extendendum videretur. Gratus, qui jam in Concilio Sardicensi sedit, negavit rem hanc Patrum examini, aut voluntati subesse: propterea, quod illa sola, quæ disciplinæ, aut obscuri juris sunt, Patrum sententiam requirant, non vero ea, quæ divino, & expresso jure statuta, ac certa sunt. Talem autem affirmavit legem, quæ usuras vetat, ut ne deliberandi locus sit, num quæ apertissime ex Scriptura divina in omnibus, etiam Laicis, damnata est, in Clericis præsertim sit vitanda. Cui omnes Episcopi ad unum assentientes, usuram *contra Prophetas, & Evangelia* esse judicarunt. Audiantur canonis verba: *Abundantius Episcopus Adrumetinus dixit: In nostro Concilio statutum est, ut non liceat Clericis fœnerari: quod si & Sanctitati tuæ, & huic Concilio videatur, præsenti placito designetur. Gratus Episcopus dixit: Novella suggestiones, quæ vel obscura sunt, vel sub genere latent, inspecta a nobis formam accipient. Etenim de quibus apertissime Divina Scriptura sanxit,* non

De Carthaginensi I.

*non ferenda sententia est, sed exequenda. Proinde quod in Laicis reprehendimus, id multo magis in Clericis oportet prædamnari. Universi dixerunt: Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit sine periculo.* Qui *Prophetas* cum *Evangeliis* in usuræ damnationem *apertissime* consentire uno (*universi*) consensu judicant, jus sane divinum, contra quod *nemo*, sive Clericus, sive Laicus, sive Afer, sive cujusvis regionis vir, sine *periculo animæ* faciat, in novo quoque Testamento *apertissime* vigere definiunt. Hic autem canon iterum recognitus, & approbatus in magna Carthaginensi Synodo ann. 419., cui una cum Sedis Apostolicæ legatis interfuerunt Episcopi 217., ab universa deinde, & Græca, & Latina Ecclesia susceptus fuit. Nam & Dionysianæ collectioni invenitur insertus, quam & Romana, & Occidentalis adhibuit Ecclesia, & Græce etiam redditus cum aliis Africanis canonibus, ac per Joannem Constantinopolitanum in Nomocanonem traductus, non tam Orientalis Ecclesiæ moribus, & usu, quam Concilii Quini-sexti canone secundo approbatus fuit. Hoc itaque Carthaginensium Patrum judicium, quo divinum jus usuram *apertissime* interdicens asseritur, catholicum totius Occidentalis, ac Orientalis Ecclesiæ judicium habendum est.

Quantæ auctoritatis ut

## §. III.

*Ex SS. Athanasio, Hilario, Basilio, Gregorio Nysseno, Ambrosio, & Hieronymo.*

Expos. in Psal. 14.

14. S. Athanasius Christianorum institutionem sumens ex Psalmo 14., ubi quæritur: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* exinde nos doceri ait, *quibus modis beatum hunc finem consecuturi simus;* singulaque eo in Psalmo descripta, Christianis ad salutem necessaria ostendens, inter cetera nono loco recenset, *si non fœneremur*, ubi procul dubio ad illa ejusdem Psalmi respicit: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*; quæ propterea eodem jure divino, quo olim Hebræos, nunc quoque Christianos obligare credidit.

15. Similiter Sanctus Hilarius exponens eundem Psalmum 14. n. 15., *admonitionem cælestem*, qua *omne vitium* Propheta *detergens*, vitiosam quoque lucri cupiditatem in prohibitione usuræ avertit, ad Christianos porrigit.

16. Quid dicam de magno Basilio? qui de jure divino adeo explorate loquitur, ut de eo fateatur Salmasius de usuris c. 20. p. 624. *Basilius porro inter Græcos Domini sermonem in Matthæo contra usuram facere interpretatus est, & componit eum cum præcepto Mosaico, ut doceat tam veteri lege, quam nova usuras prohiberi.* Aperta sunt hæc ex illius Oratione adversus usurarios: *Hoc peccatum in plurimis Scripturæ locis vituperatur. Nam Ezechiel id in maximis malis recenset, si fœnus, & quidquam ultra sortem accipiatur.* Et post alia veteris Testamenti loca, ex Evangelio subjicit: *Dominus enim nobis palam præcipit: Ne mutuum avertas ab eo, qui abs te mutuum petit.* Et in fine sermonis cum veteri lege novam conjungens: *Igitur a volente accipere mutuo, ne avertas, nec pecuniam tuam dederis ad usuram, ut tam ex veteri, quam ex nova lege, quæ conducibilia sunt, edoctus, bona cum spe ad Dominum emigres.*

17. S. Gregorius Nyssenus a S. Basilio fratre distinguendus non est. Ille ergo in epist. canonica ad Letojum Melitinensem Episcopum c. 6. *Apud divinam Scripturam, & superabundantia, & usura sunt prohibita.* Et in Oratione contra fœneratores, de divino mandato, omnem omnino usuram prohibente, ubi sermonem futurum statim initio proposuit: *Coeant hodie in unum, ut divi-*

*divinis mandatis audiendis operam demus, audivimus quomodo Propheta pestifera fœnoris germina, usuras, inquam, succidat, & ex hominum consortio funditus evellat pecunia ad usuram elocationem. Nostrarum partium erit morem gerere Prophetæ monitis, ne efficiamur illa petra, supra quam cum semen cecidisset, exaruit, nullumque fructum protulit.* Deinde apertius: *Divina quoque Scriptura, quæ nos ad omnem pietatem informat, ubique usuras prohibet.* Et post pauca: *Omnes accusant fœneratores, nec malo huic mederi quenunt lex, Propheta, Evangelista.* Et rursum: *Habuisti legem, Prophetas, Evangelicas præceptiones*; quibus sanè præceptum legis veteris, & Prophetarum, in Evangeliis divino jure confirmatum insinuat. Tandem in fine cum nonnulli murmur in pauperibus excitassent, minantes se deinceps ne illis quidem in necessitate mutuum daturos, si usura non liceat; nihil hinc territus S. Doctor, divinum mandatum, cui nulla ratione contraire licet, rursum objiciens, concludit: *Ego quidem primum dandum, & donandum esse prædico, & annuntio. Deinde ad mutuum quoque hortor: altera enim donationis species est mutuum; sed addo hoc dandum sine fœnore, & exactione usuraria, eoque modo, quo id divina oracula præcipiunt.*

18. S. Ambrosius, qui in libro de Tobia omnem usuram prohibitam docet, cap. 14. Deuteronomii legem urget, affirmans: *Non novum, nec perfunctorium hoc malum est, quod veteris, ac divina præscripto legis inhibetur.* Tum cap. 15., objicienti illa: *Alienigenæ fœnerabis*, Evangelicum præceptum imprimis reponit, *quod est plenius*, quo scilicet omnes uti fratres habendi sunt: *Frater tuus omnis, fidei primum, deinde Romani juris est populus.* Tum ex Levitico testimonium subjiciens, *Generaliter*, inquit, *hæc sententia Dei omne fortis excludit augmentum.* Addit & Psalmistæ, & Ezechielis præcepta, quibus nos quoque ligari semper præsumit. Et cap. 16. auctum quidem, non diminutum, multo vero minus abrogatum veteris Testamenti præceptum late demonstrat; & c. 23. antiquum fœnerandi morem objicientibus, ad hoc venisse ait Christum, ut hoc quoque malum inveteratum aboleret: *Culpa vetus est .... sed ideo Christus venit, ut inveterata aboleret, nova conderet, & quæ inveteraverat culpa, renovaret gratia.* Totus liber legatur, & de aperta Ambrosii sententia nemo dubitabit. Neque omittenda epist. 19. ad S. Virgilium Episcopum Tridentinum, ubi idem divinum jus ex Ps. 14. idem S. Archiepiscopus inculcat n. 4. *Non dabis pecuniam tuam ad usuram, quoniam scriptum est: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, habitabit in tabernaculo Dei; nam ille supplantatur, qui usurarum captat emolumenta.*

19. Ex S. Hieronymo satis erit recitare insignem locum in c. 18. Ezechielis: *Et ad usuram non commodaverit, sive, ut Septuaginta transtulerunt, pecuniam suam ad usuram non dederit. In Hebraico cunctarum specierum usura prohibetur; in Septuaginta tantum pecunia. Juxta quod & in quartodecimo Psalmo scriptum est: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Et quomodo dicitur, fratri tuo non fœnerabis, alieno autem fœnerabis? Sed vide profectum. In principio legis, a fratribus tantum fœnus tollitur. In Propheta ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele: Pecuniam suam non dedit usuram. Porro in Evangelio virtutis augmentum est, præcipiente Domino: Fœneramini his, a quibus non speratis recipere.* Et paulo post, inter eos, qui non poterunt vivere, & in sanguine suo morientur, numeratur, inquit, *dans ad usuram pecuniam. ...... & repetens ab his, quibus tribuit, amplius, quam dederat.* In his

his profecto S. Hieronymus divinum jus per Ezechielem Hebræis indictum apud Christianos vigere, & a Christo non deletum, sed perfectum prodit. Omnem etiam vel minimam usuram hoc eodem jure interdictam exploratissime pronunciat. Cum vero Patres Concilii Parisiensis ann. 829. lib. 1. c. 53. adversus usuram latissime differentes, insigne Hieronymi testimonium attulerint ex commentario in Psalmos, quod ab eodem certissime scriptum (ut idem ipse testatur in libro de Viris Illustribus, ubi affirmat se scripsisse in Psalmos a decimo usque ad decimum sextum) nullibi hactenus reperiri potuit, ejus verba a nullis observata, quę propositum mirifice statuunt, hic apponenda sunt. Hęc autem illi Patres recitant ex commentario in Psalmum 14., ad illa: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Prima dicendum juxta literam, quod lex indigenis tantum, & civibus prohibuerit fœnus imponi, & alienigenis jusserit fœnerari. David vero Evangelicum describens virum* (quę verba ad Christianos etiam utique spectant) *& eum qui habitaturus sit in monte sancto Dei, hoc est in Ecclesia Dei, in cunctos generaliter fieri vetuit.*

## §. IV.

*Ex SS. Augustino, Paulino, & Joanne Chrysostomo; ex Auctore operis imperfecti in Matthæum, ex S. Leone, ac Theodoreto. Canon Concilii Turonensis.*

20. S. Augustinus serm. 3. in Ps. 36. n. 6. *Nolo sitis fœneratores, & ideo nolo, quia Deus non vult: etiamsi ego vellem, malo suo ageret, qui ageret. Unde apparet Deum hoc nolle? Dictum est alio loco: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Et iterum: *Deus noster, qui te prohibet esse fœneratorem*; & dein omnem accessionem supra sortem usurę interdictę nomine explicat. In Psal. 128. n. 6. *Noli fœnerare. Tu accusas Scripturam dicentem: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Non ego illud scripsi, non de ore meo primum exiit; Deum audi.* Serm. 38. c. 6. n. 8. *Ego, inquit tibi Deus, qui te prohibui fœnerare, fœneratus sum a te. Volebas enim fœnore crescere, & dabas homini, ut tibi plus redderet, quando accipiebat gaudens, & reddebat plorans. Hoc volebas, & ego prohibebam. Dixi enim: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Prohibebam te a fœnore.* Et serm. 86. n. 4. *Certe si esses fœnerator, objurgareris ab Ecclesia, confutareris verbo Dei.* Tandem lib. 4. de Baptis. n. 12. inter avaritię crimina, quę ex Cypriano commemorat, ponit: *Usuris multiplicantibus fœnus*, idest sortem, *augere*; idque crimen in Scriptura aperte damnatum, minimeque obscurum affirmat: *Hic enim nulla est quæstionis obscuritas. Aperte Scriptura clamat: Neque avari, neque rapaces regnum Dei possidebunt, & qui pecuniam suam dedit in usuram*, subauditur *regnum Dei non possidebit.*

21. S. Paulinus epist. 32. ad Servum n. 19. *Quanto amplius est*, inquit, *Dominum, quam hominem fœnerare. Damnatur in lege qui pecuniam suam dederit ad usuram, & munera super innocentes acceperit. Ecce Evangelii gratia ostendit nobis, quomodo eadem crimina ad innocentiam, sanctitatemque mutentur; nec pœna, sed præmii retributio consequatur, si tantum in præcepta divina salutaris cupiditate fidei convertantur. Da ad usuram pecunias tuas, sed Christo, & salutaris usura erit.* Palam est hoc loco S. Paulinum ex Psalmo veram usuram referre inter crimina; innoxiam vero, & salutarem illam solum usuram habere, qua per eleemosynas Deo fœneramur.

22. S. Joannes Chrysostomus in sermone de utilitate lectionis sacræ Scripturæ tom. 3. novæ edit. pag. 81.

Chri-

Christi talentorum nobis creditorum fructum, & usuram exigentis œconomiam ita laudat, ut eundem simul pecuniæ usuram nobis prohibentem commendet: *O magnam, & ineffabilem Domini benignitatem! Qui hominibus prohibet usuras ne exigant, ipse exigit usuras &c.* Rursum hom. 41. in c. 17. Geneseos: *Vide humanitatem Domini. In his sensibilibus pecuniis prohibuit, ne quis usuram acciperet.* Et post pauca, indignum habens, si Christianus in hoc Judæo inferior inveniatur, confirmatam procul dubio veterem legem in Evangelio certum præsumit: *Ab initio olim* Deus *Judæis crassioribus tale dedit præceptum, dicens: Non fænerabis fratri tuo, & proximo tuo. Qua igitur excusatione digni erunt, qui Judæis sunt inhumaniores, & post gratiam, & tantam a Domino benignitatem, inveniuntur iis, qui sub lege fuerunt, inferiores, immo pejores?* In cap. 17. Matthæi hom. 56. al 57. *Non audis, quia* usuræ *in veteri etiam Testamento prohibentur? Etiam*, inquit, propterea scilicet, quod multo magis prohibendæ fuerint in novo. Enimvero insignis in hanc rem est ejusdem homiliæ locus, ubi S. Doctor, postquam usuram divina lege vetitam tradidit, ex ipsis humanis legibus argumentans, hæc subdit: *Et quid legem Dei memoro? An non vos ipsi sordes illud esse dicitis?* (hoc respicit communem ipsius vulgi sensum, quo fœnus inter lucra sordida, & turpia censebatur, ut dicemus pluribus l. 5. c. 2. §. 1.) *Si autem vos, qui lucrum refertis, ita statuitis, cogita quam Deus de vobis feret sententiam? Quod si velis externos legislatores audire, audies illos id extremæ impudentiæ esse putare. Certe iis, qui dignitates occupant, quique Senatum magnum constituunt, non licet hujusmodi lucro dehonestari: sed lex apud illos est, quæ id prohibet. Quomodo igitur non horrendum fuerit, si non parem Cælesti Civitati honorem tribuas, quem legislatores Romanorum Senatui tribuunt.* Notat Gothofredus hanc homiliam recitatam fuisse ante an. 405., in quo Arcadius semissem usuram Senatoribus permisit. Ante hunc vero annum omnis usura iisdem erat interdicta ipsis Romanis legibus, ut in hac homilia traditur. Hinc quidem debitores usuras recusabant solvere vel illis, qui ætate minores erant, *quia Senatoria eos dignitate præditos esse testabantur*, uti ab eodem Imperatore scriptum fuerat in alia lege anni. 397. Si ergo Chrysostomus censuit Christianis non minorem legem a Deo positam, quam quæ ab humanis legislatoribus Senatui data erat: sicut nulla nec minima usura Senatoribus eo tempore erat permissa per humanam legem, ita nullam quoque vel minimam usuram Christianis a Deo permissam, ac proinde usuram omnem divina lege iisdem vetitam credidit. Hinc hom. 15. in eundem Matthæum n. 18., alienum a præceptis Christi ostendit, qui usuras capit: *Non audisti qualia, & quanta Christus jusserit? Quando ergo poteris vel unum ejus implere præceptum, cum, missis omnibus, circumeas usuras colligens &c.*

23. A. S. Joanne Chrysostomo non separandus antiquus Auctor operis imperfecti in Matthæum, quod eidem Chrysostomo tributum fuit. Is autem hom. 12. in c. 5. Matthæi, generalem Christi legem, quæ usuras vetat, his verbis proponit: *Ergo jubet Christus mutuam dare pecuniam, non tamen sub usuris.*

24. S. Leo Magnus serm. 16. al. 6. de jejunio decimi mensis c. 2., usuras, & usurarios damnans, quo jure damnet, exponit c. 3. *Quid enim de hujusmodi hominibus sentiat Deus, sacratissimus Propheta David manifestat. Qui cum diceret:* Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? *responso divinæ vocis instituitur, & eum ad æternam requiem per-*

*pertinere cognoscit*, qui *inter alias piæ conversationis regulas* pecuniam suam non dedit ad usuram; *& a tabernaculo Dei ostenditur alienus, & a sancto monte ejus extraneus, qui dolosum quæstum de pecunia suæ captat usuris*.

25. Theodoretus in Psal. 54. *Notandum est non modo novi Testamenti perfectionem, verum etiam legis statum fœnus damnare*. En in novo Testamento, quod majorem perfectionem spectat, damnatam fatetur usuram, quæ in legis statu multo inferiori vetita fuit.

26. Concilium Turonense ann. 461. can. 13., etsi de solis Clericis loquatur, legem tamen divinam, & manifestam proponit, quæ ad omnes, etiam Laicos, pertinet: *Illud etiam*, inquit, *secundum Scripturarum auctoritatem, vel Patrum constitutionem addendum credidimus, ut ne quis Clericus, qui negotiandi studium habere voluerit, usuras accipiat, quia scriptum est:* Qui pecuniam suam non dedit ad usuram; *& alio loco:* In plateis ejus usura, & dolus. *Manifestum est enim beatitudinis non posse consequi gloriam, qui a præceptis divinis deviaverit*.

## §. V.

*Cassiodorii, Martini Episcopi Bracarensis, Justiniani Imperatoris, Antiochi Palæstini, S. Joannis Damasceni, Pirmini Abbatis, Orationis Ecclesiasticæ, Concilii Chalcutensis, & duorum Capitularium testimonia*.

27. EX seculo sexto Cassiodorium profero, qui commentarium scribens in illa Psalmi 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, ait: *Duobus modis in Scripturis sanctis pecunia probatur intelligi. Una est ista metallica, quæ ad usuram dari omnino prohibetur, quoniam vitium cupiditatis est exigere velle, quod te nesciat commodasse*; in quibus veterem prohibitionem in Psalmo expressam adhuc obligare censuit.

28. Martinus Bracarensis Episcopus, inter capitula ad Hispanicarum Ecclesiarum institutionem collecta post medium seculum sextum, c. 62., ex Nicæno Concilio usuram lege divina interdictam probaturus, memorati Psalmi auctoritatem adducit: *Si quis oblitus timorem Domini, & Sanctam Scripturam, quæ dicit:* Pecuniam suam non dedit ad usuram, *post hanc cognitionem magni Concilii fœneraverit &c.*

29. Mirum videbitur, si ex ipso Imperatore Justiniano, cujus Christiani Principis leges de usuris in usurarum patrocinium ab adversariis allegantur, hoc divinum jus confirmare possim. Id palam colligitur ex Novella 72. c. 6. Cum antiquis legibus cautum fuisset, ut tutores, & curatores pupillares pecunias utiliter collocarent in emendis prædiis, vel, si horum idonea deesset occasio, in fœnore, cujus exactio ad tutoris, vel curatoris periculum pertineret, ille novella constitutione sancivit *nullam necessitatem ex legibus esse curatoribus minorum pecunias fœnerare, sed caute reponere, & reservare*. Quid autem Justinianum moverit ad hanc *fœnerandi necessitatem* submovendam, ipse his verbis reponit: *Quoniam videmus curatores, quicunque Dei memoriam habent, ad curam difficulter accedere (nam pluribus volentibus ea, quæ minorum sunt, impie in se vertere, amabilis est res, & appetibilis) videmus autem præcipue difficilem esse curatorum caussam propter fœneratorum necessitatem*. Hæc ergo fœnerandi necessitas, cum viros probos, ac pios, *Dei*, seu divinæ legis *memoriam* gerentes a suscipienda cura removeret; Justinianus, ut his, & minoribus simul consuleret, eam fœnerandi necessitatem exclusit. Nonne hinc claret divina lex, quæ fœnus humana lege nedum permissum,

Leg. 24. Cod. de administr. tutorum, & curator. &c.

ftim, fed etiam præceptum damnans, viros pios a cura retrahebat? Nonne horum pietatem, atque sententiam Imperator justam probavit, qui nihil in eo erigendum, fed antiquam potius legem abrogandam duxit?

30. Antiochus Palæstinus Monachus ex S. Sabæ Laura sub initium feculi feptimi, apertum divini juris testimonium prodit, hæc de usurariis fcribens hom. 12. *Qui usuras exercent, non abs re, ceu execrabiles, & strigosi nominatim perstringuntur. Sunt plane coram Deo, & hominibus abominationi, cum in genere nulli non Christiano interdictum sit artificio quovis exercenda usura, sicut & de iniqua illa Civitate ait Prophita: Non defecit de plateis ejus usura, & dolus; cum interim justo hoc elogium reddat: Argentum suum non dedit ad usuram. Item: Ex usura, & iniquitate redimet animas eorum. Parœmiastes quoque: Qui multiplicat divitias suas cum usuris, & abundantiis, utique ei congregat, qui miseretur pauperis. Item: Usuram super usuram, & dolum super dolum. Lex præscribit dicens: Fratri tuo non dabis ad usuram argentum, aut cibos, aut rem quamcunque. Rursus: Argentum tuum non dabis ad usuram. Et ad superabundantiam non dabis cibos tuos ..... Auctoritate igitur persuasi, Fratres, Scriptura divinæ, ab inexplebili illa cupiditate congerendi divitias avocemus mentem: longissime submoveamus nos ab execrabili prorsus usurarum excogitatione.* Quid est *auctoritas divina Scriptura*, nisi divinum jus?

31. S. Joannes Damascenus adeo jure divino fœnus prohibitum habuit, ut in Parallelis lateris lit. D. tit. 9. tom. 2. pag. 430., textus Scripturæ facræ contra fœneratores inculcet, nonnullaque ex S. Basilio, ac Nysseno excerpserit testimonia, quibus idem divinum jus constituitur.

32. Circa idem tempus Pirminus Abbas Genfidlenfis in libello *de singulis libris Canonicis*, quem Mabillonius in Anecdotis edidit pag. 68. novifs. edit., egregium divini juris testimonium, tum ex veteri, tum ex novo Testamento præbet: *Usuras nullus præsumat accipere, quia Dominus ait: Non fœnerabis fratri tuo ad usuram &c. Et iterum: Si attenuatus fuerit &c. Et Dominus in Evangelio: Qui petit a te, da ei, & volenti mutuari a te, ne averteris.*

33. Doctissimus Cardinalis Thomasius in præclara Psalterii editione fingulis Pfalmis antiquissimas orationes fubjecit ex Mss. Vaticanis, quarum Auctorem *antiquiorem fuisse feculo saltem VIII.* in præfatione affirmat. In oratione autem Pfalmo 14. fubjecta, divinum præceptum usuram vetans explorate asferitur: *Concede nobis, piissime Deus, sine macula ingredi Ecclesiam tuam, & averte nos a dolis proximi, & usuris: ut dum hæc secundum tuum observamus præceptum, non commoveamur ab æternis suppliciis in æternum. Per Dominum Jesum Christum.* Notanda *secundum tuum observamus præceptum.* Quæ oratio, cum in Ecclesiis ex antiquo more post Pfalmum recitaretur, hoc testimonium non unius auctoris, fed plurium Ecclefiarum testimonium eft.

34. Venerabilis Beda, præter illa, quæ de divino jure profert in explicatione Pfalmi 14., & Pfal. 54., hæc expresse in Pfal. 36. v. 22. *Non enim vult Dominus te esse fœneratorem, qui per Prophetam suum, illum inter milites describit suos, qui pecuniam suam non dedit ad usuram.*

35. In Concilio Anglicano Chalcutenfi habito ann. 787., præfidentibus Adriani I. Legatis Gregorio Hostienfi, & Theophylacto Tudertino Epifcopis. idem divinum jus agnitum fuit. Ex Legatorum enim relatione de geftis in eodem Concilio, hæc de usuris c. 17. fancita traduntur: *Usuras quoque prohibuimus, dicente Domino ad David,*

al-

*dignum fore habitatorem tabernaculi sui, qui pecuniam suam non dederit ad usuram.*

36. Addendum ex Caroli Magni Capitulari I. Aquisgrani habito an. 789. cap. 5. *omnibus* inscriptum, idest tam Clericis, quam Laicis: *In eodem Concilio Niceno, seu in decretis Papæ Leonis, nec non & in canonibus, qui dicuntur Apostolorum, sicut & in lege ipse Dominus praecepit, omnino omnibus interdictum est ad usuram aliquid dare.* Nec omittendum Capitulare V. anni incerti, sed anno circiter 813. habitum, in quo c. 2. scriptum est: *Usura, a qua & Deus prohibet, & omnis Scriptura divina.* Capitularia ejusmodi in Synodali conventu, & generali placito sanciebantur, ubi Episcopi cum Abbatibus, & Duces cum Comitibus conveniebant. Quę autem illic ferebantur decreta, omnium consensu, & subscriptione firmabantur; eaque tanti habita fuere, ut ex iisdem multa, nedum Canonum collectores in suas collectiones, sed & ipsi Romani Pontifices Innocentius III., & Gregorius IX. in suas constitutiones transtulerint. Maximi igitur memoratorum Capitularium testimonia habenda sunt, quibus usura quęlibet divino jure reprobata perspicue asseritur.

## §. VI.

*Hayto, Synodus Parisiensis, Benedicti Levitæ Capitulare, Concilium Ticinense, Ulfadus, Rodulphus Bituricensis, & duo Imperatores Græci, Basilius Macedo appellatus, & Leo sapiens, idem divinum jus testantur.*

37. TRaditionem seculi IX. incipiam ab Haytone Basileensi Episcopo, qui circa ann. 822. in Capitulari c. 17. *prædicari* jussit a Sacerdotibus, *ut nullus usuras accipiat*, hac ratione, quia *valde infidelis, & rebellis Dei jussionibus est, qui hoc agit, quod omnibus Christianis interdictum dignoscitur.* Nota *Dei jussiones.*

38. Concilium Parisiense, ex Provinciis Rhemensi, Senonensi, Turonensi, ac Rothomagensi habitum an. 829. l. 1. c. 53., *multiplices usurarum adinventiones*, tanquam *vitium Deo execrabile*, reprobat, *quia eo præceptis ejus resultatur, & miseria humana præcepta divina transgredienti augmenta damnationis præparantur, & quod scilicet quidam Clericorum, & Laicorum obliti præceptionis Dominicæ, qua dicitur: Pecuniam tuam non dabis ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges. Ego Dominus Deus vester; in tantam turpissimi lucri rabiem exarserunt &c.* Et iterum: *Dominus, & in legalibus, & in Prophetiis oraculis usuram fieri minaciter, atque terribiliter inhibet: & præsumtio humana a summo Creatore prohibita perpetrare ad sui discrimen non metuit.* Tum recitatis testimoniis ex veteri Testamento, quę nos quoque ligare præferuntur, concludit: *De usuris non faciendis, & de misericordia fratribus impendenda supersunt copiosa utriusque instrumenti documenta ..... qua sectatores usurarum non victuros*, (apud Ezechielem) *neque in monte sancto habitaturos* (apud Psalmistam) *sed potius quia immisericordes extiterunt, eum purpurato, & avaro divite pœnas affirmant luituros.*

39. In Capitularium compilatione Benedicti Levitæ sub hocce tempus lucubrata, quam & Germani, & Galli usu receperunt, ut observavit Baluzius in præfat. Capitular. n. 46. l. 6. c. 5., ex Deuteron. 23. hæc proponuntur: *Non fœnerabis fratribus pecuniam ad usuram, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Et capitulo 204. *Quoniam venerandi Canones, & divina prohibet auctoritas usuras accipere.*

40. Concilium Ticinense, vulgo

go Regiaticinum appellatum, an. 850. coactum, can. 21. hæc habet: *Quia terribiliter propheticus sermo minatur ad usuram dantem, & amplius accipientem, in æternum non esse victurum, & non habitaturum in tabernaculo Altissimi, nec requieturum in monte sancto Dei, censemus &c.*

41. Ulfadus Archiepiscopus Bituricensis in pastorali Epistola ad parochos, & parochianos, idest etiam laicos, scripta circa an. 870., & in *Analectis* Mabillonii edita pag. 202. novissimæ editionis: *Ab usuris etiam*, inquit, *vos abstinete, scientesque hoc non leve peccatum esse, cum dicitur in lege: Ad usuram non fœnerabis.*

42. Rodulphus, qui eodem seculo IX. Bituricensem pariter regebat Ecclesiam, in Capitulari c. 35. *Nec ad usuram aliquid dent, quoniam ab ipso Domino in lege interdictum est ad usuram aliquid dare.*

43. Duorum quoque Imperatorum, Basilii patris, & filii ejus Leonis sapientis, insignia sunt testimonia, quippe quæ usuram ita *divino jure interdictam* produnt, ut ex sola tolerantia, ob creditorum duritiem, leges usuram taxantes editæ fuerint. Verba Basilianæ legis, apud Harmenopolum lib. 3. tit. 7., hæc sunt, licet omnes libri Leoni illam perperam adscribant, ut Salmasius notavit: *Etsi majorum nostrorum plerisque visum est tolerandam esse usurarum præstationem, forte propter creditorum duritiem, & inhumanitatem; nos tamen ut nostra Christianorum Republica indignam, & aversandam censuimus, tanquam divino jure interdictam. Ideoque nostra vetat Serenitas, ne cuiquam omnino in ullo negotio liceat usuras accipere, ut ne, dum juri servando studiosius addicti sumus, legem Dei violemus.* Nihil præclarius.

Post præfat. lib. de Usuris.

44. Etsi vero Leo sapiens ejus filius, ex eadem duritie hominum, qua antiqui Imperatores fœnus toleraverunt, adductus fuerit ad paternam legem cassandam; divinum tamen jus a patre agnitum confessus fuit. Sic enim ille Novel. 83. *Si a spiritus legibus ita se mortale genus regi sineret, ut humanis præceptis nihil indigeret; id vero & decorum, & salutare esset. At quoniam se ad spiritus sublimitatem elevare, divinaque leges vocem complecti non cujusque est; ac vero quos huc virtus ducat, numero valde pauci sunt; bene adhuc se res haberet, si saltem secundum leges humanas viveretur. Quæ vocantur pecuniæ credita usura, ubique a spiritus decretis condemnantur. Id sciens Pater noster, æternæ memoriæ Princeps, usurarum solutionem sanctione sua prohibendam putavit. Atqui propter paupertatem res illa non in melius (quem tamen finem Legislator sibi proposuerat) sed contra in pejus vergit. Qui enim antea usurarum spe ad mutuandam pecuniam prompti fuerant; post latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere possint, in eos qui pecuniis indigent difficiles, atque immites sunt. Quin etiam ad facile jurandum, quodque id fere consequitur, ad jusjurandum abnegandum ed occasionem præbuit. Breviter propter redundantem in humana vita necessitatem, non modo non profuit legis virtus, verum obfuit. Quanquam igitur ex se legem culpare (quod quidem etiam absit) nequeamus; propterea tamen quod humana natura (quomodo diximus) ad illius sublimitatem non perveniat, egregium illud præscriptum abrogamus.* Salmasius divinum jus, ac divinam legem hac Leonis Novella confirmari vidit, errorique Imperatori tribuit, si de novi Testamenti lege intellexit. At sive de Mosaica, sive de Evangelica lege intellexerit; certe divinam legem, quæ in novo quoque Testamento etiam Christianos obliget, utrique Imperatores testantur; errorique potius Salmasio vertendum est, qui, si non Evangelium, saltem tam apertam, & constantem omnium seculorum traditionem audire, & intelligere noluit.

In nota post præfat. l. de Usuris huic legi subjecta

## §. VII.

*Theophylactus, S. Bruno Carthusianus, Zonaras, & Balsamon. S. Bruno Astensis, duo Concilia Lateranensia, Alexander III., Urbanus III., & Innocentius III.*

45. SI ex decimo seculo nullum testem proferimus, scriptorum ejus ævi raritas in caussa est. Solus enim Ratherius Episcopus noster usuræ meminit, quam etsi ex traditione priorum temporum damnat, non tamen expressum divini juris testimonium ponit, ut præsens disputatio postularet. Ex scriptoribus autem seculi XI. primus prodeat Theophylactus Archiepiscopus Acridensis, qui in c. 5. Matth., ad illa verba: *Petenti abs te da, & volenti a te mutuum accipere, ne averseris*, ut probet Christum perfectiora præcepisse, quam quæ in veteri lege præscripta fuerant, primo observat *in lege veteri absque usura mutuum datum*, idemque esse in lege Evangelica, in qua Christus *mutuum non cum fœnore dedit*. Dein perfectionem Evangelii in eo sitam animadvertit, quod nemini mutuum negandum est, sive amicus, sive inimicus, sive etiam infidelis, in quo Hebræorum præjudicium emendatum a Christo fuit, ut nihil tamen in divina lege fœnus vetante immutatum sit. En ipsam Theophylacti in ea Christi verba notationem: *Sive amicus, sive inimicus, sive infidelis, sive pecunias petat, sive auxilium aliud. Mutuum autem non cum fœnore dicit, sed simpliciter usum. Nam & in lege absque usura mutuum dabant.*

46. S. Bruno Carthusianorum Institutor, sub finem ejusdem seculi XI. explicans Psal. 14., ita adversus usuras ejusdem Psalmi auctoritate disserit, ut idem divinum Psalmi jus adhuc vigere, & *ad innocentiam pertinere* non dubitet: *Ille habitabit, & requiescet* in tabernaculo Dei, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram, quod ad innocentiam pertinet.*

47. Seculi XII. traditionem a Græcis, quamvis Schismaticis, exordiar, ut appareat eos hac in re eandem cum Latinis doctrinam tenuisse. Zonaras, qui ineunte seculo sub Joanne Comneno summos honores obtinuit, in Canonem Nicænum adversus usuras latum hæc notat: *Fœnus veteri quoque lege vetitum universis fuit. Dicit enim: Pecuniam fratri tuo non fœnerabis. Quod si illa minus perfecta lex sancit, multo magis nostra, quæ perfectior est, & spiritalior. Ecce enim aliquid templo amplius est hic.* Et in can. 5. Africani codicis observat, Africanos Patres, dum usuras interdixere, respexisse præsertim ad librorum sacrorum præcepta, *quale illud est*, inquit, *non dabis fratri tuo pecuniam ad usuram, & quæcunque alia ejusmodi reperiuntur.* Et post pauca: *Ad hæc Synodus neminem adversus Prophetas, neminem adversus Evangelia sine periculo fecisse pronunciavit; quod quidem ita accipiendum est: Quoniam*, inquiunt, *& veteri Testamento (id namque per Prophetas indicavere) & novo (quod per Evangelium intelligi volunt) fœnerari ne liceat, interdictum sit; neminem, qui contra ea quidquam admiserit, a periculo immunem esse, verum de dignitate in periculum venire*, hoc est, *depositione multari placet.*

48. A Zonara non disjungendus Balsamon, item Schismaticus, qui sub ejusdem seculi finem in canonem Epistolæ canonicæ S. Gregorii Nysseni ad Letojum hanc adnotationem posuit: *In divina Scriptura, & fœnus, & usura, & per potentiam alicujus aliena sua venire possessione prohibita sunt.* Nicolai Cabasilæ testimonium suo loco inferius recitabimus. Ad Catholicos redeamus.

49.

49. Petrus Blesensis ejusdem duodecimi seculi auctor, in Epistola, seu potius Opusculo de Pœnitentia part. 3., nonnullos reprehendens, *qui contra preceptum legis infirmo commodant ad usuram*, divinum utique praeceptum legis intelligit; unde etiam Epist. 91. ad Rodulphum Lexoviensem *usurarium*, uti appellat, publicum, hunc deterret a fœnore, *quod gravissime detestatur, qui omnia, qua habes, sibi commodavit, & nunc in pauperibus suis sibi postulat commodari*; ubi Deum adversantem, & prohibentem usuras apertissime indicat.

50. S. Bruno Astensis, & Signiensium Episcopus seculo XII., etsi Scripturam sacram ita fere exponat, ut sensum aliquem spiritalem in omnibus etiam moralibus sæpissime quærat; tamen exponens Ps. 14., hanc methodum, de usura agens, non ante aggreditur, quam illam *juxta literam*, idest eodem divino jure, *magnum peccatum esse* affirmet. Sic enim loquitur: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Hoc enim & juxta literam magnum peccatum est.* Apertius autem in illa Deuteronom. *Fratri tuo absque usura* &c., utroque Testamento usuras damnatas profitetur: *Non minus in novo quam in veteri Testamento feneratores damnantur.*

51. Concilium Lateranense II., quod generale passim agnoscitur, sub Innocentio II. coactum ann. 1130. c. 13., usurariam pravitatem *divinis, & humanis legibus per Scripturam in veteri, & in novo Testamento abdicatam* declarat.

52. Similiter in generali Lateranensi III. a tercentis & decem Episcopis habito ann. 1170., Alexandro III. præsidente. c. 25. usuras *utriusque Testamenti pagina condemnari* definitum fuit: non quod ullus contrarium doceret, sed quod summa ignorantia, vel negligentia hujus certissimæ doctrinæ oblivionem, vel inconsiderantiam induxerat: *Quia in omnibus fere locis crimen usurarum ita inolevit, ut multis aliis negotiis pratermissis, quasi licite usuras exerceant, & qualiter utriusque Testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant, ideo &c.*

53. Porro idem Alexander III. in rescriptis, quorum Capitula laudato Concilio apud Labeum subjecta reperies, eandem divinam legem sæpius appellat. *Usuearum crimen detestabile plurimum, & horrendum, Deo & hominibus abominandum, & utriusque Testamenti pagina condemnatum* prodit cap. 1. 7. & 10., & in Epistola ad Panormitanum Archiepiscopum, quæ l. 5. decretalium cap. *Super, de Usuris*, inserta est: *Cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur.*

54. Urbanus III., cum a quodam Brixiensi presbytero circa ann. 1186. de nonnullis casibus usuræ suspicionem afferentibus interrogatus fuisset, can. *Consuluisti, de Usuris* respondens, jus divinum & ex Evangelio, & ex veteri lege colligit: *Verum quia quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Luca manifeste cognoscitur, in quo dicitur: Date mutuum, nihil inde sperantes; hujusmodi homines, pro intentione lucri, quam habent (cum omnis usura, & superabundantia prohibeatur in lege) judicandi sunt male agere* &c.

55. Innocentius III., electus ann. 1198., de divino jure sic scribit Epist. 99. lib. 1. ad Archiepiscopos & Episcopos, aliosque Prælatos Galliæ: *Quam perniciosum sit vitium usurarum, discretionem vestram non credimus ignorare, cum præter constitutiones canonicas, qua in earum odium emanarunt, per Prophetam detur intelligi, eos, qui suam dant pecuniam ad usuram, a tabernaculo Domini repellendos; & tam in novo, quam in veteri Testamento prohibita sunt usura, cum Veritas ipsa præcipiat: Mutuum date, nihil inde sperantes; & per Prophetam dicatur: Usuram, & omnem superabundantiam non accipiat.*

§. VIII.

*Monumenta XIII. & XIV. seculi.*

56. Ineunte seculo XIII. habitum fuit Avenionense Concilium, Hugone, & Theodosio Apostolicæ Sedis Legatis præsidentibus, & can.3. divinum jus sic asseritur: *Licet ad extirpandum usurarum vitium utriusque conveniat pagina Testamenti &c*; quibus similia leguntur in Albiensi Concilio ann. 1254. cap. 62.

57. In Narbonensi Synodo ann. 1227. c. 2. *Cum a Domino generaliter prohibeantur usuræ.*

58. Senonense Concilium ann. 1269. can. 7. *Usura, quam utriusque Testamenti pagina detestatur.*

59. Pictaviense an. 1280. *Usuras utriusque Testamenti pagina detestatas.*

60. Herbipolense ann. 1287., præsente Rodulpho Imperatore, ac multis Principibus celebratum, c. 23. *Usurarios actus, & divinæ, & humana lege satis novimus exprobratos.*

61. In jure provinciali Alemannico, quod seculo tertio decimo compactum creditur, cap. 351. divinum jus explorate asseritur: *Deus, & Imperator Carolus, & Papa Leo prohibent, ne quis Christianorum usuras accipiat.*

Num. 1. 62. Patareni, qui, ut in præfatione meminimus, omnium primi usuram divina lege vetitam non agnoscentes, docere pertinaciter cœperunt, *usuram non esse peccatum*; etsi superiori seculo devicti fuerint, eum tamen errores suos caute occultarent, serius tantum (hoc scilicet seculo) hic ipsorum error innotuit, quem statim notarunt, & confutarunt coævi certissimi auctores, quorum in eadem præfatione mentionem fecimus. Adversus hos autem hæreticos, ut arbitror, edita fuit Viennensis œcumenici Concilii definitio an. 1311., in qua cum *affirmantes pertinaciter, exercere usuras non esse peccatum, velut hæreticos esse puniendos* præcipiatur, hæresis, idest catholico dogmati contrarius hic error judicatus fuit; ac proinde usuram damnari divino verbo, cui hæresis opponatur necesse est, ejusdem Concilii Patres credidere, uti sane in antecedentibus ejusdem Concilii verbis, usuram *contra jura divina* esse, expresse declaratum legitur: *Ex gravi ad nos insinuatione pervenit, quod quorundam communitates locorum, in offensam Dei, & proximi, ac contra jura divina pariter, & humana, usurariam approbantes quodammodo pravitatem &c.*

63. Hinc sane Philippus IV. Francorum Rex, qui eidem Viennensi Concilio interfuit, non solum eodem ann. 1311. in edicto apud Montem Argivum dato Mense Januario, *usuras a Deo prohibitas* affirmavit, sed iterum in Statuto Pisciensi edito die 8. Decembris anni sequentis scriptum voluit: *Reprobamus, & prohibemus quodlibet genus usurarum, quantaecunque sint, sicut lege divina, secundum doctrinam Sanctorum Patrum, probibita sunt.*

64. Concilium Ravennatensis provinciæ Bononiæ coactum an. 1317. c. 15. *Usurarum voraginem utriusque Testamenti pagina reprobatam* pronunciat.

65. Circa medium hoc seculum Nicolaus Cabasilas Thessalonicæ Archiepiscopus, licet adversus Latinos, & potissimum contra S. Thomam, male animatus, non aliter tamen de usuræ vetandæ jure prodidit, quam quod Græci æque, ac Latini per traditionem susceperant. Id apparet manifeste ex præclara ejus contra fœneratores oratione, in qua eos quidem confutat, qui nullam usuram exigere perfectionis, atque consilii esse vulgari errore putabant, non autem præcepti. Hoc autem præceptum adhuc vigens ex veteri Testamento primum statuit; tum vero hoc idem divinum

rum jus in novo Testamento multo magis valere his verbis ostendit: *Si fœnori dare Hebrais crimini fuit, quibus multa nobis vetita indulgebantur; quæ pœnæ ob istiusmodi lucrum Christianos manebunt, quibus & consistere in vetustis culpa est, & scriptam legem justitia non superare est regno cœlorum excidere?... Et adhuc audebit quis usuram a crimine immunem statuere?* Nonne hæc contra Novatores ex proposito scripta videntur? Mitto reliqua, quibus semper ex divina lege, cui parendum est, omnes objectiones rejecit. Hæc satis ex seculo XIV. Superfluum porro est plura ex sequentibus seculis congerere, cum usuram *utroque Testamento prohibitam*, similesve locutiones, veluti quædam receptæ formulæ, in Ecclesiasticis posterioribus monumentis passim occurrant.

## §. IX.

*De Scholasticis, & Canonistis, ac de posterioris Ecclesiæ fide. Non novitas 'hic postremis temporibus a Catholicis, sed ab adversariis usurarum patronis invecta circa dogma de usura.*

66. Miratus fortassis eris, quod superiori paragrapho, in qua ab ætate Patrum, ad Scholasticorum, & Canonistarum ævum perveni, neminem istorum, qui tamen in traditionis testimonio ferendo Patribus successere, testem adduxerim. Volebam initio recitare aliquos; at dubius, quem eligerem, nec recitare omnes possem, nisi essem infinitus, hoc consilium abjeci, cum præsertim id necesse non sit; hos enim *omnes* idipsum docere vel adversarii norunt, atque concedunt: *Illi omnem omnino usuram Christiano interdictam volunt, quia jure divino vetitam omnes putant.* Sic de Catholicis juris Pontificii interpre-

Lib. 2. de fœnor. Trapezit. pag. 405.

tibus affirmat Salmasius, quod peræque de Theologis, ceterisque Catholicis, & antiquis, & recentioribus dicendum ipse pariter monet: *Certum est porro omnes, qui quandocunque usuras esse illicitas crediderunt, non alio fundamento earum interdictionem superstruxisse, quam quod putarunt verbo divino*, idest divino jure, *esse vetitas.*

67. Unum vero est, quod omittendum hoc loco non videtur. Quidam usurarum patroni, ut se a novitate alienos præferant, novitatis vitium in Scholasticos invexerunt; ac si isti subtilibus Scholasticis argumentationibus theologicas quæstiones definire aggressi, eas circa usuram rationes excogitarint, quæ ex ejus ætatis ingenio plausibiles, antiquum de usuris dogma mutarint. Tum vero rationes ab ipsis allatas adversus usuras expendentes, cum eas discrepantes inter ipsos Scholasticos, nec omnino efficaces, vel etiam inanes probare contendunt; tum vero non dogmaticam, sed mere scholasticam exinde sententiam, quæ non satis tuto fundamento nititur, colligentes, mutati, vel corrupti antiqui dogmatis suspicionem magis probabilem efficiunt. Hæc autem calumnia Scholasticis impacta satis exsufflatur ex dictis. Si præcedentium seculorum testimonia, atque traditio proposita non fuisset, nuda hæc adversariorum objectio dubitationem aliquam fortassis posset ingerere. At cum propositi totius antiquitatis testes, de divino jure usuram prohibente, perpetua & constanti traditione, fidem faciant; Scholasticos, qui non aliam, sed eandem doctrinam prodidere, nihil invexisse novum, mutasse nihil, manifestissimum est; sed *quod invenerunt in Ecclesia, tenuisse; quod didicerunt, docuisse; quod a Patribus acceperunt, hoc tradidisse*, ut de nonnullis antiquis Patribus testatus est Augustinus l. 2. in Julianum c. 9.

68. Neque refert, quod de ipsorum

rum rationibus adversarii objiciunt. Neque enim ex rationibus illi ducti fuerunt in eam antiquorum sententiam, sed in hanc inducti ex Scriptura, ac traditione, quam in Ecclesia invenerunt; rationes autem mere in subsidium excogitarunt, ut rationi quoque adversum probarent, quod a Scriptura, traditione, & Ecclesia, catholico scilicet dogmate condemnatur. Itaque quod ad rationes pertinet, novum Scholasticorum inventum esse non potest, quum novum inventum dici queat ipsa doctrina, quam rationibus quidem munire coacti, non tamen a ratione, sed a Scriptura, ac traditione, ex ipsius Ecclesiæ fide susceperunt. Esto igitur, quod Scholasticorum rationes, quibus ipsi inter se discrepant, non omnino efficaces sint: cum hæc ad naturale jus, non autem ad divinum pertineant; satis erit adhærere Scripturæ, & traditioni, ex quibus illi divinum jus haurientes, licet a ratione diversi diversa senserint, omnes tamen in idem dogma convenere, ut statuit S. Thomas in 3. sententiarum dist. 37. a. 6. *Ab omnibus dicitur communiter, quod dare ad usuram peccatum mortale est, sed diversi diversas rationes assignant.* Hæc quidem discrepans, & diversa rationum inventio, communi, & concordi doctrinæ adeo nihil præjudicii creat, ut certum potius, & evidens catholicum dogma confirmet, quod in tanta ratiocinandi libertate, atque discrimine, constans, & idem in omnibus invenitur. Sola enim traditi dogmatis evidentia eos continere in eodem sensu potuit.

69. Itaque ad catholicam doctrinam quod pertinet, non respiciendæ rationes, quibus illi in subsidium usi, inter se nonnihilum discrepant; sed catholica fides, ex qua unum & idem omnes docuerunt, potius est inuenda: & in hoc ipsorum consensu, qui non ex rationibus discrepantibus, sed ex Catholicæ Ecclesiæ certa doctrina profluxit, traditionis & ipsi testes sunt, quos nemo possit reprehendere, nisi qui antiquorum traditionem, a qua illi profecerunt, quamque post Patres prodiixere usque ad nos, reprehendere audeat. Præclare Arnaldus, qui Scholasticorum sane auctoritati nimium non tribuit: *Le consentement unanime de tous le Theologiens me paroit aussi fort considerable dans cette matiere: car il est certain qu' ils ont trouvé dans l' Eglise ce qu' ils ont enseigné, que l' usure etoit mauvaise & que tout ce qu' on leur peut attribuer, est d' avoir tâché d' appuyer ce sentiment par des raisons naturelles, que d' on pourroit croire n' être pas suffisantes pour l' établissement de cette opinion, si on n' avoit que cela. Mais tome ce ne sont point des preuves, qui les ont fait entrer dans ce sentiment; mais que c' est à cause qu' ils y étoient, qu' ils ont cherché des preuves pour l' appuyer; quand on ne feroit pas persuadé de leurs raisons, on les peut toujours regarder comme temoins de la doctrine de l' Eglise dans leurs tems qui avoit reçu de ses Peres ce qu' elle croyoit sur ce point de morale.* Latine: *Consensus unanimis omnium Theologorum hac in re maxime æstimandus mihi videtur. Certum est ipsos reperisse in Ecclesia, quod docuerunt, usuram scilicet malam, & illicitam esse. Quod ipsis succenseri aliquatenus potest, hoc unum est, quod hanc sententiam nisi sint munire rationibus naturalibus, quæ minus idonea videri possent ad hanc opinionem statuendam, si nihil aliunde suppeteret. At cum non hæ probationes in caussa fuerint, ut illi in eam ingrederentur sententiam; sed idcirco potius, quod in ea sententia erant, rationes, quibus eam munirent, excogitarint; etsi ipsorum rationes non suadeant, adhuc tamen habendi sunt velut testes doctrinæ Ecclesiæ ejus ævi, quæ id a Patribus acceperat, quod in hoc morum capite ipsa credebat.*

Lettre a. M. le Camus Evêque de Grenoble Tom. III. lettre 154.

70. Considerandus quidem ingens

gens tot Auctorum numerus, tam diversis, dissitisque provinciis, & regnis in idem dogma conspirantium. Nullum addubitantem invenies, nullum, qui probabilem tantum opinionem affirmet. Omnes certissimum fatentur Ecclesiæ dogma, quod Scriptura, traditione, & Ecclesiæ definitione confirmant. Hancque doctrinam, non ut unius, vel alterius Scholæ propriam, sed ut communem omnium, ac *fidei* doctrinam propugnant. Id non rationis, sed traditæ, & catholicæ doctrinæ est, quod apud tot, tantosque reperitur unum; ut dici hoc loco jure possit, quod Tertullianus de Præscript. c. 28. *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

De Romanorum Pontificum posteriorum sententia.

71. Id autem multo magis dicendum, si ipsos Pontifices, & Concilia etiam generalia ejusdem temporis concordes observemus. Sine stomacho, & indignatione audiri non possunt Sectarii, qui cum hanc evidentem concordiam inficiari non possint, omnes una scholasticis præjudiciis abreptos non erubescunt traducere, ac si traditam a majoribus doctrinam omnes circa hæc tempora deseruerint, atque corruperint. Descripta veteris traditionis historia totum hunc conatum elidit, & infringit, ac desertæ potius traditionis reos convincit, qui talia comminiscuntur. Audiatur iterum memoratus Arnaldus, quem allegare eo magis juvat, quod decretalibus Pontificiis nimium favens dici non possit. Post vindicatos igitur Theologos in doctrina de usura, hæc de Pontificum literis subjicit: *On doit dire de même des decretales. Les Papes n' ont fait qu' y confirmer ce qu' ils ont trouvé établi dans l' Eglise par les Peres, & par les Theologiens. Elles ont de plus force de loix, ayant eté reçues généralement dans toute l' Eglise. On est donc obligé maintenant de regler sur cela la conduite des Chrétiens.* Latine: *Idipsum de decretalibus dicendum est. Pontifices nihil aliud egerunt, nisi id confirmare, quod per Patres, atque Theologos in Ecclesia custoditum invenere. Ipsa praeterea vim legis habent, cum in tota universim Ecclesia suscepta fuerint. Igitur ex his Christianorum mores regere necesse est.*

De præsentis Ecclesiæ fide.

72. His autem Pontificibus si Episcopos omnium Ecclesiarum adjicias, qui in Episcopalibus decretis, in diœcesanis, in provincialibus, ac generalibus synodis non aliam doctrinam, velut certissimam, & ad fidem pertinentem, ubique docuerunt; nonne totam Ecclesiam cum Pontificibus idem loquentem, atque docentem videbis? Ea, inquam, Ecclesia Catholica, cui Christus se semper adfuturum recepit, ne erret, & quam ex mandato ejus omnes audire, & sequi debemus. Non igitur de scholastica opinione, sed de totius Ecclesiæ doctrina, ac dogmate agitur, quam novitatis, aut erroris accusare nemo potest, nisi qui Ecclesiam errare, & innovare posse dogmata cum hæreticis judicet. Absit hoc a Catholicis, & iis, qui Christi pollicitationibus credunt. Hoc autem observare ex proposito volui, ut æqui judices videant, quo tandem vergat adversariorum, quos impugnamus, sententia. Hæc defendi aliter nequit, nisi toti Ecclesiæ, quæ contrarium docet, novitas, & error imponatur. Qui ex illis verecundiores sunt, ne hæc nota animos Catholicorum deterreat, Ecclesiæ parcunt, & in Scholasticos tantum invehuntur. Sed cum eadem sit Scholasticorum, & Ecclesiæ, seu Pontificum, Conciliorum, & Episcoporum omnium doctrina; vel una omnes rejiciendi sunt, ut Protestantes cum Salmasio, & Barbeyrachio faciunt; vel si hoc hæreticum agnoscitur, de eo catholico dogmate dubitandum non est. Quanto autem minus est dubitandum, si hoc non novum inventum, sed a majoribus

Observatio de adversariorum sententia.

ribus traditum, & cum tota antiquitate conveniens observetur? Clamet igitur nunc quicunque auferit adversus hoc Scholasticorum, uti vocari solet, præjudicium; quod si præjudicium dicendum est, divinum est præjudicium, quod e divino verbo scripto, ac tradito jamdiu editum, & a tota Ecclesia simul, & a Scholasticis ipsis susceptum, Novatorum errorem, atque hæresim, etiam antequam nasceretur, prædamnavit.

## CAP. VIII.

*Argumentum e superioribus concluditur. De nota hæreseos post definitionem Concilii Viennensis a Theologis & Canonistis impacta sententiæ, quæ aliquam usuram defendit. Hæc adstruit certum apud omnes Catholicos divinum jus, quo omnis usura vetatur. Huic divino juri quantum deferendum sit, etiamsi rationes naturalem usuræ malitiam probantes non omnino persuaderent.*

1. Divinum itaque jus in novo Testamento usuras æque prohibens, ac in veteri prohibitæ fuerunt, in dubium vocari non potest. Si non evidens videatur, quod ex Evangelio produximus; evidens certe est, quod ex perpetua, & constanti omnium seculorum traditione, Evangelii, ubi dubium esset, certissima interprete, hactenus exposuimus; cum præsertim verbum divinum sit ipsa traditio, eaque satis per se divinum jus constituat, atque demonstret. Habes præterea Pontifices, & Concilia, qui controversiarum fidei legitimi judices, idem divinum jus adstruunt, atque definiunt. Quid plura? Ipsius præsentis Ecclesiæ fides, quæ non minus Ecclesia Christi ab omni errore immunis credenda est, quam vetus Ecclesia, huic doctrinæ, ex antiqua utique Ecclesia derivatæ, calculos adjicit. Id ergo uti catholicum certissimum dogma habendum est, quod qui post tantam auctoritatem *pertinaciter* nolunt fateri, jure *velut hæretici* habendi sunt, uti sancitum fuit in Viennensi Concilio, quod quidem usuras omnes *contra jura divina* esse declaravit. Et licet hoc semper certum de fide fuerit, uti eadem semper fuit traditio, & doctrina Ecclesiæ; tamen post hanc præsertim definitionem Concilii, qui novitium Patarenorum errorem repressit, *hæresis* sicuti est, ita & a Catholicis jure habetur. Ne vero hæc *hæreseos* nota paucorum esse credatur, selectiora id genus insignium Canonistarum, ac Theologorum testimonia proferam, quibus etiam illa interseram æquivalentia, quæ oppositam doctrinam, pro qua dimicamus, *de fide* esse pronunciant: qui enim aliquam sententiam affirmat esse *de fide*, is contrariam pro hæresi habeat necesse est.

2. Joannes Andreas, Viennensi Concilio coævus, in glossa ad cap. *Ex gravi, de usuris* ex eodem Concilio Clementinis insertum, hæc scribit: *Pertinaciter asserens exercere usuras non esse peccatum, hæreticus est*; & rationem affert V. *Hæreticum.*, quia *non solum est hæreticus male sentiens de articulis fidei, vel sacramentis Ecclesiæ .... sed etiam qui perversum habet dogma, vel falsas, aut novas opiniones gignit, aut sequitur .... Istud autem est contra doctrinam Ecclesiæ.*

3. Cardinalis Zabarella, in glossa ad idem caput, ait: *Declarat hæreticum esse asserere pertinaciter, exercere usuras non esse peccatum.*

4. Bonifacius Vitalinus Canonista, qui sub finem seculi XIV. floruit, in Commentario super Clementinas tit. *de Usuris*. n. III. & sequ. *Nota vigesimo septimo, quod hic non distinguitur, utrum quantitas sit modica, vel excessiva. Nam quid quid accedit*

*excedit forti, usura est ..... Et ideo asserens licere sine peccato consequi duo, vel plura, seu unum, vel aliud, quantumcunque sit modicum, pro centenario annuatim, velut hareticus punitur: & sic est contra eos, qui dicunt, quod licitum est lucrari decem pro centenario in anno.* Per hæc tempora *decem* in centum erat fœnus, quod a quibusdam Civitatum statutis, velut moderatum, ac legitimum, præfiniebatur: & nihilominus non hoc solum damnatur, sed etiam *duo*, & *unum* in centum, ac omne fœnebre lucrum, *quantumcunque sit modicum*. Prosequitur autem Vitalinus his verbis: *Nota vigesimo octavo, quod isti sic asserentes, mandantur puniri velut haretici, unde quidam possunt dicere, quod non sunt haretici. Sed certe cum asserat pertinaciter non esse peccatum, quod est peccatum ex antiquo, & novo Testamento, & contra doctrinam Ecclesia; ...... constat quod non credit unam sanctam Ecclesiam, & sic est vere hareticus: unde istud* velut *ponitur hic quasi nota, vel signum veritatis expressivum.*

5. Antonius de Butrio in lib. V. Decretal. cap. *Cum tu*, n. 8. *Quaro, an peccet asserens usuram non esse peccatum? Dicunt Doctores quod sic, & est hareticus, uti in Clementina Ex gravi, de Usuris.*

6. Nicolaus Eymericus ex Prædicatorum Ordine, Inquisitor seculi XIV., in Directorio Inquisit. part. 2. q. 7. n. 7. *Sexta haresis est, quod exercere usuras non est peccatum.*

7. Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, de Contract. 2. quatern. considerat. 13. tom. 3. pag. 172. *Veritas ista tenenda est, tanquam ex fide, & Ecclesiastica determinatione, sicut & de mendacio, quod non possit bene fieri* contractus usurarius.

8. S. Bernardinus Senensis ex Ordine Fratrum Minorum, serm. 43. fer. 2. post Dominicam Passionis art. 3. tom. 2. pag. 285. *Ecclesia sancta acerrime in sacris canonibus, & decretis usuram persequitur, & impugnat; & dicentes usuram non esse peccatum, tanquam hareticos esse puniendos decernit.* Et sermone habito fer. 3. post dominicam 4. Quadragesimæ art. 3. tom. 2. pag. 231. fuse refellit *rationes, & argumenta, qua ad excusandas excusationes in peccatis pro defensione sua usurarii assumere solent, se ipsos miro modo decipientes, & malitias suas, & cupiditates palliantes*; & sunt fere eadem, quæ hodie ab usurarum patronis adduci solent.

9. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus e Prædicatorum Ordine, in Summa Theologica part. 2. tit. 1. cap. 6. §. 2. pag. 80. edit. Veronen. *Semper a Christicolis hac usura habita est pro magno, & enormi scelere, & ad tollendam omnem excusationem hujus maledicti vitii Ecclesia statuit, ut si quis pertinaciter hoc assereret, ipsam scilicet non esse peccatum, & grave, hareticus habeatur, & contra ipsum ut contra alios hareticos procedatur.* Neque prætereundum est, S. Antistitem in antecedenti paragrapho sermonem facere de usuris, quas nonnullæ civiles leges permittebant, quæque propterea moderatæ, ac licitæ in novo systemate habentur. Eundem errorem idem Sanctus inter hæreses refert parte 4. tit. 11. c. 7., quod *de Erroribus hareticorum* inscribitur. Præter cetera autem præcipua animadversione dignum est testimonium part. 2. tit. 3. c. 3. §. 10. p. 450., ubi declarat *pertinere ad haresim*, si quis usuram defendat, quæ *ex depositis* percipitur: ubi *depositi* nomine intelligit pecuniam mercatori creditam, cum fructu moderato *ad discretionem* ipsius mercatoris, ut se explicat eadem 2. parte tit. 1. c. 6. §. 2. pag. 80., idque *etiamsi depositarii multum cum ipsa* (pecunia) *lucrati fuissent*, uti habetur c. 7. §. 34. pag. 110.

10. Franciscus Episcopus Squillacensis, de Fide catholica c. 19. *Asserens pertinaciter exercere usuras non esse*

*esse peccatum*, *dicitur hareticus*, *ut patet in Clement.* 1. *de Usuris*, *cum hoc sit contra doctrinam Ecclesia*. Et pro eadem sententia alios Doctores allegat. Ita hic Episcopus docet suos diœcesanos; hic enim tractatus eisdem directus fuit.

11. Alphonsus de Castro Franciscanus, in opere de Hæresib. c. ult. V. *Usura*, opinionem a nobis impugnatam vocat *apertam haresim*.

12. Conradus de Sumenhart, de Contractibus tract. 2. q. 22. *Qui pertinaciter prasumit asserere, quod exercere usuras non sit peccatum, est velut hareticus puniendus, ut habetur in Clement. Ex gravi, de Usuris. Ergo hac conclusio* (mutuatio usuraria est peccatum) *pertinet ad fidem*.

13. Bernardus de Como, in *Lucerna Inquisit.* hæreticæ pravitatis tom. 11. part. 2. Tractat. pag. 338. n. 7. *Est etiam hareticus, qui dicit, vel tenet pertinaciter usuram non esse peccatum mortale*.

14. Conradus Brunus. de Hæreticis, & Schismaticis lib. 1. cap. 2. sic inscripto: *Qui sint haretici dicendi*, num. 23. *Item si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare prasumat, exercere usuras non esse peccatum, pro haretico habendus est*.

15. Ludovicus Carerius, de Hæreticis n. 9. *Haresis contrahitur affirmando, & tenendo pertinaciter usuras esse permissas, nec eas exercere esse peccatum*.

16. Arnaldus Albertinius Episcopus Pactensis, & Inquisitor Apostolicus, *de agnoscendis assertionibus catholicis*, *& hareticis* q. 3. n. 9. *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumque sapiunt, si correcti ut sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, haretici sunt: & hac pertinacia est etiam in eo, qui in illum incidit errorem, ut pertinaciter affirmare prasumat, exercere usuram non esse peccatum*.

17. Dominicus Soto e Prædicatorum Ordine, de Justitia & Jure lib. 6. q. 1. art. 1. *Si jus civile assereret* (usuras) *licitas esse in foro Dei, haresis esset in Clementina condemnata*.

18. Martinus Navarrus, in Commentario *de Usuris* num. 7. *Lucrum usura est illicitum, & ejus appetitus sue genere peccatum mortale, adeo ut contrarium asserere sit haresis*: quę postrema verba repetit in Manuali cap. 17. n. 207. Porro subjicit n. 11. Commentar. *de Usuris*: *Quare non video quomodo ab haresi, aut ab ejus suspicione excusari possit Carolus Molinaus... qui... ausus fuit affirmare licitas esse usuras moderatas*.

19. Dominicus Bañes e Pradicatorum Ordine, de Justitia & Jure quæst. 78. art. 1. *Secundum fidem catholicam asserendum est usuras esse illicitas, & oppositum est haresis*. Similem sententiam idem tradit 2. 2. qu. 78. art. 1. dub. 1.

20 Ludovicus Molina e Societate Jesu, de Just. & Jur. tract. 2. disp. 204. num. 1. *Usuram illicitam esse adeo est certum, ut contrarium cum catholica fide, ut videbimus, apertissime pugnet*.

21. Leonardus Lessius ejusdem Societatis Theologus, de Just. & Jure l. 2. c. 20. dub. 4. n. 23. *Suppono usuras esse prohibitas, immo haresim esse dicere, usuram non esse peccatum, ut definitum est in Concilio Viennensi*.

22. Cardinalis Toletus Soc. Jesu, Instruct. Sacerdot. lib. 5. cap. 28. *Usura peccatum est mortale, & oppositum asserere est hareticum*.

23. Joannes Azorius ejusdem Societatis, part. 3. lib. 5. cap. 2. *Solus est Carolus Molinaus harescos notatus, qui asseruit, non esse contra rationem modicum quid accipere pro mutuo, quod alteri datur*.

24. Gregorius Valentia Soc. Jesu. tom. 3. disp. 5. q. 21. punct. 1. *Ex fide certum est, usuram esse peccatum. Ita enim est definitum in Cle-*

*Clement. unica de Usuris ... Negant id Albanenses ... Sed falso, & haeretice id isti negarunt, sicut etiam impie, & haeretice Carolus Molinaeus .... contendit, non omnem hujusmodi usuram esse peccatum, sed tantum eam, quae sit excessiva, hancque solam in Scripturis damnari. Quod dogma plane haereticum est ... Itaque adversus hos omnes, tanquam omnino ex fide certum, affirmamus omnem ejusmodi usuram esse peccatum; nam probibetur, ut consentiunt omnes vere docti, & catholici, tripliei jure, divino, naturali, & humano.*

25. Ferdinandus Rebellus Soc. Jesu, de obligat. l. 8. q. 2. sect. 2. n. 1. *Si quis pertinaciter asseruerit, usuram esse licitam, tanquam haereticum censendum esse definitum est in Concilio Viennensi.*

26. Valerius Reginaldus ejusdem Societatis, Prax. Poenitent. lib. 23. c. 4. sect. 1. *Usuram esse licitam error est in fide*; & cap. 5. Molinaei sententiam impugnat.

27. Petrus de Aragonia Augustinianus, de Just. & Jur. q. 78. a. 1. concl. 1. *Secundum fidem catholicam asserendum est usuras esse illicitas.*

28. Martinus Bonacina, de Contract. disp. 3. q. 3. punct. 2. n. 12. *Usura adeo illicita est, ut qui eam licitam esse pertinaciter asseruerit, censeatur haereticus,*

29. Michael Salon Augustinianus, de Just. & Jur. q. 78. a. 1. controv. 1. n. 2. *Secundum fidem tenendum est, usuram in quacunque quantitate esse illicitam, & divina lege prohibitam, & oppositum est haereticum.*

30. Joannes Salas Soc. Jesu, tract. de Usuris dub. 3. n. 5. *Dico tertio, de fide est usuram esse illicitam, & oppositum est haereticum; Castro, Emmanuel. Vega, Bannez, Aragon, Salon, Sotus, Lopez, Navarrus, & alii.*

31. Augustinus Barbosa Collect. in Clem. *Ex gravi* n. 12. *Pertinaciter asserens exercere usuras non esse peccatum mortale, est haereticus.*

32. Franciscus Silvius 22. q. 78. art. 1. *Ad fidem pertinens est, usuram esse peccatum, & ejus oppositum est haeresis declarata per Clementem V. in Concilio Viennensi ... unde sequitur non audiendos esse illos, qui vel aliquam usuram dicebant esse secundum charitatem, vel parvas usuras esse licitas, ut Carolus Molinaeus auctor damnatur.*

33. Joannes Wigers, de Jur. & Just. tract. 5. dub. 3. *Omnis usura ... est illicita, non tantum excessiva, sed etiam quae dicitur moderata, quam jus civile permisit. Est contra Carolum Molinaeum ... Sed est communis, & certa doctrina in Concilio Viennensi definita ... ubi etiam decernitur tanquam haereticum esse puniendum, qui pertinaciter affirmat contrarium.*

34. Joannes Malderus, de Just. & Jur. tract. 5. cap. 3. dub. 3. *Fidei est, nullam usuram ... esse licitam, ut patet Clementina unica de Usuris, ubi cum Concilio Viennensi id definit Clemens V., & qui pertinaciter affirmet contrarium, decernit velut haereticum puniendum. Dico* nullam, *contra eos, qui moderatas usuras licere volunt. Neque enim magis moderata usura licent, quam moderata furta.*

35. Martinus Becanus Soc. Jesu, in Summa Theologiae Scholasticae ad quaest. 75. *Qui eam* (usuram) *exercent, peccant mortaliter ... Concilium Viennense sub Clemente V. docet haereticos esse, qui docent usuram peccatum non esse.*

36. Joannes Aegidius Trullench, Exposit. Decalogi lib. 7. cap. 19. dub. 2. n. 3. *Certum est, & de fide, usuras ... esse probibitas, & peccatum. Unde haeresis est dicere usuram non esse peccatum, ut definitum est in Concilio Viennensi.*

37. Vincentius Filiuccius e Soc. Jesu, tract. 34. part. 2. c. 1. n. 10.

*Dico primo haresim esse dicere usuras non esse peccatum. Ita definitum est in Clem. 1. de Usuris §. ult.*

38. Florentius de Cocq., de Jur. & Justit. tract. 2. cap. 5. sect. 3. *Molinai doctrina, juxta Navarrum, vix potest ab haresi, aut ejus suspicione excusari.*

39. Cardinalis de Lugo Societatis Jesu, de Mutuo, & Usura disp. 25. sect. 2. n. 8. *Usuram esse illicitam, est plane de fide.*

40. Ricardus Arsdekin ejusdem Societatis, Theolog. tripart. tom. 2. de Just. & Jure c. 3. *Illicitas esse usuras constat ex fide, contra Judaos, in Concilio Viennensi id definiente.*

41. Laurentius Neessen, de Just. & Jur. tract. 2. quæst. 4. dub. 4. *Certo constat illicitum, & prohibitum exercere usuras, hareticosque esse illos, qui id pertinaciter negant.*

42. Ægidius Basseus Capuccinus, Theolog. practic. tom. 2. V. Usura n. 6. *Haresis est dicere usuram non esse peccatum, ut definitum est in Concilio Viennensi.*

43. Joseph G.balinus Soc. Jesu, tom. 1. de Usuris lib. 1. cap. 7. art. 2. *Jus divinum prohibere usuram, Pontifices, Concilia, & Patres sapius affirmant ... Eaque de caussa eos, qui licitam esse usuram asserent, hareticis accenset Clemens V. in Concilio Viennensi*; & usuræ moderatæ patronos Molinæum secutos fuse impugnans, *Hanc*, inquit, *assertionem catholicam confirmemus adversus Molinai sectarios.*

44. Thomas Tamburinus Soc. Jesu, lib. 9. de Contractib. tract. 1. cap. 2. §. 2. n. 2. *Omnes consentiunt de fide credendum usuram esse illicitam.*

45. Petrus de Onnate ejusdem Societatis Provincialis, de Contractib. tom. 4. disp. 104. n. 23. *De fide est usuram lege Evangelica esse prohibitam*, & numero 70. *Septimum dubium, & ultimum est, an sit haresis usuram licere, aut non esse peccatum: & respondendum est affirmative.*

46. Cardinalis Laurentius Brancatus de Laurea, ex Minorum Ordine, in Epitome canonum, V. *Usura: Usuram negans esse peccatum, est hareticus.*

47. Honoratus Leotardus J.U.D., de Usuris Quæst. 2. num. 29. *A Clemente V. in Concilio Viennensi definitum est, hareticum esse pertinaciter affirmare usuras licite exerceri*; & quæstione tertia sequenti Carolum Molineum, Hugonem Donellum, & Petrum Heigium laicos I. C. usurarumque moderatarum defensores, rejicit.

48. Boncas Merbesius, Summ. Christ. tom. 1. part. 2. q. 44. *Ex Clementis Papa V. definitione in Concilio generali pronunciata colligimus hanc propositionem, usura est peccatum, pertinere ad catholicam fidem, quod quidem effatum ad revincendos catholicorum animos sufficere debet*; & de Molinæo usuræ moderatæ patrono agens, ita scribit eadem quæst. 44. corol. 2. *Ergo Caroli Molinai ... opinio haresim sapit, aut proxime ad haresim accedit.*

49. Hieronymus Nicolius Augustinianus. Lucubration. lib. 3. tit. 15. n. 10. *Pertinaciter asserens usuras esse licitas, censetur hareticus Clem. 1. de Usuris*; & in Indice, quem idem Auctor lucubravit, ut ex præmissa admonitione liquet, V. *Heresis: Hareticus, qui dicit usuras esse licitas.*

50. Patres Salmanticenses Carmelitæ Excalceati, Theol. Moral. tom. 3. tract. 14. de Contract. c. 3. punct. 2. n. 13. *Esse prohibitam, & illicitam usuram certum est secundum fidem, ut constat ex Concilio sub Clemente V., & affertur in Clementina unic. §. ult., de Usuris.*

51. Joannes Cardenas e Societate Jesu, Cris. Theolog. par. 4. diss. 25. cap. 2. n. 0. *Pramitto esse de fide usuram esse illicitam.*

52. Octavius a S. Joseph Augustinianus Excalceatus, Oper. omni-

tit.

tit. 102. *Interrog.* 12. *Qui usuram asserit non esse peccatum, potest ne a quolibet confessario absolvi? Resp. Si pertinaciter ita tenet, & asserit, nequaquam potest absolvi, quia est hæreticus, & per consequens excommunicatus: nam asserere usuram non esse peccatum. est contra doctrinam universalis Ecclesiæ.*

53. Pater Sporer Franciscanus, tract. 6. in Decalog. c. 4. sect. 4. n. 109. *Omnis usura lucrativa* &c. *Est catholica, & universalis doctrina contra Judæos, hæreticos Albanenses, & novissime Carolum Molinæum in pestilenti suo tractatu de Commerciis, & Usura docentem, nullas, nisi excessivas tantum, usuras jure divino esse prohibitas;* & num. 110. *Illicitum esse, tanquam de fide certum definitur in variis Conciliis.*

54. Joannes Baptista Taberna Soc. Jesu, Synops. Theolog. Practicæ par. 2. tract. 2. cap. 10. q. 3. *An, & quo jure usura sit illicita? Respondeo I. Est de fide esse illicitam ex Concilio Viennensi.*

55. Ludovicus Engel Benedictinus, lib. 5. tit. 19. n. 4. Coll. univ. jur. Can. *Pro certo habendum est, usuras, etiam juxta moderationem juris civilis, exercere, esse peccatum; ita ut qui contrarium pertinaciter affirmare ausus fuerit, indum tanquam hæreticum animadverti debeat.*

56. Natalis Alexander e Prædicatorum Ordine, Theol. Dogm. Moral. lib. 3. cap. 7. art. 3, postquam Calvini, Molinæi, Salmasii, ac aliorum moderatæ usuræ patronorum sententias exposuit, hæc scribit: *Has sententias hæreticas esse nemo catholicus dubitaverit, secundum Concilii Viennensis sub Clemente V. definitionem.*

57. Franciscus Castracanus Sancti Officii Consultor, adnotat. 1. in tit. 66. Institut. Catholic. Episcopi Simanchæ postremæ editionis Ferrariensis: *Nedum humano jure, sed & divino veteris, & novi Testamenti usuram illicitam, & peccatum esse mortale, omnes Theologi; & Canonistæ pleno ore fatentur, adeo quod contrarium asserere hæreticum est.*

58. Elias Dupinius, in Historia XIV. seculi, de usura loquens, inquit: *Clement V. Non seulement en defend la pratique, mais il condamne d'heresie ceux qui assureroient avec opiniâtreté qu' elle n' est point un péché.* Idest: *Clemens V. non solum praxim usuræ prohibet, verum etiam eos hæresis damnat, qui pertinaciter assererent, eam non esse peccatum.*

59. Petrus Leurenius Soc. Jesu, For. Ecclesiast. tom. 4. lib. 5. tit. 19. qu. 340. n. 1. *Communis & Catholica est sententia. Quare usuras esse illicitas esse de fide, ex communi absolute pronunciat de Lugo, & cum eo Pirringh. h. t. n. 6.*

60. Franciscus Amatus Pouget, Instit. Cathol. part. 2. sect. 3. cap. 8. §. 2. *Concilium Viennense OEcumenicum expresse definivit hæresim esse, si quis asserat usuram non esse peccatum;* & novitium systema ex proposito impugnat.

61. Alios plures omitto, quos si vel numerare vellem, nimiam molestiam lectoribus parerem. Ex his autem cujusque ætatis, nationis, atque ordinis Canonistis, atque Theologis, quos allegavi, quisque facile intelliget, quam familiaris sit apud catholicos *hæresis* censura in eam sententiam, quæ usuram vindicare nititur, & simul illud agnoscet, quod etsi aliqui eadem censura non utantur, sicut nec semper utuntur in asserendis aliis dogmatibus, non minus tamen certum dogma pronunciant. Hæreseos enim nota, quæ apud plures legitur, non opinionis scholasticæ. sed certi apud omnes dogmatis argumentum est: adeo ut si duos, vel tres illos privatos, ac novissimos scriptores excipias, qui hæreticorum sententia abrepti. apud catholicos male audiunt, neminem quidem vere catho-

tholicum reperies, qui in hoc Ecclesiæ dogmate haudquaquam consentiat. Hic autem consensus omnium, qui in aliis multis dissident, & dimicant inter se, nonne ex certo divino jure, quod constanti, atque explorata Ecclesiæ doctrina traditum acceperunt, originem ducit?

62. Fuere quidem inter ipsos nonnulli, qui de naturali jure disputantes, varia opinati sunt. At iidem divinum jus expendentes, nullum in hoc dubium moveri posse notarunt. Duos præteriti seculi testes, qui sane Scholarum præjudiciis ducti non fuerunt, inter ceteros audire libeat. Antonius Arnaldus in Epist. ad Episcopum Gratianopolitanum Tom. 3. pag. 9. *Je n' examine point si les raisons que les Theologiens apportent pour faire voir qu' elle (l' usure) est contraire au droit naturel, sont convaincantes. Je la vois condamnée par tous les Peres; par un grand nombre de Conciles; par les Papes qui ont été consultés sur cette matiere, & ensuite par tous les Theologiens, qui sont en quelque reputation de pieté. & suffisance. Cela me suffit pour la condamner sans ecouter les raisons vraisemblables que je vois bien, qu'on peut alleguer pour l' exempter de péché, quand elle ne paroit pas blesser la charité.* Latine: *Ego non quæro, utrum rationes, quas Theologi afferunt, ut usuram jure naturali vetitam probent, plane convincant. Video illam damnari ab omnibus Patribus, a multis Conciliis, a Pontificibus, qui hac de re interrogati fuerunt, & deinde ab omnibus Theologis, qui aliqua pietatis, & doctrinæ fama celebrantur. Hoc mihi sufficit, ut illam damnem, nequaquam auditis rationibus, quas afferri posse video ad illam vindicandam, quando charitati non adversetur.*

63. Similiter Nicolius, in Gallico opere inscripto *Essais de morale* tom. 6. tract. 8. n. 3. *Mais je crois que ce qui rend cela si certain, n' est pas tant la raison naturelle, que la loi de Dieu expliquée par la Tradition de l' Eglise. Car qui s' arreteroit à la raison, il feroit bien difficile de persuader, qu' il y eût du mal de tirer cinq pour cent d' un argent, que je prete à un Marchand lorsque ce marchand estime beaucoup d' avantage le gain, qu' il s' attend de faire de mon argent: de sorte qu' il trouveroit que ce lui seroit une condition bien moins avantageuse que j' eusse part à son gain, en courant le mesme risque que lui: outre qu' il y a souvent des cas ou l' argent ne court aucun risque, come si mon ami devant mille écus, dont il paie le denier dix d' interet, je les lui prête pour le delivrer de cette dette & de cet interet, en me contentant de cinq pour cent. Cet argent, qui ne fait, que passer entre les mains d' un tiers, ne court aucun danger entre les siennes; & ainsi à ne consulter que la raison, il seroit bien difficile de montrer quelle injustice je fais à mon ami, à qui je fais gagner cinquante ecus par an sans aucun risque.* Latine: *At ego credo id certum effici, non tam ratione naturali, quam divina lege, uti a traditione Ecclesia explicatur. Si quis enim in una ratione immoraretur, difficile valde esset eidem suadere, peccatum esse quinos nummos lucrari ex pecunia mercatori tradita, cum is majus ex ea lucrum a se percipiendum confidit; ita ut minus utilem duceret conditionem partiendi lucri, dum idem negotiationis periculum subeatur. Præterquamquod casus quidam incidunt, in quibus pecunia nulli periculo exponitur, uti si meus amicus debeat mille ducatos, pro quibus solvat decem in centum, ego autem eosdem nummos illi dem pensione quinque ducatorum contentus. Hæc pecunia, quæ non transit nisi in manus tertii, nullum periculum in ejus manibus subit; & ita si solam rationem consulamus, perdif-*

*difficile erit ostendere, quanam injustitia amico inferatur, cui id prasto, ut quinque ducatos annuos sine ullo periculo lucretur.* Is proprie non de naturali jure, sed de rationibus, quæ pro statuendo, vel negando naturali jure, allegantur, vel allegari possunt, dubitationem movet. At quidquid id est, divino juri certissimo omnem rationem subjiciendam concludit: *Mais tous ces raisonnemens cessent, quand on s' en tient uniquement à la loi de Dieu, qui a pû condamner l' usure à cause des mauvais effets qu' elle a d' ordinaire, encore meme qu' en quelques cas elle ne fût pas injuste.* Latine: *At hæ omnes ratiocinationes cadunt, quando unice stemus leg. Dei, cui placuit usuram universim damnare, ob malos effectus, quos fere affert, etiamsi aliquo casu injusta non esset.*

64. Ita homines, qui de naturali jure, seu potius de rationibus pro naturali jure allatis ambigebant, de jure divino, quod e sacra auctoritate apertissimum est, nihilum ambigunt. Quæ eo magis consideranda sunt, ne dubitationes a rationibus forte excitatas, quæ ad naturale solum jus pertinent, ad divini certissimi juris, & explorati catholici dogmatis dubitationem quispiam imprudenter traducat. Hæ sicut nihil probassent contra divinum certissimum jus Hebræis olim indictum; ita nihil quoque pro Christianis probant, quos eodem divino jure teneri demonstratum est. Solus Pataresus, vel Calvinista, aut alius ejusmodi hæreticus, qui hac in re cum Barbeyrachio Patrum traditionem condemnet, & in Evangelio dogma illud non videat, vel videre nolit, quod alii æquiores hæretici viderunt, ac vident, adhuc potest hærere, catholicus certe non potest. Jure igitur catholici hæreseos notarunt novitiam Calvini, & Molinæi sententiam, & Gallicanus Clerus in frequentissimis Comitiis an. 1700., in quibus præcipuas partes egit celeberrimus Meldensis Episcopus Bossuetus, hanc propositionem n. 59. jure proscripsit: *Usura, etsi esset prohibita Judæis, non tamen Christianis, lege veteri in judicialibus præceptis abolita per Christum.* Censura. *Hæc propositio verbo Dei contraria est, novæ legis perfectionem, & gentium omnium in Christo adunatarum fraternitatem tollit.*

## CAP. IX.

*Corollarium ex dictis infertur, quod omnis vel minima usura divino jure vetita intelligenda est, non autem solus excessus. Nonnulla objectiones ex auctoritate praeoccupantur, & diluuntur.*

1. Demonstrato jam divino circa usuram jure, nonnulla veluti corollaria subjicienda sunt. Primum, quod ex hoc jure divino sequitur, est, usuram omnem, etiam minimam, vetitam esse. Sicut enim omnis usura vetita fuit apud Hebræos ex veteri lege, ut ipsos adversarios confitentes audivimus cap. 2., omnis quoque interdicta agnoscenda est in Evangelio, in quo idem divinum jus non deletum, sed confirmatum, & perfectum potius monstravimus. Repetantur quæso hoc loco, quæ ex Scriptura, ac traditione fusius disseruimus cap. 2. ibique usuræ damnatæ notionem non in solo excessu, sed in omni supra sortem accessione perpetuo collocatam invenies; & confer etiam quæ adjiciemus lib. IV. cap. 3. §. 11. unde ex peculiaribus ejus libri argumentis exploratiorem ejus loci confirmationem colligere licebit. Qui solum excessum vetitum comminiscuntur, iidem illi sunt, qui divinum antiquæ legis jus in Evangelio confirmatum negant; ac proinde cæci, ac errantes sunt, quos nemo tute sequetur. Sicut divinum jus ex Scriptura, &

& Patribus, ex Conciliis, & Pontificibus, ex Ecclesiæ totius doctrina (quidquid illi dictitent) agnoscere catholici debent; ita ex iisdem aperte docentibus agnoscendum est, usuram omnem vetitam eodem divino jure, *quod generaliter omne sortis exclusit augmentum*, ut Ambrosius notavit in libro de Tobia c. 15. n. 52.

2. Non omnia quidem traditionis testimonia, quæ usuræ vetitæ meminerunt, usuram ita definiunt, ut quidquid supra sortem est, damnatum affirment. Sed ex pluribus, qui usuram damnatam explicantes, hanc unam definitionem constanter, & expresse prodiderunt, quid de aliis usuram generatim damnantibus, vel damnatam tradentibus intelligendum sit, manifestum est. Ita ex. gr. cum Viennense Concilium hæresis damnavit pertinaciter asserentes, *usuras exercere non esse peccatum*, nemo, quæso, usurarum excessum tantum, quem eo quidem tempore usurarii quidam *Coursini* appellati extorquebant, damnatum intelligat. Num enim aliud *usuræ* nomine intelligere potuerunt ejus Concilii Patres, quam quod omnes, iis præsertim temporibus, intellexisse indubitatum est? S. Raymundus, S. Thomas, S. Bonaventura, Henricus Gandavensis, Joannes Duns Scotus, & alii, omne lucrum supra sortem usuræ nomine condemnarunt, ut ex minime dubiis ipsorum testimoniis liquet. Idem cum his sentiebant, & loquebantur omnes, ut incredibile omnino sit, Viennenses Patres *usurarum* nomen aliter accepisse in Concilio, quam ab ipsis, & aliis omnibus accipiebatur, sive in scholis, sive in Ecclesiis.

3. Quod de Coursinis immensas usuras extorquentibus additur, satis exsufflatum fuit in præfatione n. 10., ubi non Coursinos, qui usuras exercebant, sed Patarenos, vel Patarenorum affectas, qui usuras exercere non esse peccatum *pertinaciter affirmabant*, hoc decreto condemnatos ostendi. Enimvero si quis contendat Coursinos tantum *usuras exercentes*, pro solo usurarum, quas extorquebant, excessu, a Viennensis Concilii Patribus eo loco damnatos fuisse, inaniter laboraverit. Nam eo decreto, quo hæreseos nota inuritur, non qui *usuras exercent*, feriuntur, sed qui *exercere usuras non esse peccatum pertinaciter affirmare præsumunt*. Porro Coursini, quantumvis usuras exercerent, non tamen falsum de usuris dogma tradebant. Quin cum usuram omnem vetitam scirent, ne se usurarios proderent, variis artibus, ac titulis illam palliabant. Mutuum enim gratuitum sub pignoris cautione dabant, quod per sese legitimum est, *sed tali tenore adjuncto*, inquit Matthæus Paris in Historia ad ann. 1235., *quod si dicta pecunia prædictis loco, & termino, sicut dictum est, non fuerit persoluta, & reddita; ex tunc in antea semper transacto termino promittimus, & tenemur per eandem stipulationem dare, & reddere prædictis mercatoribus, aut uni eorum, vel eorum certo nuntio, per singulos menses duos, pro singulis decem marcis unam marcam dictæ monetæ, pro recuperatione damnorum, quæ damna, & expensas ipsi Mercatores ex hoc possent incurrere, vel habere; ita quod damna, & expensa, & sors cum effectu peti possint*. Ita qui usuram hac arte tegendam curabant, non ii profecto erant, qui usuram licitam *pertinaciter* affirmarent, quosque ex perverso dogmate hæreseos damnavit Concilium Viennense.

4. Soli Patareni itaque sunt, quos tantum in hac doctrina errasse alibi probavimus. Hi autem hoc in errore usuram universim licitam defendebant; & defendentes quidem licitam titulo locationis pecuniæ, ita ut perinde lucrari liceat ex pecunia, ac ex locatione domus, usitatum pecuniæ lucrum locationibus prædiorum simile defendisse videntur,

Vide præfat. num. 8.

tur, quod immoderatum non est. Hos igitur cum damnarint Viennensis Synodi Patres, non immodicum solum, sed moderatum, & quodlibet usurarium lucrum, usuræ nomine intellexisse cognoscuntur.

5. Enimvero hoc demonstratur omnino ex præmissis ejusdem Concilii decretis, ubi statuta Communitatum de usuris reprobat. Hæc sane statuta non immoderatam permittebant usuram, sed potius immoderatam usurarum exactionem ad certum modum coercuerant, ad quem sane & Justinianus, & alii Principes revocarunt, cum usuras permisere. Patet id ex particularibus locorum statutis, quæ supersunt. Hæc quidem statuta idem Concilium *in offensam Dei, & proximi, ac contra jura divina pariter & humana* esse pronuncians, non solum appellavit divinum jus, quod omnem usuram prohibere vidimus, sed humanum etiam, quo pariter sub ea tempora omnis usura vetita fuerat, præsertim in Gallia, ubi illud Concilium coactum erat. *Usuram intelligimus quidquid est ultra sortem*, dixerat S. Ludovicus in edicto contra usuras edito an. 1254., & Philippus IV. anno 1311., paullo ante Synodum Viennensem edictum tulerat, quo etsi *graviores* tantum usuras pœna corporis, & bonorum puniendas sanxit, speciem tamen *quamlibet usurarum* prohibuit, easdemque abs se fuisse prohibitas declaravit alio edicto an. 1312. *quantulæcunque sint, sicut lege divina secundum doctrinam Sanctorum Patrum prohibita sunt*. Nihil ergo de Concilii mente dubium esse potest, quin hæreseos damnans *pertinaciter* asserentes *usuras non esse peccatum*, omnem usuram, *quantulacunque sit*, ex communi ejus ætatis sensu intellexerit, quam sane qui defendit, *contra jura divina* pertinaciter docens, jure hæreseos crimine, & pœna damnatur.

6. Nemo certe neque per hocce tempus ex tota antiquitate allegabitur, qui novitiam hanc moderatæ, & excedentis usuræ distinctionem indicarit, & aliam licitam, illicitam aliam tradiderit. Novum inventum, & a solis auctoribus, qui in negando divino jure certissime errant, excogitatum, errori profecto deputandum est, quod iis solis placere potest, qui novitatem, & errorem circa ipsum divinum jus sequi non dubitant. Si enim usura omnis, quæ universim vetita fuit Hebræis, non æque vetita fuisset in Evangelio, sed aliqua moderata permissa; non eadem lex, non idem divinum jus in Evangelio confirmatum dici posset: quod si contra scriptum, & traditum Dei verbum est, restat ut omnem, etiam moderatam usuram omnino interdictam credamus; uti omnem sane interdictam pluribus testibus cap. 2. recitatis docet ipsa traditio. Id confirmabitur ex iis, quæ sequentis libri capite ultimo dicentur, ubi usuras quoque legibus permissas, quæ legitimæ, ac moderatæ habentur, ita divina lege vetitas ostendemus, ut adversus divinum jus nullæ ejusmodi leges prævaleant.

7. Scio nonnullos ex adversariis objicere, jure damnatas a Patribus antiquas quantumvis legitimas usuras; *centesima* enim, quæ erat usura legibus præscripta, duodecim annuos in centum reddebat, quod immoderatum nimis lucrum est. At ii primo usuras antiquas cum usuris nostri temporis mitioribus minus æque comparant. Fieri nimirum potest, ut quod uno tempore, vel loco nimium est, alio tempore, vel loco moderatum habeatur. Sic alicubi, ubi tria in centum legitima sunt, nimia, & immodica censentur septem in centum, quę alicubi judicantur moderata, & legitime ex peculiaribus legibus penduntur. Similiter nonne X. XI., immo XIII. & XIV. in centum, *aut plus, aut minus secundum temporum qualitatem, prout ipsi con-*

*trahentes tunc inter se convenerant*, velut legitimus, nec immodicus redditus realis Germanici census, probantur in Martini V. literis, quas in Extravagantibus lib. 3. tit. 5. c. 2. insertas leges? Quidni ante Justiniani tempora similis usuræ taxatio moderata esse, & haberi poterat, & eatenus a vitio purgari? Adde quod Patres, quamvis eam habuissent immodicam, & eatenus etiam damnassent, non eo tamen damnarunt præcipuo nomine, sed propterea quod divino jure vetita est, quo non immodica tantum, sed omnis usura damnatur. Hinc non legitimam solum, sed omnem usuram eos indiscriminatim damnasse, omnemque in Scripturis damnatam prodidisse audivimus. Et licet a Justiniano usura ad eum fere modum redacta fuerit, qui nunc ab excessu alienus judicatur, nimirum ad sex in centum; tamen Patres, Concilia, Pontifices æque illam, veluti jure divino vetitam, & pro concione, & in Canonibus, & Apostolicis literis prohibuere, catholicumque dogma haberi jusserunt, *aliquid supra sortem* accipere illud esse, quod usuræ nomine, Lex, Prophetæ, Evangelium, & omnis traditio constantissime vetuit.

Objectio ex S. Simeonis Stilitæ præcepto.

8. Forte tamen hoc loco quispiam opponet S. Simeonem Stilitam, quinto seculo celebrem, cujus inter præcepta, quæ reliquit plebi cujusdam pagi in Syria *Phanir* nuncupati, istud accensetur, (1) *medietatem fœnoris veteris, & novi esse taxandam*, ut liquet ex epistola Cosmæ presbyteri ejusdem pagi, suo, atque totius plebis nomine ad eundem Simeonem scripta, quam tom. 1. Bibliothecæ Orientalis V. Cl. Assemanus edidit. Porro fœnus, quod eo tempore legitimum habebatur, ex novissima præsertim lege Arcadii, qua Constantinianam pœnis munierat, erat centesima, idest duodecim in centum, quod cum nimium videretur S. Simeoni, & ideo illicitum, quia nimium; illud non totum auferendum, sed ad medietatem revocandum putavit. Et ne quis de licito ambigat, idem Cosmus, in eadem epistola ad ipsum Simeonem, anathematis speciem intorquens adversus eos, qui majoris cupiditate lucri huic præcepto non parerent, hæc subjicit, quæ totum fœnus illicitum, medium autem licitum subindicant: *Qui vero dicit: Non mutuum dabo, cum fœnus exiguum sit, is audiet, quæ dilectio tua protulit, & pro certo habeat, satius esse ipsi medietatem licite tollere, quam totum illicitum habere.* Hoc unicum ex tota antiquitate testimonium, quamvis a nemine objectum, quod nuperrime editum sit, educere, optimoque in lumine collocare libuit, ne quid diligentiæ nobis defuisse, aut dissimulando præteriisse videremur.

Tom. 1. Biblioth. Oriental. p. 18

9. Hanc tamen objectionem utprimum vidi, statim de vi vocum *licite*, & *illicitum*, ex originali Syriaca lingua inquirendum putavi. Quid enim, rogo, voces illæ spectant? Certe non humanam legem, ex qua *licite* nedum medietas, sed totum fœnus percipiebatur: neque vero divinam, quæ vel nullum fœnus vetat legibus taxatum, ut adversarii contendunt, vel, ut Scriptura, ac traditio docet, omne fœnus etiam medium *illicitum* prodit; unde etsi post S. Simeonem medietas fœnoris per Justinianum sublata fuerit, Patres tamen, Concilia, & Scriptores omnes Catholici id quoque fœnus jure divino vetitum æque affirmarunt. Adde quod semissis, quæ ad mediam centesimam redit, satis erat apud Ro-

(1) Illustrissimus Assemanus interpretationem ad verbum ex Syriaco rogatus, de qua sub finem capitis dicetur, sic per literas præsentem locum reddidit: *Et de usura, quod medietas taxa nova, & veteris colligatur.*

Romanos vulgata. *Usura multiplicata semissibus, quæ civilis, & modica est*, inquit Plinius l. 4. c. 4. Hanc solum exercere Senatoribus licuit lege Severi Alexandri, ut tradit Lampridius in ejus vita c.14., necnon lege Arcadii anni 405., quæ in codice Theodosiano describitur tit. de Usuris l. 4. Immo in commentario ad hanc legem Gothofredus observat, non aliam fuisse usuram Fisci, & Civitatum: *Fiscalis usura semissalis fuit, ut & Civitatum, ut ostendit L. 2. Cod. Justinianei*. De his quibus ut indign. L. 17. §. 6. D. de Usuris, & L. 10. D. de Pollicitationibus. Cum tamen Patres, & Concilia omnem usuram indiscriminatim rejecerint, hanc quoque *semissalem*, quę erat nota, usuque recepta, æque reprobarunt. Immo cum S. Joannes Chrysostomus eo testimonio, quod cap. 7. §. 4. recitavimus, eos ex divinæ legis præceptione voluerit esse Christianos, quales ea intermedia tempestate inter Severum Alexandrum, & Arcadii legem esse debebant Senatores, cum ipsis nullas neque semissales usuras percipere ipso humano jure licebat; palam fit hanc quoque mediam usuram, divina lege, Christianos vetitam credidisse. Num Sanctus Simeon hoc fœnus centesimę medium, adversus aliorum Patrum sententiam, *divino jure licitum* judicasse censendus est?

Prima responsio. 10. Si ergo voces illæ *licite*, vel *illicite*, nec humanam, nec divinam legem recipere poterant, num relatæ fuerunt ad aliquem justum titulum, præsertim lucri cessantis, qui ex circumstantiis pateret, ob quem titulum sex in centum, quę erat medietas fœnoris, idcirco sumerentur *licite*, quod haberentur justum lucri cessantis pretium; duodecim autem, seu totum fœnus, *illicite* rediret, quod justam lucri cessantis æstimationem excederent? Hic sane titulus probabiliter conjici posse videtur ex ipsa objectione, cui hæc liciti, & illiciti distinctio a S. Simeone inserta est. Hæc enim distinctio iis obtruditur, qui dicebant: *Mutuum non dabo, cum fœnus* (medium a S. Simeone relictum) *exiguum sit*. Agitur ergo de iis, qui hoc exiguo lucro non contenti, majus non expetebant solum, sed sperabant, ac volebant percipere ex alio contractu præter mutuum; nam hi soli recusare poterant mutuum cum medietate fœnoris, quod *exiguum sit*, præ illo scilicet lucro, quod aliunde percepissent: secus si nullum, vel minus lucrum alias sperassent, nihil erat quod de modico, & exiguo mutui lucro conquesti, mutuum dare detrectarent. Ii, qui ad mutuandum solo lucro moventur, mutuum dare renuunt, ubi nihil lucri acquirant ex mutuo: ubi autem acquirant aliquid, non recusabunt solo exigui lucri nomine, nisi majus lucrum aliunde proventurum confidant. Itaque si de his actum fuit, qui majus lucrum ex aliis negotiationibus sperabant, ita ut mutuum proinde nollent, quod minus lucri pareret; hi profecto lucri cessantis titulum habebant, ex quo medietas fœnoris in restaurationem justam exacta licite proveniret, & his solis S. Simeonem auctorem fuisse, ut medietate fœnoris eo titulo percepta essent contenti, credibile est: unde ad hos tantum ea liciti fœnoris commemoratio porrigitur. Tantum autem fœnus duodecim in centum his erat illicitum, quippe quod lucrum cessans tantę ęstimationis non esset, quæ tantam restaurationem postularet. Hinc sane homines cupidi, in lucrum quam maximum inhiantes, nisi totum mutui fœnus permitteretur, quod aliarum negotiationum lucro præstaret, pecuniam alibi occupare mallebant. Hanc illicitam cupiditatem S. Simeon coercuit, præceptoque satis æquo ad justos limites redegit. Neque difficultatem facias ex eo, quod hæc *medietas* lucri, *fœnus*, seu *usura* dica-

tur, non autem justum justi tituli pretium, quod usura non est, sed compensatio damni. Nam apud antiquos, fœnus, seu usura dicebatur promiscue omnis accessio supra sortem, etiamsi peteretur ex justo titulo lucri cessantis, seu, ut Romani loquuntur, *ejus quod interest*, ut liquet ex L. 60. D. *Pro Socio*. Hæc autem, sicut non est usura proprie dicta, ut Labeo ea lege allegatus notavit, ita non est illud, quod usuræ nomine Deus prohibet. Sed quando sic late appellabatur, nihil mirum, si fœnus in casu vocetur, quod verius, & proprius damni, seu *ejus, quod interest* restauratio fuit.

Altera responsio verior.

II. Hæ illæ observationes fuerunt, quæ primum menti obvolvebantur in solam interpretationem Latinam, uti in Orientali Bibliotheca *licitum*, & *illicitum* præfert. Minor vero difficultas est ex Originali Syriaco, cujus accuratiorem interpretationem ipse Assemanus per literas rogatus, sic *ad verbum* (ut ait) una cum Syriaco textu nunc remisit e Vaticana Bibliotheca die v. Maji an. 1743. *Et qui dicit, quoniam usura exigua est, non mutuum do; is audiet hoc, quod tua dilectio dixit; sitque ei certum, satius ipsi esse, ut medietatem accipiat, sitque ei in benedictionem, quam ut totum accipiat, sitque ei in maledictionem.* Quod ergo *licite*, & *illicite* priori interpretatione redditum fuerat, hac altera ad Syriacorum verborum proprietatem exponitur, *sitque ei in benedictionem*, & *sitque ei in maledictionem*: quæ verba, etsi *licitum*, vel *illicitum*, possent aliquatenus innuere; propriæ tamen, ex locutione in Scripturis familiari, Syriacam formulam exhibent, quæ *benedictionem*, idest laudem, vel præmium aliquod iis adprecatur, vel pollicetur, qui minus cupidi, medio fœnore contenti, a reliquo medio, quod per civiles leges exigere possent, sese cohibent: *maledictionem* autem, idest vituperationem, pœnamve aliquam minatur iis, qui avariores totum fœnus efflagitent. Hic porro benedictio primis rogata, præterquamquod laudem, vel præmium solum humanum potuit indicare, ex. gr. ab hominibus, qui medii fœnoris remissionem beneficio referentes, maxime commendassent (ita enim & in Scripturis, *Cujus memoria in benedictione est*, & id genus alia hominum benedictionem significant) id, quod a licito medio fœnore, quod accipiebatur, apud Deum adstruendo præscindit: hæc certe benedictio, seu laus, vel præmium, quodcunque intelligatur, cum illis, ex beneficio utique, fuerit adprecanda, non quatenus acciperent medium fœnus, quod sane mutuatarios gravabat, non juvabat; sed quatenus a reliquo medio temperarent, quod humanitatis, & virtutis officium, laude, & premio dignum erat; profecto si quid licitum in hac benedictione indicatur, non ad illud fœnus, quod acceptum, sed ad illud, quod remissum fuit, unice refertur. Vides ergo istud testimonium moderato fœnori nihil patrocinari. Cum enim *benedictio* ad medium fœnus sublatum pertineat; medium fœnus, quod relictum fuit, si non ex justo titulo relictum putes, permissioni meræ vertendum est, ut laudatus Assemanus in adnotatione per literas communicata apposite observat, alioque ejusdem S. Simeonis facto mirifice confirmat his verbis: *Permisit S. Simeon medietatem tantum fœnoris percipi, quia totum tollere non potuit, ob duritiem illorum populorum. Satius enim est, ut inquit, idest minus malum, ut quis medietatem tollat, sitque ei in benedictionem, quam ut totum tollat, sitque ei in maledictionem. Simile quid fuasse legitur idem S. Simeon in ipsius vita apud Bollandum tom. 1. die 5. Januarii pag. 265. & seq. Et hoc dico tibi; ne unquam mentiaris, jurésve per Deum. Sin necesse sit tibi jura*

*jura per me humilem, sive serio, sive falso. Per suum enim nomen jurandi facultatem fecisse barbaris illis hominibus censendus est ea ratione, qua dicitur minus malum suaderi posse ei, qui omnino alterutrum facturus sit, sive ex obstinata voluntate, sive ex mala consuetudine. quemadmodum in hunc locum observavit Vincentius Bellovacensis c. 53. lib. 20., Sigibertus Gemblacensis in Chronico ad an. 458., & Bollandus tomo, & pagina citatis.* Hactenus Illustrissimus Assemanus.

12. Neque vero adversarii, erepto sibi hoc S. Simeonis loco, opponant testimonium S. Leonis ex serm. 13. de jejunio decimi mensis, ubi *immodica augmenta* tantum condemnat; vel ex Lateranensi IV. an. 1215. obtrudant canonem septimum, ubi ne *immoderatas usuras, ac immoderatum gravamen* Judæi a Christianis extorqueant, cavetur. Nunquid enim primo immoderatas usuras, quæ per se quidem maxime damnabiles sunt, peculiaribus pœnis mulctare, sive prohibere vehementius, est probare moderatas, quas si non hoc, vel illo textu, aliis certe innumeris reprobatas constat? Sic Philippus IV. Francorum Rex, in duplici edicto an. 1311., solas usuras graves pœnis compescuit, etsi reprobaret *quodlibet genus usurarum, quantulacunque sint*, ut paullo ante monuimus. Dein S. Leo, aliique, cum immodica augmenta appellarunt, non eas appellarunt usuras, quæ legum modum excederent, sed quascunque, ut earum naturam innuerent, qua illæ, etsi ad legum modum exactæ, sine modo tamen augentur semper, atque multiplicantur in dies. Hoc enim pecuniæ fœnori traditæ proprium est, infinitas accessiones parere, nullumque pariendi finem, aut intermissionem recipere, ut S. Basilius in Psal. 14., S. Gregorius Nyssenus orat. in usurarios, S. Ambrosius de Tobia, aliique Patres notarunt. In hanc quidem sententiam commode intelliguntur illa S. Leonis: *Qui multiplicare opes suas immodicis optat augmentis*, nec non illa S. Cypriani in lib. de lapsis: *Usuris multiplicantibus, fœnus*, idest sortem, *augere*.

13. Alterum porro de Judæis, quibus immoderatæ solum usuræ quibusdam canonibus coercentur, dum usuræ omnes vetantur, aut vetitæ præsumuntur in Christianis, quis in probationem usuræ moderatæ traducere possit? *Quanto amplius*, inquit Lateranense IV. Canone laudato, *Christiana Religio ab exactione compescitur usurarum, tanto gravius super his Judæorum perfidia inolescit. Volentes igitur in hac parte prospicere Christianis, ne a Judæis immaniter aggraventur, Synodali decreto statuimus, ut si de cetero quocunque prætextu Judæi a Christianis graves, & immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium* (idest civilis communicatio) *subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter*. Et in eandem sententiam Narbonense Concilium an. 1227., de Judæis primum can. 2. *Item quia Judæi usurariis exactionibus plurimum opprimunt Christianos, cum a Domino generaliter prohibeantur usuræ, Synodali Concilio duximus providendum, ne aliquatenus a Christianis immoderatas usuras accipiant: quod si fecerint, eas restituere ab Ecclesia compellantur, videlicet per excommunicationem in Christianos, qui cum eis in commercio, vel aliis participationem habebunt*; tum de Christianis generale interdictum, pœna item generali, in manifestos usurarios fertur can. 8. Vides ergo quid inter Christianum, & Judæum, inter Divinam, & Ecclesiasticam legem intercedit. Divina lex generaliter usuras prohibet; quas idcirco *Christiana religio* sine ulla exceptione interdicit. Judæi vero, cum sibi licitum credant fœnus cum alienigenis,

genis, quod lex Deuteronomii tolerat, dum Christiani nullas usuras exerceant, solæ immoderatæ Judæorum usuræ hisce Ecclesiasticis canonibus coercentur: unde vel Fridericus Imperator in Constitutione pro Regno Siciliæ, quæ describitur lib. 1. Constitutionum ejusdem Regni tit. 6., post interdictam Christianis omnem usuram, Judæos excipit, *in quibus*, inquit, *non potest argui fœnus illicitum*, *divina lege prohibitum*, *quos constat non esse sub lege a beatissimis Patribus instituta*; solumque usurarum modum, quem transgredi non liceat, eisdem præstituit. Quicunque ex Christianis vellent moderatas usuras sibi permitti, hi se quasi Judæos haberi vellent: nisi etiam Judæis ipsis multo pejores sese præferant, quippe qui usuras quoque inter fratres exigere, sibique permitti velint, quas Judæi sibi vetitas fatentur: unde *pejus judaizare dolemus*, inquiebat S. Bernardus Epist. 263. n. 7., *Christianos fœneratores*, *si tamen Christianos*, *& non magis Judæos baptizatos convenit appellari*. Sed satis jam superque dictum de primo corollario.

## CAP. X.

*Corollarium alterum. De usura vetita non solum Clericis, sed etiam laicis, quos æque jus divinum comprehendit. Nonnulla objectiones rejectæ.*

1. Alterum, quod ex constitutis non minus evidenter sequitur, est, usuram, quæ jure divino interdicta est, non solis Clericis, sed omnibus etiam laicis esse interdictam. Qui ex adversariis solos Clericos usuræ prohibitione obligari putant, idcirco putant, quod eam solo Ecclesiastico jure vetitam existiment, eoque solos ligari Clericos, qui ad majorem perfectionem vocati sunt, æquum existimant. At laicos haud similiter ligari posse, vel debere contendunt, cum ea, quæ ad contractus mere civiles jure divino non illicitos pertinent, Ecclesiasticæ jurisdictioni subesse nolint: secus vero dicendum concedunt, si de divino jure certum sit, quo non minus laicos, quam Clericos adstringi fatentur. Vide Salmasium de Usuris a. 21., & præfationem operis de Fœnore Trapezitico. Itaque cum de jure divino ex dictis constet; jam de jure constat, quod, ipso Salmasio, ac adversariis omnibus consentientibus, nedum Clericos, sed laicos etiam omnes pariter ligat, ut sane omnes Hebræos in veteri Testamento ligasse exploratum est.

2. Neque objicias antiquos canones, qui solis Clericis usuras interdixerunt. Pusillum argumentum, quod quidem pro negando divino jure ex antiquitate adversarii idcirco intorquent, ne se aliqua saltem apparenti antiquorum auctoritate desertos prodant. Antiquitatem vero callentibus, perspicua est veterum Patrum œconomia, cum de peccatis frequentioribus, per civiles præsertim leges quodammodo probatis, ageretur. Etsi enim ea peccata esse indubie crederent, & affirmarent; a pœnis tamen Ecclesiasticis, quas fere irrogant Canones, abstinendum duxere, & non solum quoad laicos, sed quandoque etiam quoad Clericos. Hinc Augustinus in Enchiridio c. 88., postquam peccata Gomorrhæorum, & Sodomitarum commemorasset, quæ in consuetudinem venerant, *quia non solum jam apud eos non puniebantur ... verum etiam publice velut lege frequentabantur*, de peccatis sui ævi subdit: *Sic nostris temporibus, ita multa mala, etsi non talia, in apertam consuetudinem venerunt, ut pro his non solum excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec*

cle-

*clericum degradare*. Idem circa usuram accidit, Romanis legibus permissam, quarum sane patrocinium nonnulli allegabant. Hinc nec in Clericis aliquandiu punita; dein poenæ canonum solis primum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis inflictæ in canonibus, qui vocantur Apostolici; tum vero a Nicænis Patribus ad omnes Clericos extensæ: quæ poenalis canonum œconomia male in approbationem usuræ assumitur pro iis, quibus sicut nulla poena canonica imponenda visa est, ita nec specialis eorum facienda fuit iis in canonibus mentio, qui in poenas ferendas conditi sunt. Quot alia sunt crimina, quæ peculiaribus canonum sanctionibus interdicuntur, & castigantur in solis Clericis; nec tamen laicis esse licita inferri potest? nota sunt quæ de fornicatione, turpi lucro, aliisque similibus adversus Clericos canones statuerunt, ut ne tamen hæc laicis licita exinde credantur, quæ omnibus divino jure vetita alias liquet. Num vero minus liqueat de divino jure, quod omnibus usuram prohibet, satis superque demonstratum existimo. Immo cum ex ipsis canonibus usura Clericis vetita nonnunquam affirmetur, propterea quod divino jure interdicta est; ut ex Nicæno, & aliis canonicis decretis superius consideratis patet; satis hinc laici ipsi moniti fuerunt, ne quod in Clericis damnatum, & punitum viderent, divini juris gratia, id sibi eodem divino jure ligatis licitum arbitrarentur.

3. Adde quod, ne qua laicis esset erroris occasio, cautum ab iisdem antiquis Episcopis fuit, ut quod vitium canonibus coercerent in Clericis, quibus canones notissimi erant, ab eodem, in sacris concionibus ad populum habitis, universos removerent, quemadmodum S. Gregorius Nyssenus in Epistola canonica ad Letojum expresse affirmat. Postquam enim observavit plura crimina, inter quæ usuram accenset, a Nicænis Patribus quoad laicos incastigata fuisse relicta, addit: *Satis habemus, & vitia, in quantum poterit fieri, publica doctrinæ sermone, & allocutione sacra sanare, tanquam morbos quosdam ex repletione natos, vitia hujusmodi ex avaritia orta verbo curantes*. In quæ notavit ipse Salmasius lib. 2. de Fœnore Trapezitico pag. 353. *Nec aliam viam tenuere patres prisci, Græci, Latinique, tam Gregorio anteriores, quam inferioris ævi, qui allocutionibus suis ad populum exstirpare ex hominum pectoribus omnes avaritiæ caussas conati sunt. Inde illorum adeo frequentes, quibus in fœnus acerrime invehuntur, declamationes*. Nonne hæc satis, ut canonum antiquorum, adversus usuras laicorum, silentium, nihil contra constitutum divinum jus probet? Immo ubi nulli præsumantur canones, qui laicorum usuras damnent, si nihilominus Patres in concionibus adversus usuras laicorum acerrime invecti sunt, eas utique laicis, non Ecclesiastico quidem (quod laicis, nihil tale vetuisse præsumitur) sed solo divino jure vetitas, uti a majoribus acceperant, credidisse hinc potissimum confirmatur.

4. Neque tamen omittendum, quod in aliis canonibus usura, licet laicis nondum interdicta Ecclesiastico jure, satis tamen reprobata, & illicita aliis indiciis innuitur, cum vel usuraria lucra a (1) sacris oblationibus removentur, quod lucro saltem turpi, ac illicite parato accidit; vel usurarii, quamvis laici, a (2) sacris arceantur ordinibus, quod de negotiatione licita factum non fuisset. In aliis etiam canonibus, non posterioribus tantum, sed etiam antiquis, omnis usura, omnibus, & nominatim etiam laicis (3) reprehensa, ac (4) interdicta invenitur, & iis quidem verbis, quæ non novum Ecclesiasticum jus condere, sed rem

(1) Constit. Apostol. lib. 4. c. 5 Commodianus &c.

(2) Basilii Epist. ad Amphil. can. 14. Synod. Carthagin. IV. c. 67.

(3) Carthaginense plenarium an. 350. circiter can. 13.

(4) Eliberitanum can. 20. Cabilon. can. 5. Meldense ann. 845. c. 5. & alia.

rem altiori, seu divino jure omnibus vetitam reprehendere, & coercere praeferunt.

5. Ex his porro liquet, quam levissimum sit, quod nonnulli obtrudunt, usuram idcirco per sacros antiquos canones Clericis fuisse prohibitam, quia *omnibus secularibus negotiis abstinere debent*. Nam etsi verissimum sit, quod Clerici debeant a negotiis secularibus alias licitis abstinere; usuram tamen non hoc nomine ipsis interdicta fuit, sed quod *Scriptura*, seu *legis divina obliti*, ut canon Nicaenus loquitur, ad divini juris memoriam, atque officium revocandi erant. Id autem divinum jus non tam agnoscendum est iis in canonibus, qui expressam divinae legis fecere mentionem, sed in illis etiam, qui legis ejusdem non meminerunt, subaudiendum est, ut ipsi Graeci Schismatici interpretes monuere. Sic enim Balsamon in can. 43. al 44. inter Apostolicos, qui divinae legis non meminit, hanc adnotationem posuit: *Lex antiqua dicit:* Non dabis fratri tuo pecuniam ad usuram: *consequenter praesens canon dicit omnem deponendum Episcopum, Presbyterum, & Diaconum foenerantem, nisi cessaverit*. Et Zonaras: *Hic quidem Canon jubet Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos usuras non exigere; nam si veteri lege vetitum fuit hoc dicente*: Foenori non dabis argentum tuum fratri tuo, *multo magis vetatur illis usuras capere, qui secundum Evangelium vivere jubentur: propterea deponi praecepit ad usuram mutuantes, nisi desinant*. Quod enim divinum jus in Nicaeno, aliisque canonibus declaratum, canonis conficiendi ratio fuit; id in aliis quoque canonibus jure intelligitur, etiamsi expressum non sit.

Salmas. de Fenore Trapezit. l. 2. pag. 407.

6. Hinc sane usura, cum divino jure sit interdicta, nullo unquam canone Clericis permissa probabitur, sicut alia nonnulla non eodem divino jure, sed mere Ecclesiastico interdicta, iisdem Clericis per dispensationem nonnunquam permissa inveniuntur: uti negotiatio quidem, certis cum cautionibus, non tam Clericis inferioribus, quam Diaconis, Presbyteris, & Episcopis permittitur in antiquissima Elibertana Synodo can. 19. Non itaque Clericis usura idcirco vetita fuit (ut quibusdam usurarum patronis placuit) quia negotiationis species est, a qua ne distrahantur a sacris, Clerici alieni esse debent. Hoc enim ex capite permitti illis aliquando potuisset, sicut negotiatio permissa nonnunquam fuit. Immo cum usura desidiosus sit quaestus, seu (uti vocatur a Plinio) *quaestuosa segnitia*, quae nihilum, vel minimum occupat, & distrahit; haec maxime non solum prae negotiatione, sed prae aliis quoque licitis, sed impeditioribus exercitationibus permitti iisdem debuisset, si solam evagationem, occupationemque animi, Patres in eadem spectassent. Sed quia non alia de caussa vetita fuit, nisi quia turpis, & illicitus est quaestus; nunquam idcirco Clericis invenitur permissa, quando negotiatio, majorem evagationem animi afferens, at licita tamen, ipsis aliquando concessa legitur. Ita haec generalis, & constans usurae prohibitio, quae in negotiosam distractionem reduci nequit, ut adversarii vellent, ejusmodi quaestum esse illicitum magis magisque confirmat.

Salmas. de Usuris c. 21. p. 615.

Lib. 31. Hist. natur. n. 14.

7. Indignum hinc etiam cognoscitur, quod nonnulli objiciunt, usuram perinde cum negotiatione Clericis interdici, ac si par sit utriusque caussa, & jus. Quis non videat homines a ratione aequa desertos, quaslibet, tametsi desperatas, argumentationes arripere? In Apostolico Jerosolymitani Concilii decreto, una cum fornicatione, (quidquid hoc nomine intelligatur) vetitus legitur sanguinis, ac suffocatarum carnium esus: num par utriusque caussa, & prohibitio est? Nonne alii sunt canones, qui simul vetant quae divini

ni, & quæ meri Ecclesiastici juris prohibitione coerceentur? Sed in his levissimis nimium immoramur.

8. Hic vero nonnemo fortassis S. Augustini textum objiciet ex Enarrat. in Psal. 62. n. 13., ubi inter diversas laicorum artes, quæ iisdem licitæ sunt, fœnebrem recenset: *Alius elegit sibi vitam negotiandi, alius vitam rusticandi, alius vitam fœnerandi, alius vitam militandi, alius illam, alius illam.* Mirum si hoc loco, qui simplicem variarum artium enumerationem exhibet, approbata credatur fœnebris ars ab eo Sancto Doctore, qui eam alio sermone in Psalmum 54. n. 14. expresse damnans, *Fœnus*, inquit, *& professionem habet: fœnus & ars vocatur, corpus dicitur, corpus quasi necessarium civitati, & de professione sua vectigal impendit.* Ne contradictoria in tanto Doctore admittantur, observandum est ejus consilium, quo varias victus quærendi artes primo textu recensuit. Si expendatur contextus, palam fiet, mentem ejus fuisse, non referre artes vivendi licitas, sed vitam a Deo promissam iis omnibus præferre, quas sibi homines eligunt, ibique vitas a *perversis* etiam electas complectitur, ut liquet ex illis, quæ statim post recitata verba subjiciuntur eod. n. 12. *Diversæ sunt vitæ, sed melior est misericordia tua super vitas nostras. Melius est quod das correctis, quam quod eligunt perversi. Unam vitam donas, quæ præponatur omnibus nostris, quascunque in mundo eligere potuerimus.* Inter *omnes vitas*, quascunque etiam *perversi* eligere possunt, non solæ professiones licitæ censentur, sed etiam illicitæ. Quis ergo vitam fœnerandi inter has recensitam ex hoc textu argumentetur licere, cum præsertim eam alibi illicitam expresse tradat?

9. Ex Jure Canonico duo canones Innocentii III. objici solent, nimirum can. *Salubriter* tit. *de Usuris*, & canon. *Per verba* tit. *de Donationibus inter virum*, in quorum altero gener haud compellendus traditur, ut fructus possessionis pro pecunia dotali a socero obligatæ computet in sortem; in altero autem pecuniam dotalem, ut tuta simul, atque utilis sit, apud mercatorem posse collocari cum lucro Pontifex approbat. Sed injuriosum nimis est tanto Pontifici, ac plane incredibile, eum, qui tot decretalibus adversus usuram, & usurarios semper dimicavit acerrime, inter quas una ad Philippum Galliæ Regem apud Acherium legitur, usuræ aliquando patrocinium dedisse his duobus in locis, ubi usuram non memorat. Nonne vel hæc una ratio satis convincit, hisce in canonibus non de fœnore, sed de alio honesto lucro sermonem haberi? Enimvero in can. *Per verba* mentio fit *honesti lucri*, quale profecto Innocentius III. usuram non habuit; & sane non mutuum, ex quo usura nascitur, sed alium legitimum contractum cum cauto mercatore ineundum, ex quo lucrum honestum percipi queat, & quo etiam pecunia apud eundem mercatorem magis tuta sit, quam apud maritum pauperem, ibidem indicare ostendemus pluribus Opusculo II. n. 41. In canone autem *Salubriter* sermonem esse de marito, qui præsumitur ex privatione pecuniæ dotalis damnum percipere, ita ut *recipiat fructus pro interesse*, seu compensatione damni, vel lucri cessantis, *& non pro usura*, in glossa ad eum canonem tradidit Innocentius IV., qui Innocentii III. mentem pernoscere potuit: unde hæc interpretatio veluti sincera communius afferri solet. Ubi autem falsa esset præsumtio, quæ forte in casu Innocentii III. explorare aderat, vis canonis nulla esset: unde alios maritos, hoc præsumto titulo carentes, alii auctores usuræ condemnant, ut videre est apud S. Antoninum part. 2. tit. 1. c. 7. §. 27. Ego vero in notationibus ad c. 56. ejusdem partis secundæ §. 1. pag. 79. editionis Ve-

Veronensis aliam interpretationem adjeci, his verbis: *Cum non hanc* (rationem, quam in priori interpretatione proposui) *in pradicto canone allegaverit Pontifex, sed istam:* Cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii sustinenda; *ac si fructus, si matrimonii onera excederent, percipi non possent pro ea portione, qua excedunt, quod eum nonnullis diserte tradit S. Bernardinus Senensis tom. 2. ser.* 42. c. 2. (Secundum quosdam, si fructus superant onera matrimonii, non potest maritus recipere, nisi quantum se extendit matrimonii onus, quia cessante caussa, cessat & effectus) *cum hanc, inquam, rationem ab oneribus matrimonii ductam allegaverit Pontifex; conjici fortassis potest, maritum idcirco pro alenda conjuge, ceterisque uxoris oneribus sustinendis posse fructus percipere, quoad dos solvatur, quod in matrimonio contrahendo alendæ uxoris &c. obligationem jure possit nolle subire, quoad dos sibi debita non numeretur, illamque obligationem patri, vel consanguineis uxoris relinquat, qui in eam rem fundi oppignorati fructus remittunt: & hinc Innocentius IV. docet, quod postquam maritus non debet eam uxorem alere, non debet fructus accipere*. Hactenus in ea notatione. Postea vero hanc eandem interpretationem approbatam legi a Jacobo de Fieux Episcopo Tullensi, in Instructione pastorali de Usuris, data die 25. Aprilis an. 1679., & confirmata, ac iterum recusa an. 1703. ab Henrico de Bissy ejus successore, ac dein Cardinali celeberrimo. Hæc autem ibidem leguntur c. 7. *La premiere* (exception) *est en faveur d' un gendre qui peut percevoir les interêts de la dote de sa femme. Le Pape Innocent III. cap.* Salubriter de Usur. *declare qu' un gendre n' est pas obligé de tenir compte sur la dote de sa femme des fruits qu' il a perçus des biens dont son beau-pere lui a donné la joüissance, jusques à ce que la dote aïe été entierement païée. La raison est que ce profit doit être consideré comme une pension que le pere donne à sa fille pour l' aider à porter les charges du mariage, & non pas comme une recompense du delai qu' on lui donne pour le paiement de sa dot. Mais si le beau-pere assigne sur un autre le païement de la dot de sa fille. ou si le gendre donne l' argent de cette dot à quelqu' un, il ne peut en tirer aucun profit sous pretexte que cet argent provient d' une constitution dotale; parce qu' il n' y a que le pere ou autre qui tienne lieu de pere, qui soit obligé à nourir la fille, & à porter les charges du mariage*. Latine autem sic: *Prima exceptio est in favorem generi, qui ex dote uxoris potest interesse percipere. Pontifex Innocentius III. cap.* Salubriter de Usur. *declarat generum non obligari ob uxoris dotem ad computandos in sortem fructus, quos percepit ex prædictis, quæ socer illi tradidit, ut iis fruatur, quoad dotis solutio fiat. Ratio est, quia hi fructus accipi debent uti pensio, quam pater filiæ solvit, ut onera matrimonii ferat, non autem uti pretium pro dilata solutione dotis. At si socer dotis solutionem pro filia referat in aliam personam, vel gener pecuniam dotalem alteri credat; is nullum potest fructum recipere eo nomine, quod ex dotali pecunia provenit: nemo enim est nisi solus pater, vel patris, locum tenens, qui nutrire filiam, & matrimonii ejus onera ferre debeat*. Utramlibet porro interpretationem eligas, nihil ex hoc pariter canone usuræ patrocinatur.

10. Neque omittendus hoc loco est cap. 1. *de Usuris*, ubi Alexander III. fructus possessionis oppignoratæ percipi posse ait, *si Ecclesia beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu Laici videatur*; nec cap. 8. ejusdem tituli, ubi idem Pontifex concedit fructus item posse colligi, si *terra ipsa de feudo sit monasterii vestri*. Nihil hinc

hinc quoque usuræ favet: neque enim in hisce casibus lucrum pecuniæ mutuæ exigitur ex pignorati fundi fructibus, sed vel redimitur fundus proprius, qui occupabatur a laico, vel recipiuntur fructus prædii feudalis, quod in monasterii dominio erat, idque ipsum recipitur in compensationem servitii, quod vassallus monasterio debebat, ut ex alia decretali c. 1. *de Feudis* Innocentius IV. explicat.

11. Una nunc objectio reliqua est, quam ex Florentinę, ac Tridentinę Synodi silentio adversarii eliciunt. Græci, inquiunt, & Calvinus usurę faverunt: Græcorum errores Florentina, Calvini autem Tridentina Synodus correxit; Igitur si error esset, qui usuram divino jure vetitam negat, nec a Florentinis, nec a Tridentinis Patribus dissimulatus fuisset. Quot ex capitibus hęc oppositio deficit! Primum enim quam perversum istud argumentum est, quo de Ecclesię sententia, non ex innumeris, & expressis ejus judiciis, sed ex ejus silentio, quod aliqua occasione servavit, judicium profertur? Constat omnes Ecclesiæ Patres, & ante, & post Florentinam, Tridentinamque Synodum, illud tanquam dogma fidei constanter docuisse, omnem usuram esse peccatum. Eritne probabile, aliam fuisse Florentini, vel Tridentini Concilii fidem, quoniam de hac re non expresse pronunciavit? Dein ad Grę-cos quod pertinet; falsum hoc prę-judicium esse, quod de Græcorum errore a nonnullis traditur, in prę-fatione luculenter ostendimus. Licet autem non idem sit de Calvino, quem adversariorum sententię antesignanum agnoscimus; num tamen Synodus Tridentina omnes Calvini errores sibi damnandos proposuit, ita ut non improbandum dici debeat, quod damnatum expresse non fuit? Quot alios errores Calvinus docuit contra certissima dogmata de visibilitate, & indefectibilitate Ecclesię, de Conciliorum Oecumenicorum auctoritate, de descensu Christi ad inferos &c., de quibus tamen idem Concilium expressam definitionem non tulit? Adde quod Calvini circa usuram error paucorum fuit, contra quem plures ex ipsis Protestantibus aliter sentiebant, ut in Prefatione item ostendimus. Concilium vero Tridentinum errorum capita, quę omnium, aut plurium Protestantium fuere, pręcidenda sibi proposuit. Nihil itaque ex Tridentini silentio colligere possunt recentiores patroni usurarum, cum neque omnes Calvini errores Concilium damnaverit, neque error circa usuram tunc late diffusus sit; unde etiam potuit accidere, ut ad Tridentinorum Patrum notitiam nequaquam pervenerit. Ceterum ex eodem Concilio satis implicita divini circa usuram juris declaratio derivari potest, ex sessione scilicet quarta, ubi *ad coercenda petulantia ingenia* decretum fuit, ut *nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.* Qui fuerit, ac sit Ecclesiæ sensus in interpretandis Scripturis de divina prohibitione usuræ, quam unanimis sit consensus Patrum, ignorare potest nemo; ac propterea quo jure reprobanda sit usura, ex hac ipsa Tridentini Concilii regula confirmatur.

Præfat. n. 6.

Eadem præfat. nu. 15.

## C A P. X I.

*Objectiones reliquæ solvuntur.*

1. Cum de divino circa usuras jure in præsentiarum egerimus, nihil dicendum de objectionibus a ratione ductis, quæ

quæ ad naturale jus pertinentes, ibi proponendæ, ac refellendę erunt, ubi naturale jus statuetur. Divino juri, quod ex certo dogmate, & auctoritate liqueat, omnino parendum est, sive ratione intelligatur, sive non: & sicuti rationes, si quę repugnare videantur, nihil juvabant Hebręos, quominus divino juri apud ipsos certo obtemperare cogerentur; ita nihil prodesse possunt Christianis, quibus idem jus a Christo confirmatum ex catholico dogmate ostendimus. Confer dicta cap. 1. & 7. Solę objectiones ex auctoritate sacra ingestę, quę ad dogma infirmandum pertinere queunt, omittendę non sunt. At quę ad jus ipsum spectant, in superioribus capitibus opportuno loco positę, & explicatę invenientur. Reliquę sunt aliquę, facti potius, quam juris objectiones, quibus scilicet facta usuraria opponuntur. Cum vero facta juri contraria per se ad jus negandum nihil faciant, necessario consideranda non sunt; errare enim in factis catholici potuerunt semper, etsi in doctrina, & jure nequaquam errarent. At cum facta quędam opponantur, quę a viris & sanctis, & Ecclesiastica dignitate fulgentibus collecta, juris auctoritatem pręferre videntur, ea hoc in postremum caput reservata, ad examen vocemus.

## §. I.

### *Ex aliquot Epistolis S. Basilii.*

2. PRimo tres ingeruntur S. Basilii Epistolæ 107. 108. & 109. postremæ editionis, ubi is acturus pro Julitta Vidua, ut eam ab usurarum solutione liberaret, angustias ejus, & liberalem creditoris promissionem de usuris remittendis unice commendans, ex divinis Scripturis, aut divino jurę nihil objecit. Misera argumentatio; ac si ex aliis S. Basilii locis certum non sit, quæ ejus fuerit de divino jure sententia. Sed adversarii obsurdescentes omnibus exploratis ejus testimoniis, hasce Epistolas jactant, quibus in peculiari casu de divino jure dicere opus non fuit. Agebatur enim de creditore, qui Julittę, ipso Basilio præsente, duo liberaliter quidem, & ex pacto scriptis tradito concesserat: primo certum induciarum tempus, quo commodius solveret debitum; dein, si sortem solveret, usurarum remissionem. Postea, pacti immemor, ipsum præstitutum tempus primo coarctare, deinde vero soluta sorte usuras exigere. In hanc rem Basilius a Julitta propinqua ejus rogatus auxilium, haud opus habebat proferre Scripturas, & prohibitionem divinam, parum utiles futuras apud eum, qui certam pacti obligationem negligeret; sed ipsam pacti, quæ apud homines vel in foro externo satis valet, fidem inculcandam æquissime duxit. Adde quod Epist. 107. scripta fuit ad ipsam Julittam, cui dum subsidium exhibetur, de divino jure differendum non erat: Epistola autem 108. ad durum exactorem eo tempore scripta fuit, quo non de usurarum exactione, sed de solo tempore coarctato agebatur, ut nihil de usuris esset disputandum: ac tandem Epist. 109. ad Helladium pro usurarum remissione scripta, cum infidelis exactor *præter sortem usuras etiam conabatur exigere*, quid opus erat de jure divino agere apud eum, qui non creditor, aut exactor erat, sed adversus creditorem, exactoremque apud Præfectum intercessor rogabatur?

## §. II.

### *Ex Sidonio Apollinari.*

3. ALiud factum opponitur a Sidonio Apollinari Amernorum Episcopo, descriptum lib. 4. epist. 24. ad Turnum. Hujus pater,

ter, Turpio apellatus, a Maximo quandam pecuniæ summam acceperat sub usuris centesimis, quæ Romanis legibus præfinitæ, nec per decennium circiter solutæ, sortem æquaverant. Turpio interim gravi morbo corripitur, & auctoritate publica, inscio tamen Maximo, ad solutionem urgebatur. Cumque vero is solvendo non esset, Sidonium Tolosam profecturum rogavit, ut ad Maximum quondam amicum suum divertens, aliquas ab eo inducias impetraret. Ille autem Maximum nuper creatum Episcopum reperit, cui cum rem exposuisset, is statim collacrymans, non moram debiti, sed periculum debitoris, *Absit a me*, inquit, *ut hæc reposcam clericus ab ægro, quod vix petiissem miles a sospite*. Tum non inducias solum unius anni concessit, sed remisit etiam usuras, in quo Sidonius, *Egi*, inquit, *gratias Deo maximas, hospiti magnas; quia sic amaret tam suam famam, quam conscientiam*. Quid hic, rogo, est in approbationem usuræ, quam si is, qui remittit, *conscientiam suam amare* traditur, peccatum utique, quo conscientia læditur, in usuris exigendis certissime declaratur?

4. Atqui, inquiunt adversarii, Sidonius in eadem epistola factum describens, moniturus Turnum Turpionis Filium, ut nulla excusatione usus, sortem post annum solvendam curet, his utitur verbis: *At cum habet talis persona contractum, qua velit medium relaxare, cum totum possit exigere; si moram patitur, quidquid per misericordiam concesserat pie, juste reposcit propter injuriam*. *Medium* vocat usuras, quæ sorti æquatæ, modum sortis ad duplum adauxerant: *Totum* autem usuras, ac sortem intelligit. Ergo (colligunt illi) usuram justam, ac licitam putabat Sidonius, qui eam sola *misericordia* relaxari, *juste* autem totam exigi posse pronunciat. Nisi conscientiæ offensionem ex usuris contractam aperte præmisisset, dubitatio fortassis aliqua ex hisce verbis potuisset suboriri. At post sententiam tam manifestam, quis non videat, Sidonium, ni sibi in iisdem literis contradicat, non posse intelligere de justitia, quoad Deum in foro conscientiæ, sed quoad homines in foro externo, ubi usuras ad duplum redactas, *leges, & judices reddi jubent*, ut Augustinus notavit? Adde quod justior in eodem foro esse poterat Maximi caussa ex *mora*, & *injuria*, si post tantam miserationem deceptus fuisset. Ceterum si hoc testimonium pro usuris probaret etiam in foro conscientiæ, pro iis quoque usuris probaret, quæ ab ægro, & impotenti exiguntur, quas ipsi adversarii jure etiam naturali illicitas fatentur. Quis tam absonam sententiam Sidonio Episcopo tribuat? Epist. 153. nu. 25.

### §. III.

### *Ex S. Gregorio Turonensi: ubi de accipientibus mutuum sub fœnore.*

5. Tertium factum ex S. Gregorio Turonensi profertur, qui l. 3. Hist. Francor. n. 34. narrat, Desideratum Episcopum apud Virdunensem Urbem, ut habitatoribus eius valde pauperibus, atque destitutis provideret, petiisse per legatos a Theudeberto rege pecuniam, quam *cum usuris legitimis reddendam* pollicitus est. Ille autem septem aureorum millia cum præstitisset, quibus cives illi pauperes *negotia exercentes divites* evasere, solutionis tempore ab Episcopo *debitam pecuniam* offerente recipere noluit, *illud mihi sufficit*, inquiens, *si dispensatione tua pauperes, qui opprimebantur inopia, per tuam suggestionem, vel per meam largitatem sunt relevati*. Duplex hinc argumentum adversarii eliciunt. Alii enim usu-

ras

*ras legitimas*, & *debitas* opponunt, ac si hæc verba licitum, & justum apud Deum innuant, quod sola humanarum legum ratione *legitimum*, & *debitum* vulgo dicebatur. Alii vero sumtionem mutui sub usuris, pro usurarum defensione ingerunt, eademque de caussa opponunt alia facta aliorum Episcoporum, & Ecclesiarum, quæ in necessitatibus, atque angustiis pecuniam sub fœnore accipiebant, ut ex Novel. 7., aliisq. monumentis liquet. Porro Salmasius cap. 20. de Usuris pag. 601. illicitum esse contendit petere mutuum sub usuris solvendum, si dare illicitum sit. Itaque si petere licuit, dare illicitum dici non debet.

6. Qui hac objectione nihil discernunt inter eum, qui necessitate pressus mutuum petit, etiam sub usuris solvendum, & eum, qui mutuum sub usuris eredit; inter eum, qui injuriam patitur, & eum, qui infert, nihilum distinguat oportet. Num inferre licet malum, quod pati licet, aut in rebus externis pati non licet malum, quod non licet inferre? Jesus Christus in Evangelio aliter multo docuit, cum apud Lucam 6. v. 20. dixit: *Qui te percutit in maxillam, præbe & alteram, & ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere*; seu ut apud Mattheum exprimitur c. 5. v. 40. *Qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Et Paullus 1. Cor. c. 6. v. 7. a litibus removens: *Quare*, ait, *non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Hac eadem ratione fœneratorem non alter volentem necessitati succurrere, nisi cum usura, perpeti, & usuras eidem solvere licet. Quærendus est, si fieri potest, qui sine usuris mutuum credat, vel justo titulo credat lucri cessantis, aut damni compensationem stipulatus: unde Concilium generale Lugdunense primum sub Innocentio IV. c. 13. *debita non usuraria, si fieri potest*, quæ scilicet usuram non rependerent, ab Ecclesiis in necessitate etiam contrahi vetuit. At si hominem ejusmodi reperire non liceat, mutuum a fœneratore in necessitate petere, & fœnus exigentem pati licebit: unde Augustinus serm. 239. n. 5. eum depingit, nec damnat, qui impotens gratuito mutuo restituendo, importune cogitur a mutuante, *ut quærat fœneratorem*, atque *patiatur*. Sic enim mutuantem duriter exigentem alloquitur: *Non es fœnerator, & vis cui præstitisti, ut quærat fœneratorem, ut tibi reddat. Si propterea fœnus non exigis, ne te fœneratorem patiatur; quare vis, ut propter te alium fœneratorem patiatur?* Vide S. Thomam 2. 2. qu. 78. art. 4. ubi, etsi ad fœnerandum inducere nemini liceat, licere tamen docet uti fœneratore, & exemplum profert ex eodem Augustino in epist. 154. ad Publicolam, cui quærenti, utrum liceret uti juramento ejus, qui per falsos Deos jurat, uti nonnulli Patres veteris Testamenti fecerunt, respondet S. Doctor, quod *qui utitur fide illius, qui per falsos Deos jurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per dæmonia juravit, sed pacto ejus bono, quo fidem servavit: Si tamen induceret eum ad jurandum per falsos Deos, peccaret*. Ex his autem colligit S. Thomas: *Ita etiam in proposito dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris. Licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius. Sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona, quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur, exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismahel: Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro, ut dicitur Jeremiæ* 41. Confer S. Antoninum par. 2. tit. 1. c. 9. §. 9. & S.

S. Bernardinum Senensem tom. 3. serm. 34. part. 1., ubi mutuum sub usura accipientibus, ne feneratorum culpę participes sint, certas cautiones, & conditiones pręscribunt. Nimium rigorem simul, & malam ratiocinationem ille prefert, qui hos condemnat, dum usuram in necessitate patiuntur, & solvunt; ut absolvat feneratores, dum usuram exigunt. Quod si valeret in ipsis necessitatis casibus, in quibus pati licet feneratores, ad excusandam quoque usuram ex miseriis hominum expressam valeret; quod tamen vel adversarii refugiunt.

7. Atqui, inquies, plures non tam usuram patiuntur, quam mutuum ad usuram petunt. Hoc quidem cum sit usurę caussam prębere per se, si advertatur, nulla necessitate, nullo casu licet, ut S. Thomas notavit: sed pręterquamquod sanctos viros, & Ecclesias hac ratione petiisse probari non facile poterit, inadvertentia, & inconsideratio aliquam potest excusationem pręferre, ut ne hujusmodi facta ad probationem usurae, quę accipitur, vel exigitur, traduci queant.

## §. IV.

### *De Montibus Pietatis.*

8. Reliquum est factum frequentissimum de Montibus Pietatis, in quibus ipsi pauperes, mutuo accepto, aliquid supra sortem solvere coguntur: & nihilominus hi Montes, qui usuram accipiunt, ab omnibus Catholicis, immo & a Summis Pontificibus, atque Conciliis etiam Generalibus probantur. Mirum est potuisse adversarios de usura suspicari in facto probato, ut vel ipsi pręferunt, ab omnibus Catholicis, & Conciliis, & Pontificibus, qui usuram certissime damnant, & in eo quidem facto suspicari de usura, quod ad usuram vitandam factum, & approbatum fuit. Cum enim pauperes ante istorum institutionem Montium pecuniam a feneratoribus cogerentur accipere: viris sanctis ad hoc vitium eliminandum multa pro concione differentibus consultum fuit, ut ex fidelium eleemosynis Montes Pietatis erigerentur, ex quibus pecunia indigentibus sub pignore gratis crederetur. Cum vero in hanc rem peragendam, & Domo huic usui conducta, & Ministris, aliisque sumtibus opus esset, quibus si ex collatis eleemosynis per annos singulos satisfieret, brevi Mons ipse in has impensas exhauriretur, paupéribusque tam opportuno, ac honesto subsidio privatis, usurę, quę exclusę fuerant, iterum revocarentur, quod in ipsorum etiam pauperum damnum rediisset; ęquissimum consilium captum fuit, ut in eos sumtus, qui in pauperum gratiam fierent, ipsi pauperes aliquid supra sortem solverent, ex quo tamen nihil in ipsius Montis lucrum, aut augmentum cederet. Ita hęc solutio pro indemnitate ipsorum Montium exacta, mera est stipendiorum, ac impensarum justa solutio; lucrum autem ex mutuo, aut mutuantis non est, unde nec usura esse potest.

9. Neque opponas, quod quidam Theologi celebres hanc ipsam indemnitatis solutionem damnarunt usurę, cum ejus caussa hosce Montes velut usurarios reprobarunt. Nam etsi hoc illi justitię zelo fecerunt, metuentes de usura; cum tamen ibi de usura metuerent, ubi usura non est, juste eorum damnata sententia fuit, cum Montes Pietatis probati fuerunt. Neque enim alia conditione, ac ratione fuerunt approbati, nisi quatenus solum indemnitatis pretium exigeretur, quod usuram non esse definitum fuit, ut patet ex Lateranensi Concilio, in quo Leo X., eodem Concilio approbante, *Declaramus, & definimus*, inquit, *Montes Pietatis antedictos, per Respublicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicae hactenus probatos, & confir-*

*firmatos, in quibus, pro eorum impensis, & indemnitate dumtaxat, ultra sortem absque lucro eorundem Montium accipitur, neque speciem mali praeferre.... quinimmo meritorium esse .... & minime usurarium putari*. Non alia mente, nec pretium aliud supra sortem exactum, alii Pontifices, vel Concilia probarunt. Si quid vero alicubi exigitur, quod (1) prәter hanc indemnitatem Montium in ipsorum lucrum cedat; id peculiare vitium est, nec approbatum ab Ecclesia, sed potius improbatum.

10. Atqui, inquient, Montes Pietatis, cum pecunia ex eleemosynis collata omnium pauperum necessitatibus nequaquam sufficeret, a ditioribus pecuniam saepe sub annua pensione acceperunt, idque probatum pariter non tam usu, quam a Pontificibus invenitur. Si distinguatur inter Montes, qui quaerunt pecuniam, & eos qui pecuniam cum lucro in Montibus collocant, quidque in alterutris probatum sit discernatur, nihil offendet. Montes, dum quaerunt pecuniam, ut pauperibus provideant, si nihil sibi exinde quaerant lucri, merum pauperum gerunt negotium, & ipsas pauperum necessitates, ac personam induentes, quaerere possunt quavis ratione subsidium, & legitima primum ratione ab iis, qui gratis, vel cum justo titulo justam compensationem exigente, pecuniam tradant; at si minus ii suppetant, necessitate cogente, pati possunt feneratores, ut ne propterea ipsi foeneratores excusentur, qui sine justo titulo lucrum velint: quemadmodum in superiori casu dictum est. Quis illud in Montibus reprehendat, qui nihil lucrantur? quis hoc in foeneratoribus sine justo titulo ex ipsis pauperibus lucrum aucupantibus non maxime reprehendat? Pontifices illud unum probarunt in Montibus, cum pecunias quaerendas concessere; istud autem in foeneratoribus reprobarunt manifeste, cum eos solos ab usura excusari docuerunt, qui cum justo titulo lucri cessantis, aut damni emergentis pecuniam Montibus charitatis gratia traderent, solam justam indemnitatem postulantes, ut in dissertatione *de Montibus Pietatis* multis Apostolicis documentis fusius ostendi. Quidquid praeter hos limites fiat, sine approbatione, seu cum reprehensione Pontificia fit: literae enim Pauli III., quae pro Ferrariae Monte in aliam laxiorem praxim allegantur a nonnullis, spuriae, & suppositae a nobis eadem dissertatione ostenduntur, in qua plenissime satisfit omnibus, quaecunque hac in materia offendere possint.

11. Quod si quem moveat ea ipsa, seu Montium, seu privatorum indemnitas, quam pauperes resarcire coguntur; is, quaeso, considerer, solutionem hanc tam justo indemnitatis titulo a pauperibus exactam, etsi forte contra charitatem esse aliquando possit, contra justitiam certe non pugnare, quod ad usuram diluendam satis est. Sicut enim non repugnat justitiae pensionem domus locatae exigere a paupere, quia locationis titulus justus est; ita nec indemnitatem, quae justus est titulus, ab eodem petere justitiae opponitur. Ubi autem justum

(1) Ita etiam Jo. Cloppenburgius Minister Ecclesiae Brielensis, usurarum licet patronus, in Theologica de usuris institutione, ubi institutum Montium pro sola indemnitate approbans, Decretali Leonis X. subscripsit, reprehendit Belgicas mensas e Fisci pecuniis ad Montium similitudinem erectas, in quibus praeter indemnitatem, seu expensas, aliquid lucri in Fiscum ipsum [illegible], uti narrat Salmasius l. 3. de Foenore Trapezit. p. 508.

ſtum eſt juſtæ indemnitatis pretium, hoc pretium, nec mutui lucrum, nec uſura eſt: quod unum Pontifices definiere, cum eam indemnitatem probarunt. Num vero charitas aliquando lædatur non quidem ab ipſo Monte, qui nihil percipit, ſed ab iis, qui juſti tituli lucri ceſſantis, aut damni indemnitatem petentes, aliquid ſupra ſortem a pauperibus exigendum ab ipſo Monte percipiunt, id definire pendet ex circumſtantiis pauperum, & eorum, qui pecuniam cum proprio damno tradunt, ex quibus circumſtantiis invicem collatis dijudicandum eſt, num alteri alteris, cum ſuo quoque damno, ſuccurrere ex charitate debeant, nec ne. Hanc autem controverſiam, ex ſingularibus circumſtantiis diſcernendam, Pontifices in generalibus literis prætermittendam duxere.

12. Vides interim quo tandem evaſerunt omnia facta, quæ adverſarii objecere. Infirma admodum ſit oportet eorum cauſſa, quæ tam imbecillibus fundamentis innititur. Nihil doctrinæ catholicorum hominum pro ſe habeant neceſſe eſt, qui ne a catholicis videantur auctoribus deſerti, hæc ſola facta inter catholicos probata objicere queunt. Nihil ſane allegare poſſunt ex antiquis ante Scholaſticos, nihil ex poſterioribus. Solos poſſunt nominare Patarenos, Calviniſtas, vel Janſeniſtas quoſdam, qui Batavis Calviniſtis, ad quos profugerunt, conſulturi, Calvinianæ ſententiæ patrocinari cœpere. Hæc magna adverſus novitium errorem præſcriptio eſt, quæ ex ipſis adverſariorum objectionibus confirmatur. Nunc quid catholicis reſtat, niſi ut novitate excluſa, antiquitatem, & catholicum Eccleſiæ antiquiſſimum dogma amplectentes, uſuram omnem, quæ Hebræis, ſaltem inter ipſos, interdicta fuit divino jure, eodem jure per Chriſtum confirmato, nobis quoque fateantur prohibitam, ut hoc libro luculenter demonſtraſſe nobis videmur.



# LIBER TERTIUS.

## *De usuræ injustitia divino jure declarata.*

### CAPUT I.

*Probatur ex Scripturis.*

1.  Æc disputatio maximi momenti est, ad integrum circa usuram dogma cognoscendum, necnon ad ea, quæ libro sequenti contra præcipuum erroris caput dicenda erunt. Patroni usurarum eam solam usuram injustitiæ condemnant, quæ præstitutos legibus, vel locorum consuetudinibus limites prætergreditur: quæ vero intra hosce limites continetur, justam habent, ita ut, a quocunque exigatur, justa sit, licet quandoque ex debitoris inopia, ac necessitate possit esse immisericors, quæ scilicet charitati, non autem justitiæ adversetur, ut immisericors eadem ratione esse potest ipsam sortem, ac debitum a pauperrimo exigere cum ejus ruina, ut ne tamen justitia, sed sola charitas exinde violetur. De injustitia igitur, non excedentis, sed cujuscunque usuræ, hoc in libro agendum est, & ex divino quidem jure, quod sive vetuerit in usura naturalem injustitiam, sive lege quadam irritante illam induxerit (de quo agemus libro V.) perinde est, ut nulla usura cuipiam justa dici possit. De solo autem divino jure hoc libro cognoscam, cum id solum pertineat ad catholicum dogma, quod potissimum explicandum, ac vindicandum adversus usurarum patronos in præsentiarum mihi proposui. Hoc autem divinum jus a Scriptura primum, dein a traditione, ac decretis Ecclesiæ palam fiet.

2. A veteri Testamento exordiamur; in quo cum certum est, omnem usuram, saltem inter fratres, fuisse a Deo interdictam, ut libro superiori c. 2. demonstravimus; tum vero omnem ejusmodi usuram fuisse injustam exploratissimum est. Id ex ipsis adversariorum principiis sequitur. Usuram enim, quæ contra civilem legem, aut ejus præscriptionem exigitur, illegitimam, & injustam fatentur. Pro civili autem lege legem divinam Hebræis fuisse, iisdem fatentibus, notum est omnibus. Congruit etiam cum naturali jure; ex quo si etiam usuram non esset injusta, vel illicita, ut adversarii contendunt: cum tamen ea, non *natura ex corpore* pecuniæ mutuæ, sed ex obligatione civili proveniat, ut ipsæ Romanæ leges ab adversariis approbatæ, & a nobis considerandæ lib. V. c. 3. prodiderunt; si leges resistant, nulla est obligatio, ac proinde injuste exigitur, quod citra legitimam obligationem contra leges exigitur.

3. Enimvero ut e Scriptura id constituatur, nullum certe injustitiæ argumentum manifestius esse potest, quam restitutio, ut omnes norunt. Restitutionem autem omnis usuræ divino jure impositam liquet ex libro 2. Esdræ c. 5., ubi Nehemias postquam v. 7. *usuras*, velut iniquam exactionem, ex pecunia mutuo fratribus credita graviter increpasset, eandem deinde v. 11. sub nomine *centesimæ* (usura apud gentes fere minima) restituendam præcepit, non minus quam alienos agros, vineas, domos, quæ sane ex justitia restituenda erant: *Reddite eis hodie agros, & vineas suas, & oliveta sua; quin potius & centesimam pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quam exigere soletis ab illis.* Et di-

*xerunt: Reddemus.* Hic autem fortasse quispiam de *centesima* significatione dubitabit, num pro usura accipienda sit, an potius pro centesima redditaum, quæ stipendii loco Provinciæ Rectoribus debebantur ex vers. 14., ut Molinæus, & Wolphius interpretantur. Hanc enim centesimam, uti stipendium iisdem Præfectis solvendam, ditiores a pauperibus videntur exegisse, quibus Nehemias auctor est, ut de suo potius illud pro ipsis miseris conferant. Hanc interpretationem illi ex eo confirmant, quod huic exactioni nullum ex usitatis apud Hebræos nominibus tribuitur, sed ea *oneris* primo, dein *centesima* nomine appellatur; ac præterea Nehemias, ut ostenderet se eam exactionem non accepisse, dicit se annonam ducibus debitam non accepisse.

4. Sed hæc quam aliena sint a genuina sententia, & contextu, ipsa capitis expositio, & ex Hebraico quidem originali petita, palam faciet, in quo ne adversariis suspecti simus, non tam catholicos, quam heterodoxos Hebraicæ linguæ peritissimos, Vatablum, Grotium, & Joannem Clericum etiam, unum ex usurarum patronis, sequemur. Summa totius capitis quinti ex Joanne Clerico hæc est. *Pauperes Judæi de usuris, rapinisque divitum graves querelas apud Nehemiam deferunt, qui iis indignatus, curat restitui, quæ contra jus, & fas, erepta eis erant. Tum qua continentia Præfectus Judæorum duodecim annos fuerit, exponit.* Duæ sunt totius capitis partes, quarum prima definit versu 13., altera a versu 14. ad finem usque perducitur. Ex variis autem pauperum querelis, quas hi adversus divites, ac Magnates ad Nehemiam Præfectum detulerunt, duæ iisdem criminationes apponuntur, quod alii in maxima necessitate, & inopia, victus emendi caussa, coacti fuerint ipsis filios, ac filias in servitutem divendere, aut agros pignori dare: alii vero in solutionem tributi, quod Persarum Regi debebatur, mutuam accepissent pecuniam, obligatis agris, & vineis, ex quibus interim ditiores fructum percipiebant, idest usuram pecuniæ mutuæ. Hinc de duobus illis iterum queruntur versu 5., & de filiis, ac filiabus servituti subactis, & de agris, ac vineis pignore traditis. Ad hæc Nehemias indignatus, hasce exactiones divitibus exprobravit v. 7., ac præsertim usuram; quamvis enim *oneris* nomine appelletur in Hebraico textu, tamen *onus*, hoc est oppignoratio sola, de qua *v.* 2. 3. & 4., idest *usura*, inquit Matthæus Polus. Tum concionem magnam adversus illos coegit, *ut a toto cœtu cogerentur fœnus remittere, quod erat lege vetitum.* In hac autem concione non de solo fœnore, sed & de filiis, ac filiabus in servitutem divenditis conquestus est: sed nota discrimen. Cum liceret Patribus in necessitate filios vendere, dum Judæis venderent, ut liquet ex Exod. 21. v. 7. & 8. & Jer. 34. v. 14., hæc emtio charitati adversa esse poterat, vel apud Gentes etiam probrosa, non autem injusta. Hinc etsi Nehemias illam aliquatenus reprehendit, & ne ab Hebræis emtos Gentibus venderent suo exemplo prohibuit; de restitutione tamen filiorum, vel fructuum, quos ex eis emtores percepissent, nihil subjecit. At in alio capite, quod mutuum, atque oppignorationem prædiorum, & usuras respicit, postquam sui, ac fratrum suorum proposuit exemplum, qui pecuniam gratis commodaverant, non solum cessandum ab hac exactione suasit, sed restituitionem etiam, non tam agrorum, quos injuste pignoris nomine occupaverant, quam centesimæ fructuum, quos usurarie, ac injuste perceperunt, omnino præcepit. Sic enim ex Hebræo: *Reddite, quæso, illis hodie agros eorum, vites, oliveta, domos, & centesimam argenti, frumenti, vini, & olei, quam ab illis fœ-*

In hunc Esdræ locum.

Critic. Sacror in hunc locum.

O 2 *noris*

*noris loco cepistis*. Ita Joannes Clericus, Grotius &c. Quod enim apud vulgatum interpretem legitur: *quin potius, & date pro illis*, desunt in Hebrao, in quo *a verbo* Reddite *omnia reguntur*, ut observavit etiam P. Joannes Mariana Soc. Jesu, & alii: unde eonemit etiam Magnatum responsio expressa per solum verbum: *Reddemus*. Nihil in his de annona Præfectis Regis Persarum debita actum est: quę si etiam fuisset exacta, cum fuisset debita, ad istius restitutionem cogendi non fuissent. Solum in sequentibus Nehemias continentiam, quam ipse, & ejus frater Zorobabel, & Esdras in Præfectum totius populi per annos duodecim adhibuerant, exponens, de hac annona, seu stipendio Præfectis debito meminit; & cum hanc a se, & fratribus minime exactam commemorat, & solum exactam prodit ante annos duodecim ab iis, qui sibi & fratribus in Præfectura præcesserant; tum de exactione agit, quam non Magnatibus Judæorum, sed ipsis Præfectis tribuit, & de qua, uti jamdiu præterita, populares in præsentiarum conqueri non poterant. Cum igitur nihil hinc ad distrahendam hujus loci sententiam elici possit, usuræ, quamvis sub *oneris*, vel *centesimæ* nomine, restitutio vere præcepta agnoscenda est; eamque Nehemias ut obtineret, simplici pollicitatione *Reddemus* nequaquam contentus, advocatis sacerdotibus, publici, & imprecatorii jurisjurandi confirmationem quæsivit, & restitutionem ipsam obtinuit, ut ex v. 13. intelligitur. Adeo de injustitiæ, & restitutionis necessitate in materia usuræ ex hoc loco dubitari non potest.

5. Hanc quidem injustitiæ notionem, ex traditione utique acceptam, vel bodie testantur Hebræi ipsi, cum non alia ratione usuram ex alienigenis exactam purgent, nisi quod omnes ipsorum hostes sint, in quorum bona, æque ac in vitam, sibi jus a Deo datum est. Idipsum & Mahometanos ab Hebræis suscepisse vidimus, cum omnes non Mahometanos pro hostibus habentes, usuram eum iisdem licitam ea ratione tuentur, *quia facultates eorum patent veluti ad prædam, & direptio eorum licita est quacunque via*. Error his enormis est, quatenus omnes nationes, ab Hebraica, vel Mahometana superstitione alienas, ex divino jure hostiles existimant, quales Judæis olim fuerant Chananæi, in quorum proinde vitam, & bona jus plenissimum acceperant. At quatenus in sola hac præsumtione usuram sibi licere putant, cum de hostibus ejusmodi agitur; id ab antiqua Mosaica traditione derivatum videtur, quæ usuram adeo injustam tradidit, ut nisi auferatur injustitia ex conditione hostili, usuræ malitia, uti a Deo vetita est, nequaquam tollatur. Sed ne quis de hac injustitia ipsis Judæis nota dubitet, legat Hebraicum Pœnitentiale, quod ex libro inscripto *Initium sapientiæ* Morinus Hebraice, & Latine edidit in fine eximii operis *de Pœnitentia*. Ibi enim usura cum furto copulatur, & pari restitutionis obligatione constringitur his verbis: *Qui furatus fuerit, aut acceperit fœnus, reddet, veniamque ab eo deprecabitur* &c. Alios Talmudicorum textus, quibus diserte restitutio usuræ præcipitur, recitat Selderius l. 6. de Jure natur. & gent. c. 9.

Vide sup. lib. 2. c. 1.

Ita in Regul. Juris Mahomet.

6. Hanc eandem injustitiam indicavit fortassis etiam Christus, cum nummulariorum mensas ad usuram in templi atrio positas evertens, ac Ecclesiam veluti *latronum speluncam* ab iisdem effectam deplorans, Hebræos antiquæ legi obligatos idcirco cum latronibus comparasse visus est S. Hieronymo, quod usurario injusto quæstui operam, vel favorem præstarent. En sancti, & doctissimi Patris verba ex commentario in Matth. c. 21. *Hoc primum*

*sci-*

*sciendum, quod juxta mandata legis augustissimo in toto orbe templo Domini, & de cunctis pene regionibus Judaeorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hostiae, maxime festis diebus, taurorum, arietum, hircorum. Pauperibus, ne absque sacrificio essent, pullos columbarum, & turtures offerentibus, accidebat plerumque, ut qui de longe venerant, non haberent victimas. Excogitaverunt igitur Sacerdotes, quomodo praedam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat ad sacrificia, vendebant, ut & venderent non habentibus, & ipsi rursum emta susciperent. Hanc stropham eorum crebra venientium inopia dissipabat, qui indigebant sumtibus, & non solum hostias non habebant, sed ne unde emerent quidem aves, & vilia munuscula. Posuerunt itaque & nummularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniam; sed quia erat lege praeceptum, ut nemo usuras acciperet, & prodesse non poterat pecunia foenerata, quae commodi nihil haberet, & interdum sortem perderet; excogitaverunt & aliam technam, ut pro nummulariis Collybistas facerent. cujus verbi proprietatem lingua latina non exprimit. Collyba dicuntur apud eos, quae nos appellamus tragemata, vel alia munuscula, verbi gratia, frixi ciceris, uvarumque passarum, & poma diversi generis. Igitur quia usuras accipere non poterant Collybistae, qui pecuniam foenerati erant, pro usuris accipiebant varias species, ut quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent, quae nummo coemuntur; quasi non hoc ipsum Ezechiel praedicaverit, dicens:* Usuram, & superabundantiam non accipietis. *Istiusmodi Dominus cernens in domo Patris negotiationem, seu latrocinium, ardore spiritus concitatus, juxta quod scriptum est in Psalmo sexagesimo octavo*, Zelus domus tuae comedit me, *fecit sibi flagellum de funiculis, & tantam hominum multitudinem ejecit de templo, dicens:* Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Latro enim est, & templum Dei in latronum convertit specum, qui lucra de religione sectatur, cultusque ejus non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est.* Hanc autem *negotiationem* paullo ante *latrocinium* vocavit, quod hac potissimum de caussa Dei domus in latronum speluncam mutata fuisse videatur. Neque refert, quod Christus, una cum nummulariis, vendentes, & ementes simul ejecerit, qui latrones non sunt. Neque enim omnes latrones esse debebant, sed aliqui saltem, uti ii certe erant, quos ille ea formula reprehendit, qui sive nummularios agerent, sive nummulariis faverent, aeque latrones erant, qui Dei domum in latronum speluncam converterant. Secus nulla latrocinii ratione interveniente in emtione, ac venditione, frustra latrocinii crimen illis impactum fuisset, si nec in nummulariorum quaestu injustitia fuisset.

7. Apertius est quod in parabola servi pigri, qui pecuniam a Domino acceptam negotiatus non fuerat, legitur. Cum enim is suae desidiae excusationem petiisset ex calumnia, qua veritum se fuisse ait injustitiam Domini, *qui tollit quod non posuit, & metit quod non seminavit*, idest quod suum non est, nec sibi ullo jure debetur; Dominus eidem ex ipsius ore, ac sensu respondēs modum huic iniquitati congruentem, & a labore simul, quem serius refugiebat, satis tutum illud esse respondit, si pecuniam ad mensam, & usuram dedisset. Hunc locum fusius explicavimus lib. II. cap. 5., ubi Joannis Lightfoot auctoris nihilum adversarius suspecti interpretationem etiam attulimus, quae hanc injustitiam egregie insinuat: *Tu avarum, rapacem, sordidum me reputas. Quare ergo modo his moribus convenienti, foenore sustinet, & usura, non usus es, si honesta negotiatione uti nol-*

*nolles?* Hæc itaque parabola, quæ ab adversariis pro usura vindicanda tantum effertur, non tam usuram damnat, quam accusat rapacis, & iniqui quæstus, qui rapaci, & iniquo Domino congruat, ejusque sit generis, quo *tollitur quod non positum est, & metitur quod satum non fuit*, ut ne usuræ quidem injustitia ex ratione disputantes pluribus exponemus lib. V. Quod sane respiciens S. Gregorius Nazianzenus orat. 15. in plagam grandinis, *Alius*, inquit, *usuris, & fœnoribus terram contaminavit, colligens ubi non seminaverat, & metens ubi non sparserat*. Sic usurariæ injustitiæ testimonia etiam ex Evangelio suppetunt. Certe autem cum in lege Evangelica idem divinum antiquæ legis jus circa usuram confirmatum fuerit, ut superiori libro demonstratum existimo; eodem injustitiæ nomine interdicta Christianis dici debet, ac apud Hebręos fuisse vetitam saltem ex loco Esdrę, & Hebręorum confessione manifestissimum est. Ne quid vero dubii pro novo Testamento supersit; si non satis esse videantur, quę de hac usurę injustitia ex verbo Dei scripto protulimus, evidentiora ex traditione afferam, quibus refragari nemo poterit, nisi qui cum hereticis traditum Dei verbum repudiet.

## CAP. II.

### *Eadem usuræ injustitia ex Traditione ostenditur.*

1. Duæ pręcipue sunt notæ, ex quibus peccata injustitiæ proprie dictę ab aliis distinguimus: altera, cum aliquod crimen, latrocinii furti, rapinę, aliisque injustitiæ nominibus carpitur, vitiisve accensetur, quæ contra septimum præceptum committuntur; altera, si restitutionis obligatio ex aliquo crimine oriri prodatur. Utrumque usuræ tributum constantissima Ecclesiæ traditione liquet; & testimonia, quæ in id statuendum recitaturi sumus, alterutram quidem, vel utramque simul notam pręferent. Cum vero tribus primis Ecclesię seculis, quibus persecutiones Christianos ad virtutem acuerent, ferventiorque eorundem spiritus omnem avaritiam, & avaritiæ suspicionem effugiens, ab usura maxime declinaret; inter paucos, qui supersunt, Patres, paucissimi hujusmodi crimen reprehenderint; nihil mirum sit, si vix unum expressum usurariæ injustitiæ testem proferre per hæc tempora possim. Alia nonnulla pari de caussa antiquissimis testimoniis carent, quæ tamen ex superiorum temporum traditione satis certa dogmata habentur; nec enim dubium est, quin ex prioribus Patribus suscepta, a posterioribus Patribus tradita fuerint. Etsi vero plures sequentibus seculis testentur de usuræ malitia, non tamen omnes, sed pauciores, & aliquo etiam seculo nulli, expressum proferunt de ejusdem injustitia testimonium, quod hic recitari possit. *Expressum*, inquam; nam cum eam divino jure Christianis perinde vetitam affirment, ac Hebræis olim interdicta fuit; sicut apud istos vetita fuit tanquam injusta, ita & apud nos eodem nomine vetita satis inde colligitur. Notum hoc Christianis aliunde erat; unde nec oportebat explicare pluribus, quod in ipsa divina prohibitione contineri satis intellectum, verbo deinde in catechesibus, & confessionibus tradito ignorantibus si binde ingerebatur. Quot alia multa, in practicis præsertim dogmatibus invenientur, quæ reprobata quidem identidem leguntur, at nonnullis omissis, qua etsi necessaria maxime sint, aliunde tamen nota, semper explicanda non fuere, ut ne propterea ex omissione ejusmodi eorum necessitas negari possit. Quot furtum ex. gr. & adulterium damnant, qui de restitutione

tione tamen damni in furto, aut de injustitia, & satisfactione injuriæ, & damnorum mariti, filiorumque legitimorum nihil loquuntur? Satis hæc colliguntur ex aliis testimoniis, ut ne utique repetenda, & inculcanda fuerint. Hinc S. Paullus ad Ephesios scribens c. 4. v. 25., furtum prohibens, *qui furabatur, jam non furetur*, num idcirco fures a restitutione liberavit? Et S. Joannes Baptista Luc. 3. v. 14., cum excedentes ultra tributorum definitum modum exactiones Publicanis vetare, concussionem autem proximi, & rapinas præter stipendia militibus interdicere satis putavit: *Nihil amplius, quam constitutum est vobis, faciatis..... Neminem concutiatis..... contenti estote stipendiis vestris*, non propterea restitutionem iisdem liberam, nec necessariam credidit. Hæc fusius commemoranda fuere, quod nonnemo ex adversariis eam quæstionem proposuerit, cur pluribus in canonibus prohibeantur usuræ, ut ne tamen restitutio præcipiatur; ac si exinde nihil injustitiæ in usuris esse colligi possit, quæ tot aliis, & antiquis, & recentioribus testimoniis asseritur. Hinc ergo nihil dubium est, quin eadem semper doctrina, & Patrum traditio viguerit, per ea quoque tempora, in quibus expressi hujus injustitiæ testes non occurrunt. Id non ex doctrinæ, sed ex librorum, vel occasionum, quæ hoc testimonium postularent, defectu evenit. Ipsa traditionis continuatio, quæ sequentibus seculis eadem invenitur hujusce rei argumentum certissimum esse potest iis, qui simile quiddam, eorundem librorum, vel occasionum defectu, aliis quoque exploratis alioquin dogmatibus accidisse sciunt, quibus tamen statuendis, & antiquiorum, & posteriorum temporum concors traditio sufficit.

## §. I.

*S. Clementis Alexandrini, Lactantii Firmiani, SS. Hilarii, Basilii, Gregorii Nysseni, Ambrosii, & Zenonis Episcopi Veronensis testimonia ex seculo quarto.*

2. TRaditionem exordiar a seculo secundo, in quo S. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum c. 18. usuræ injustitiam satis subjudicans, eam a Moyse idcirco vetitam testatur, quia *injustam* illam judicavit; *Non æquum, sed injustum* (Grece ἀδικαιῶν) *censens, ut ex pecuniis usuras legamus*.

3. Apertior testis erit C. Cæcilius Firmianus Lactantius, qui quarti seculi initio, immo & sub finem tertii floruit. Sic autem ille lib. 6. Institutionum c. 18. viri justi officia recensens loquitur: *Pecunia, si quam crediderit, non accipiet usuram, ut & beneficium sit incolume, quod succurrat necessitati, & abstineat prorsus alieno. In hoc enim genere officii debet suo esse contentus, quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat. Plus autem accipere, quam dederit, injustum est.* Et in Epitome c. 4. *Non furabitur, nec omnino quidquam concupiscet alienum; non dabit in usuram pecuniam: hoc est enim de alienis malis lucra captare; nec tamen negabit, siquidem necessitas cogit mutuari.* In priori testimonio notanda illa *Abstineat se prorsus alieno*, & *suo debet esse contentus*; quibus *suum* ad capitale, *alienum* ad usuram refert, unde usuram injustitiæ notans, subdit: *Plus enim accipere, quam dederit, injustum est*; unde in secundo testimonio, ad furtum, seu ad alieni concupiscentiam, usuræ perceptionem, ac stipulationem revocat. Qui igitur justitiam proprie dictam servare

re velit, is ex Lactantii doctrina in mutui officio discernere debet, quid *suum*, & quid *alienum* est; ut *suum* tantum, idest capitale, quod dedit, recipiat, non autem usuram, quam qui supra capitale datam accipit, *alienum* accipit, quod injustum est. Hanc doctrinam Lactantio errori Barbeyrachius attribuit, sed ea temeritate attribuit, qua usuram divino jure damnatam dicere, errori pariter aliis Patribus, Pontificibus, atque Conciliis impudentissime, & hæretice dedit. Sequentes Patres, doctrinam Lactantii non peculiarem, sed catholicam, & dogmaticam patefacient.

4. S. Hilarius in Ps. 14. n. 15. exponens illud: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, prædicatum ab usurariis beneficium *humanitatem fraudulentam* appellat; & dein *spoliationem* quandam furti, ac fraudis speciem in usura agnoscens: *Si Christianus es*, inquit, *non quaro ut largiaris; saltem debitum sic reposce, ne spolies*. Hic quoque *debitum* dictum est de sorte, quæ vi mutui debetur; *spolies* autem de usura, quæ indebiti, & alieni deprædatio est.

5. S. Basilius in Epistola canonica ad Amphilochium c. 14. *injustum lucrum* usuram vocat, & eo quidem injustitiæ genere, quod ad restitutionem obligat: *Qui usuras accipit, si injustum lucrum in pauperes consumere voluerit, & ab avaritia modo liberari, ad sacerdotium admittendus est*. Quid in pauperes restitutionem præcipiat, dicemus postea cap. 3. in fine.

6. S. Gregorius Nyssenus hom. 4. in Ecclesiasten, verum *latrocinium*, quo ea, *qua ad nos non pertinent*, idest aliena, rapiuntur, sub specie, ac nomine fœnoris exerceri testatur: *Improbum*, inquit, *fœnoris inventum, quod qui aliud latrocinium, & parricidium nominaverit, non procul ab eo quod decet, aberraverit. Quid enim refert, an clanculum perfossis muris, prædonis more, aliena habeas; & prætereuntis cade te eorum, quæ habeat, dominum constituas; an fœnoris necessitate acquiras ea, qua ad te non pertinent? O malum vocabulum! fœnus sit nomen latrocinii.* Tam clara per se sunt verba, ut commentario non egeant. Hinc in epistola canonica ad Letojum Melitinensem Episcopum cap. 6., de imponenda pœnitentia agens, usuram peccatis furti, & usurpationis accenset, eodemque modo cum usurario agendum judicat, ac cum prædatore, qui per præpotentiam alienas possessiones sibi adjicit, tametsi hæc sub legitimi contractus specie stipulata sint: *Apud divinam Scripturam & fœnus, & usura sunt prohibita, & per quandam potentiam ad suam possessionem aliena traducere, etiamsi sub contractus, ac transactionis specie hoc factum sit*. Clarius in oratione contra fœneratores de usuris agens, *Redde*, ait, *fratri tuo, quod injuste eripuisti*, ubi injustitiam, & restitutionem ex injustitia debitam inculcat.

7. S. Ambrosius in libro de bono mortis c. 12. n. 57., paucis, sed apertis verbis usuram ad rapinam refert: *Si quis usuram recipit, rapinam facit*; qui locus ab Ecclesia Romana probatus, in Romanum Pœnitentiale traductus fuit. Hinc vero idem S. Ambrosius in libro de Tobia n. 51. eam solam usuram legitimam probavit, quam Judæi a Chananæis, in quorum bona jus a Deo datum illis fuerat, exigere poterant. Cur hanc purgandæ ejus usuræ caussam allegavit, nisi quia sine hoc peculiari jure usura, vel a Chananæis exacta, injusta fuisset? Neque omittendum insigne testimonium ex libro de Naboth c. 10. n. 45. *Quid tibi vis cum libro, & charta, & signaculo, & conscriptione, & vinculo juris? Non audisti?* „Solve omnem colligationem injustitiæ, dissolve obligationes violentarum commutationum, dimitte contractos in remissionem, & omnem conscriptionem iniquam disrumpe„. *Tu mihi ta-*

*tabulas offers, ego tibi recito Dei legem, tu atramento scribis, ego tibi*
Isaiæ c. 58. v. 6. *spiritu Dei inscripta repeto oracula.* Indicari hoc loco chirographa usurarum, quæ vinculo juris, ac legibus Romanis solvendæ erant, optime notarunt Patres Benedictini, uti etiam in eundem Isaiæ locum docuere S. Hieronymus, & S. Joannes Chrysostomus, quos paullo post allegabimus. Has ergo usuras, non tam Dei lege vetitas, quam injustas, & idcirco fugiendas, S. Ambrosius indicavit.

8. Concludam hoc seculum cum S. Zenone Episcopo Veronensi; cujus sermones in novissima editione vindicatos huic seculo attribuimus. Sic autem lib. 1. tractat. 9. n. 4. de fœneratore loquens, ait: *Hinc unus pecuniam suam tanquam hamum proponit, ut facultates ad se trahat alienas, quam peregrinantem ferali supputatione nutriri non desinit, ut summam quærat, non quam commodato dedit, sed quam ei pepererunt armati numero dies, menses, & digiti. At plerunque cum sua sibi industria fænerator etiam ipse nudatur, ei cum casu aliquo fraus, inopia, fuga, mors extorserint debitorem: avaritia enim naturale est, ut avariorem faciat: plerunque plus tulit avaro, quam præstat: ac sic sæpe contingit, ut merito perdat etiam sua, qui desiderat aliena.* Notetur distinctio inter *sua*, & *aliena*: illud sorti, hoc usuræ tribuitur, cum *sæpe contingat, ut merito perdat etiam sua, qui desiderat aliena.*

## §. II.

*Testimonia ex SS. Hieronymo, Augustino, Joanne Chrysostomo, Auctore operis imperfecti in Matthæum, ac S. Leone, Patribus seculi V.*

9. S. Hieronymi textus, quo usuram *latrocinium* appellare non dubitat, ita ut hac de caussa nummularios fœneratores cum latronibus Christus contulerit, integer descriptus a nobis fuit cap. 1. n. 5. Apertius in commentario capitis 58. Isaiæ, ad ea Prophetæ verba: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes*, quæ a Septuaginta redduntur: *Dissolve obligationes violentarum cautionum, dimitte fractos in remissionem, & omnem scripturam iniquam rescinde;* hæc S. Doctor de fœnebribus chirographis interpretans adnotat: *Significat chartarum fasciculos, in quibus fœneratorum calumnia continentur, & opprimuntur pauperes ære alieno, quæ in cunctis urbibus seditionis caussa, vel materia est.... Non ergo præcipit Propheta, ne exigat unusquisque quod debitum est; maxime quod juste dedit, & juste repetit: alioquin tribunitiæ esset seditionis assertor; sed ubi iniqua est cautio, ubi opprimuntur pauperes calumnia, ibi fasciculi cautionum, & omnia iniquitatis vincula rumpenda sunt.* Quod igitur ad repetitionem sortis pertinet, justum habuit; quod vero spectat ad usuram, injustum, ut in Ambrosio pariter observavimus.

10. S. Augustinus vero Epist. 153. ad Macedonium, usuras, non immoderatas quidem, sed exactas ad Romanarum legum normam, ita ut ipsarum exactio a legibus, & judicibus præciperetur, adeo injustas habuit, ut eas tanquam *male*, seu injuste, *possessas*, in foro conscientiæ restituendas denunciet, etsi in foro externo a nullo judice repeti possent: *Quid dicam*, inquit n. 25. de usuris, *quas etiam ipsæ leges & judices reddi*, idest solvi, *jubent? Hæc, & ejusmodi male possidentur, & vellem restituerentur; sed non est quo judice repetantur.* Iterum Sermone 113. explicans illa Christi verba: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, injuste acquisita per *raptum rerum alienarum* in eleemosynam non convertenda ostendit, ac nominatim *fœnus*, & *usuras* his injuste acquisitis accenset, ac restitutionem Za-

chaei exemplo insinuat: *Facite*, inquit, *vobis amicos de divitiis iniquitatis. Hoc quidam male intelligendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur .... Noli velle eleemosynas facere de fœnore, & usuris .... Sed si jam fecistis, & pecunias tales habetis, & inde sacellos implestis, inde thesaurizabatis; jam de malo est quod habetis, jam nolite malum addere .... Nunquid Zachaus de bono babebat? .... Multos presserat, multis abstulerat, multa congesserat .... Ingressus est ad eum Dominus. Repletus ille gaudio, ait: Dimidium rerum mearum do pauperibus .... Et ne reus aliunde teneretur: Si cui aliquid tuli, ait, quadruplum reddam. Inflixit sibi condemnationem, ne incurreret damnationem.* Notandum hoc loco maxime est, alios quoque Patres idipsum vetare, ne de usuris eleemosyna fiat. Confer S. Gregorium Nyssenum homilia adversus fœneratores, & S. Joannem Chrysostomum hom. 56. al 57. in Matthæum. Hoc non alia de caussa vetitum fuit, nisi quia injusta est, & ad alienum pertinet: quod enim est ejusmodi, non pauperibus, sed ipsis dominis, si fieri potest, restituere oportet, ut alia Patrum testimonia declarant. Hinc cum quidam textus usuras in pauperes conferendas præscribunt, ne laudatis testimoniis contradicant, de iis usuris intelligenda sunt, quarum restitutio ipsis dominis fieri non potest. Hæc quidem interpretandi ratio apparet ex laudato loco S. Gregorii Nysseni; ubi pauperem, cui hujusmodi eleemosyna offertur, eam, si sciret fœnebrem, constanter rejecturum pronunciat, ut iis, quibus debetur, restitutio fieret: *Quod si inops sciret, undenam largiaris eleemosynam, utique non acceptaret*; ac mox hæc illi verba regerentem inducit: *Redde fratri tuo, a quo injuste suscepisti*. Injustitiam igitur stricti juris, quæ injusti quæstus non eleemosynam, sed restitutionem efflagitat, in usura Patres noverunt.

11. Hanc eandem usurarum injustitiam S. Joannes Chrysostomus præclare testatur hom. 56. al. 57. in Matthæum n. 5., ubi exponens illa Isaiæ 58. 6. *Solve omne vinculum iniquitatis, dissolve obligationes violentarum pactionum*, syngraphas usurarum stipulationes continentes hic notari affirmat, ac *injustas* prodit. *Vide*, inquit, *Propheta sapientiam .... Omnem syngrapham injustam discerpe; fœnorum, & usurarum rescripta sic appellans*: & post pauca *speciosam rapinam* usurarios contractus vocat. Ne quis vero de usuris legum præscriptionem excedentibus Chrysostomum loqui suspicetur, addit paullo post: *Ne mihi externas leges objicias*, quæ scilicet certam usurarum mensuram probabant; & dein usuram *centesimam* iisdem legibus præfinitam nominat, & simul reprobat. Dein usuræ injustitiam iterum exagitans: *Pecuniam justis partam laboribus*, addit, *sæpe reddis iniquam ob iniquos fœtus*, per usuram scilicet, cui pariendæ pecunia alias juste parta mutuo traditur; ubi *iniquam*, & *iniquos* cum justis laboribus opponantur, de injustitia proprie dicta accipienda sunt. Tum alios justos contractus pro usurario ineundos suggerens illis verbis: *An non multa sunt justa negotiationes agrorum, gregum, armentorum &c.* profecto usurarium injustum confirmat: ac tandem injustitiam apertius inculcans: *Hoc*, inquit, *injustitia vinculum est, hæc obligatio violentarum pactionum*. In hac Isaiæ interpretatione præclare cum Ambrosio, & Hieronymo concinit. Hinc nihil mirum, si quemadmodum usuram *speciosam rapinam* vocavit, ita etiam usurarium his verbis alloquitur: *Tu plusquam dedisti flagitas, & quod nunquam dedisti, illud quasi debitum exigis*: quibus usurarium quodvis supra sortem augmentum *indebitum*, idest injustum designat.

12. Similes locutiones occur-

cur-

runt quoque in Auctore operis imperfecti in Matthæum, quod S. Joannis Chrysostomi operibus insertum invenies. Homilia enim 12. in c. 5., Christi præceptum de mutuo idcirco usuras excludere ait, quia injustæ sunt, cum alienum tollant: *Ergo jubet nos Christus mutuam dare pecuniam, non tamen sub usuris, quia qui sub usuris mutuum dat, prima quidem facie sua videtur dare, revera autem sua non dat, sed alterius*. Iterum hom. 38. in c.21., licet paullo acerbiore censura mercatores perstringens, hos, qui res ceteroquin suas, & juste abs se emtas ex cupiditate carius vendunt, *vix posse Deo placere* affirmet, pejores tamen ob lucri injustitiam, qua *aliena* tolluntur, usurarios pronunciat: *Si enim qui rem comparatam vendit, mercator est, & maledictus; quanto magis maledictus erit qui non comparatam pecuniam, sed a Deo donatam sibi dat ad usuram.? Secundo quia mercator dat rem, ut jam illam non repetat; iste autem postquam fœneraverit, & sua iterum repetit, & aliena tollit eum suis*.

13. S. Leo serm. 16. de jejunio decimi mensis, multis injustitiæ titulis usuram delineat; vocat enim *dolosum officium, injustam, & impudentem avaritiam, injustum lucrum, injustum, & triste incrementum, & dolosum quæstum eum alieno damno*. *Qui pecunias*, inquit, *amat, & multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potius sanctum fœnus exerceat, & hac usurarum arte ditescat, ut non hominum laborantium captet necessitates, nec per dolosa officia laqueos incidat insolubilium debitorum, sed illius sit creditor, illius fœnerator, qui dicit:* Date, & dabitur vobis, & qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. *Injusta, & impudens avaritia, qua beneficium se dicit præstare, eum decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepide paciscenti; dumque certiora existimat præsentia, quam futura, merito in hoc frequenter incurrit, ut ei cupiditas injusti lucri non injusti caussa sit damni. Unde quilibet sequatur eventus, mala semper est ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuisse, & auxisse peccatum est, ut aut miser sit amittendo quod dedit, aut miserior accipiendo quod non dedit. Fugienda est prorsus iniquitas fœnoris, & lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum est. Multiplicatur quidem facultas injustis, & tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit*. Et recitato versiculo Psalmi: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* ac divino illo responso: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, eum exinde affirmat, *a tabernaculo Dei alienum, & a sancto monte ejus extraneum, qui dolosum quæstum de pecunia sua captat usuris, & dum per aliena cupit damna ditari, æterna dignus est egestate puniri*.

## §. III.

*Egberti Eboracensis, Halitgarii, Concilii Ticinensis, Hildelberti, S. Anselmi, Petri Blesensis, & Auctoris sermonum inter S. Bernardi opera.*

14. Hic duorum feculorum testes desunt, non traditionis, sed auctorum, aut potius occasionum defectu: quod traditioni nihil obesse suadent illa, quæ initio hujus capitis præmonuimus. Nunc traditionem prosecuturus, Egbertum Archiepiscopum Eboracensem octavi feculi testem habeo, qui in Pœnitentiali ex antiquorum Patrum libris excerpto, quem Joannes Morinus edidit, non tam usuram, quam usuræ retentionem longioris temporis confitendam memorans his verbis: *Usuras tenui longo tempore*; injustitiam, ac restitutionis debitum, cui *longo tempore* usurarius pag. 570. edit. Venetæ

 cul-

culpabiliter defuit, fatis indigitat. Non diffimulabo tamen in alio MS. Pœnitentiali, quod e Miffali feculi XI. excerpfi, hæc, quæ ex Egberti Pœnitentiali fumta videntur, fic explicari: *Ufuras tuli, tenui immunditiam longo tempore*. Sed cum in aliis multis hoc MS. Pœnitentiale a Pœnitentiali Egberti differat, hic locus fine ulla additione ex Egberto defcriptus dici nequit, ac propterea a fuperiori lectione apud Morinum edita, quandiu alius Egberti codex aliud non præferat, difcedendum non eft.

15. In antiquo Romano Pœnitentiali, quod e fcriniis Romanę Ecclefiæ ab Halitgario Epifcopo Cameracenfi feculo nono exfcriptum ad anteriora fecula pertinet, cap. 7. ufura inter injuftitiæ crimina recenfetur: *Si quis ufuras undecunquè exegerit, tres annos pœniteat, unum in pane, & aqua. Si quis per poteftatem, aut quolibet ingenio res alienas malo ordine invaferit, vel tulerit* &c.

16. Eodem nono feculo an. 850. in Concilio Ticinenfi expreffum reftitutionis pręceptum fœneratoribus imponitur. Canone enim 21. Patres loquentes de ufuris, poftquam eas divina lege vetitas affirmarunt, hoc decretum fubjiciunt: *Cenfemus, ut quique* ( ideft quicunque ) *hoc perpetraffe inveniuntur, fi fuperfunt a quibus ufuras exegerunt, ipfis reftituant, quæ fuperabundantius abftuliffe probantur. Si autem deceſſerint, heredibus eorum faltem medietatem refundant, aut eleemofynis redimant, quod cupiditate deliquerunt*. Cur hi Patres diftinxerint inter viventes mutuatarios, a quibus ufuræ fumtæ fuerant, ac eorum heredes; & illis quidem totam fummam, his autem *faltem medietatem* reftituendam præceperint, incertum eft. Particula *faltem* aliquid œconomiæ indicat, qua Patres illud præceperint, quod facilius obtineri poffe fperarent, ut ne tamen ex divina lege affirmarēt fufficere, quæ in juftitiæ negotiis ęque cum creditorum, ac cum heredum perfona agendum præfcribit. Non eft igitur infiftendum in hoc peculiari textu, neque propterea recedendum a traditione, aliis præfertim pofterioribus Pontificum, & Conciliorum etiam Generalium decretis conftituta, qua quidquid per ufuram acquifitum fuit, totum iis, a quibus fumtum fuit, vel eorum heredibus reftituendum decernitur.

17. Deficientibus Scriptoribus feculi decimi, qui de injuftitia expreffum teftimonium ponant, ad feculum XI. tranfeundum eft, in quo Venerabilis Hildelbertus ufuram inter peccata injuftitiæ feptimo præcepto interdicta palam refert. Sic enim ferm. 15. *de libro vitæ* exponens præcepta decalogi: *Septimum eft*, Non furaberis, *in quo prohibetur omnis rapina, omne furtum, & omne genus ufuræ. Quis enim magis fur, & raptor debet appellari, quam ille, qui me dormiente, & me vigilante, latenter, non nunc tantum, fed affidue mihi mea fubtrahit, & aufert?*

18. S. Anfelmus Cantuarienfis fub ejufdem feculi finem, ac fub initium duodecimi, hom. 12. in Evangelicam parabolam de villico iniquitatis, quæ apud Lucam defcribitur, cum Chriftianos hortatur ad eleemofynam; tum monet, ne eam faciant ex rapinis, ufuris, & fraudibus, quas Zachæi exemplo reftituendas infinuat: *Quidam rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant fe facere quod præceptum eft. Dicunt enim: Rapere res alienas, mammona iniquitatis eft. Erogare aliquid inde, maxime egentibus fanctis, hoc eft facere amicos de mammona iniquitatis. Intellectus ifte corrigendus eft. Non ex rapinis, & ufuris, vel fraudibus acquirere debemus, unde eleemofynam faciamus; fed fi contigerit nos ante converfionem noftram talibus modis opes acquififfe, jam poft converfionem* ra-

*rapinas, & fraudes non faciamus, sed tamen ex opibus large tribuamus. Sic enim Zachaus fecisse laudatur, qui princeps erat publicanorum, & divitiis abundabat. Sed recepto in domum suam Christo, medietatem pauperibus dedit, & cuicunque fecerat fraudem, ex alia medietate quadruplum reddidit.*

19. Petrus Blesensis seculo duodecimo, in epistola 17. ad clericum negotiatorem, fœneratores alienæ rei fures, & prædones manifestos habuit: *Cum enim*, inquit, *species usura sit minus proximo suo dare, & plus ab eo accipere, non video clericum ab usurarum crimine, & a nomine criminosi immunem, qui sibi cum alieno dispendio lucrum quærit. Sane fœnerator, dum proximum manifeste spoliat, fure deterior est, & pradone.*

20. Auctor sermonum in Antiphonam *Salve Regina*, qui S. Bernardo tributi fuerunt, serm. 4. n. 6. usuram septimo decalogi præcepto vetitam injustitiæ peccatis accenset. Explicans enim paucis decalogum, hæc in præceptum septimum scribit: *Deinde adjungitur:* Furtum non facies. *In furto comprehenditur rapina, usura, pervasio, quicquid denique cum damno alterius possidetur.*

## §. IV.

*Concilia etiam Generalia, & Pontifices de usura injustitia statuentes proferuntur ex seculo XII.*

21. Cum per hæc corruptissima tempora inter plura vitia fœnus, non privatim solum, sed publice etiam grassaretur (quidam enim publici fœneratores, qui *Coursini* vulgo dicebantur, ubique in tota Europa disseminati, publicas ædes ad fœnus veluti negotiationem exercendam conduxerant) publica hinc Conciliorum, & Pontificum decreta, ut gliscenti malo vehementius occurrerent, in eos, qui deinceps fœnerarentur, gravissimas pœnas tulerunt; adeo vero usurarum injustitiam habuerunt exploratam, ac certam, ut restitutionem usurarum omnino præceperint.

22. Anno 1179. habitum fuit ab Alexandro III. Concilium Generale Lateranense III. Episcoporum 310. Canone 25. affirmant primo Patres, quod *in omnibus fere locis crimen usurarum ita inoleverit, ut multi aliis negotiis prætermissis, quasi licite usuras exerceant, & qualiter utriusque Testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant.* Tum decreverunt ne usurarii manifesti ad communionem altaris, atque sepulturam Ecclesiasticam, aut oblationem offerendam ante admitterentur, quam usuras restituerent. Hæc quidem restitutionis conditio non legitur in Canonibus, qui ex eo Concilio supersunt. At ipse Alexander III. de hoc dubitare non sinit in epistola, quam ad Salernitanum Archiepiscopum dedit. Inde enim apparet statim, vi hujus decreti, usurarios, qui communione, & sepultura privari nollent, ad restitutionem ab Episcopo fuisse coactos. Hanc autem conditionem alii aliis exceptionibus declinabant; ex quibus illa maxime notanda est, qua dicebatur præcepta restitutio, non eas usuras spectare, quæ ante Concilii interdictum exactæ fuerunt, sed illas, quæ deinceps exigerentur. Æqua videri poterat excusatio, si hæc restitutio in pœnam, non autem ex justitiæ debito indicta fuisset: & eo magis æqua per eam tempestatem, qua ante decretum Concilii per ignorationem divinæ legis, *in omnibus fere locis* usuræ *quasi licite* exercebantur: quod errori probabili, & bonæ fidei aliquibus tribui poterat. At cum restitutio ejusmodi non pœnæ stricte dictæ, sed justitiæ sit; Pontifex æque omnes eadem restitutionis lege teneri respondit, ut in casibus furti, rapinæ &c. respondi solet. Pars quidem Pontificiæ Epistolæ,

læ, quæ ad hanc excusationem pertinet, libro V. Decretalium inserta est; sed integrum textum, qui excusationes omnes complectitur, describimus ex decretis ipsius Alexandri III. apud Labeum subjectis Concilio Lateranensi III. tit. de usuris cap. 5. *Cum, sicut tu asseris, scilicet qui in illo decesserunt peccato, communione altaris, & Ecclesiastica juxta decretum novum nuper in Concilio promulgatum praceperis sepultura privandos, donec redderent, quod tam prave receperint; quidam eorum dicunt ad solvendas perceptas usuras proprias non sufficere facultates: alii vero promittunt se partes usurarum, quas habent pra manibus, tradituros, sed alias, quas extorserunt usuras, cum de his possessiones comparata sint, & eorum filiis, vel parentibus tradita, se non posse reddere profitentur: alii vero ad excusandas excusationes in peccatis, impudenter affirmant, illas duntaxat usuras restituendas, qua sunt post interdictum nostrum recepta, nec aliquos ad solvendas usuras quas ante interdictum receperant debere compelli. Super his discretioni tua respondemus, quod sive ante, sive post interdictum nostrum usuras receperint, cogendi sunt, sub pœna, quam statuimus in Concilio, eas his, a quibus extorserint, vel eorum heredibus restituere, vel his non superstitibus, pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, unde ipsas restituere possint; cum juxta verbum B. Augustini*, non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. *Illi autem, qui non habent in facultatibus, de quibus usuras valeant restituere, non debent pœna illa multari, cum eos nota paupertas excuset. Possessiones vero, qua de usuris comparata sunt, vendi debent, & ipsa pretia his, a quibus extorta sunt, restitui, ut sic non solum a pœna ista, sed etiam a peccato, quod per usurarum extorsiones incurrerunt, possint liberari.*

23. Inter plura hujus Concilii decreta, quæ non extant, Matthæus Paris ad ann. 1179. hoc vigesimum octavum refert, quod si quis ab aliquo ob commodatam pecuniam prædii pignus acceperit, si, deductis expensis, sortem suam receperit ex fructibus, pignus restituat debitori; cui simile quiddam pro clericis in alio anteriori Concilio Turonensi an. 1163. sancitum legitur ab eodem Alexandro III., cum Cardinalibus 17., & Episcopis 117., qui ex Galliis, Italia, Anglia, Scotia, Hibernia, & ipso Oriente coacti, in eandem doctrinam consenserunt: *Plures Clericorum, & (quod mærentes dicimus) eorum quoque, qui præsens seculum professione, votis, & habitu reliquerunt, dum communes usuras quasi manifestius damnatas exhorrent, commodata pecunia indigentibus, possessiones eorum in pignus accipiunt ultra sortem. Idcirco Generalis Concilii decrevit auctoritas, ut nullus amodo constitutus in clero, vel hoc, vel aliud usura genus exercere prasumat. Et si quis hactenus possessionem alicujus, data pecunia, sub hac specie pignus acceperit, si sortem suam, deductis expensis, de fructibus jam receperit, absolute possessionem restituat debitori. Sin autem aliquid minus habet; eo recepto, possessio libera ad dominum revertatur. Quod si post hujusmodi constituta in clero quispiam extiterit, qui detestandis usurarum lucris insistat; ecclesiastici officii periculum patiatur, nisi forte beneficium Ecclesia fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laica videatur.* Hic autem observandum, quam diversa ratione agatur de restitutione, quæ etiam ex præteritis usuris exigitur, ac de pœna Ecclesiastica, quæ solum in usuras *post hujusmodi constituta* perpetrandas fertur. Id cum Alexandri III. rescripto concinit, quod restitutionem uti justitiæ debitum spectans, omnes usuras, *sive ante, sive post interdictum* quacunque ignorantia acquisitas comprehendit.

24. Id sane ne solis clericis pu-

putaretur indictum, Alexander III. ad laicos quoque æque porrigendum rescripsit S. Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, ejusque suffraganeis, qui forsitan ea de re dubitationem nonnullorum injecerant; unde forte etiam evenit, ut in sequenti Lateranensi Concilio idem de omnibus decerneretur. Alexandri verba sunt ex l. 5. decretalium tit. 18. c. 2. *Quoniam non solum viris Ecclesiasticis, sed etiam quibuslibet aliis periculosum est usurarum lucris intendere; auctoritate præsentium duximus injungendum, ut eos, qui de possessionibus, vel arboribus, quas tenere in pignore noscuntur, sortem* ( deductis expensis ) *receperunt, ad eadem pignora restituenda sine usurarum exactione Ecclesiastica districtione compellas.*

25. Adeo vero hanc restitutionis obligationem ex justitia manare judicatum fuit, ut, usurariis mortuis, idem restituendi debitum transire ad illorum filios, aut extraneos etiam, ad quos eorundem bona pervenirent, idem Pontifex a Placentino Episcopo consultus responderet, c. 9. ejusdem tit. 18. *Tua nos duxit Fraternitas consulendos, quid sit de usurariorum filiis observandum, qui eis in crimine usurarum defunctis succedunt, aut extraneis, ad quos bona usurariorum asseris devoluta? Tua igitur quæstioni literis præsentibus respondemus, quod filii ad restituendas usuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur. Idipsum etiam contra heredes extraneos credimus exercendum.* Alia ejusdem decreta Pontificis lib. 5. decretalium legenda dimitto.

26. Urbanus III. circa an. 1186. a quodam Brixiensi Episcopo consultus de tribus casibus usuræ, etiam citra conventionem perceptæ, restitutionem in foro conscientiæ ex violatione divinæ legis necessariam rescripsit: *Quia quidquid in his casibus timendum sit, ex Evangelio Lucæ manifeste cognoscitur, in quo dicitur,* Date mutuum nihil inde sperantes, *hujusmodi homines, pro intentione lucri, quam habent ( cum omnis usura, & superabundantia prohibeatur in lege ) judicandi sunt male agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi.*

Lib. 5. decret. tit. 18. c. 10.

27. Sub hæc tempora, cum nondum Lateranensis Concilii canon, aut Pontificiæ decretales in Belgio ignorantiam depulissent, B. Ivetta vidua relicta, *metuens tam sibi*, inquit Hugo Floreffiensis ejus familiaris, *quam filiis cavere volens in posterum de voluntate, & consilio patris, consensit in hoc, ut pecunia, quæ sibi proveniebat e substantiola sua, publicis negotiatoribus accommodaretur, ut supercrescentis lucri negotiantium particeps esset; sicut multi & honesti secundum seculum viri idem facere consueverant, licet non absque peccati, sicut nec sine quæstus emolumento. Quod tamen peccatum, quamvis modo quam grave, & grande sit, evidenter appareat; tunc tamen temporis, aut omnino veniale æstimabatur, aut nullum.* Cum hæc auctor scripsit, Lateranensis decreti promulgatio, & executio per Episcopos ubique procurata, minus observatam antea peccati hujus gravitatem detexerat; at B. Ivetta ante hoc quoque subsidium, Deo ipso inspirante, malum deprehendit, factique pœnitens, injusti lucri restitutionem fecit: *Evolutis siquidem*, inquit Hugo n. 27., *diebus aliquot, intelligens mulier fidelis per adspirantem sibi divinitus gratiam, quod multum, & in multis Deum offenderat in via hac, qua ambulabat, licet forte in simplicitate minus recta: detestari facinus illico,* & *abominari cepit hujusmodi commercium; insuper & pro jam perpetratis congruenti se ipsam addixit pœnitentiæ, orationibus, jejuniis, & eleemosynis exinde vigilantius intenta.* Et n. 31. *Et quia visum ei bonum est, & utile inde sibi*

*bi Deum placare offensum, unde offenderat inoffensum; cœpit primo Deo in pauperibus restituere, quod minus juste metuebat se plerunque ab aliis accepisse, nihil sibi reservare tutum ratus, quod alterius, & non suum extitisset*. Furtum ergo habuit usurarium lucrum, *quod alterius, & non suum* esse judicans, restituendum credidit, ut sane, ipsa adhuc inscia, Lateranensis Synodus, & Alexander III. sanxerant.

## §. V.

### *Testimonia sæculi XIII.*

28. Decretalium lib. 5. tit. *de Usuris* plura sunt Innocentii III. decreta, quibus usurarum restitutio, nedum a Christianis, sed a Judæis etiam per Judices exigenda præcipitur, quod usuræ injustitiam confirmat. De Christianis ad Episcopum Mutinensem: *Dudum*, inquit, *ex parte tua recepimus quæstionem, quod quidam usurarii tuæ Diœcesis, eos, quibus dant pecuniam ad usuram, præstare faciunt juramentum, quod usuras non repetant, & super his, quas solverunt, nullam moveant quæstionem. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, ut usurarios ipsos, monitione præmissa, & per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellas, ante usurarum solutionem ab earum exactione desistere, vel restituere ipsas, postquam fuerint persoluta, ne de dolo, & fraude sua contingat eos commodum reportare, qui ad hoc præstari faciunt juramentum, quod super usuris non valeant molestari*. Et in casu, quo usurarius nondum restituisset usuras a se perceptas, & solutas a se sibi restitui postularet, decernit ipsum non esse audiendum, nisi prius restituat: *Quia*, inquit, *frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem, statuimus, ut si quis usurarius a nobis literas impetraverit super restituendis usuris, vel fructibus computandis in sortem, nisi prius ipse restituerit usuras, quas ab aliis noscitur recepisse, auctoritate literarum ipsarum nullatenus audiatur*. Idem Pontifex c. 17. ejusdem tituli 19. de Usuris, *Michael laicus*, inquit, *suam nobis querimoniam destinavit, quod quidam alii Bononienses cives multa extorserunt ab eo, & a patre suo, cujus heres extitit, nomine usurarum . . . Attentius provisurus, ne auctoritate nostra in negotio procedas eodem, nisi dictus conquerens restituerit, vel adhuc restituat, si quas aliquando ipse, vel pater usuras extorsit*: ubi heredes quoque ad restitutionem usurarum obligantur, quod in justitiæ proprie dictæ materiem cadere potest. Porro de Judæis ad Narbonensem Archiepiscopum scribit: *Judæos ad remittendas Christianis usuras per principes, &* Can. 12. ejusdem tituli *secularem compelli præcipimus potestatem; et donec eis remiserint, ab universis Christifidelibus, tam in mercimoniis, quam in aliis, per excommunicationis sententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari*. Quod decretum adversus Judæos repetitum, & confirmatum legitur in Concilio Avenionensi paullo post coacto can. 4.

29. Mitius quidem cum Judæis quandoque agendum visum est in Lateranensi IV. sub eodem Innocentio III., ubi immoderatæ solum usuræ memorantur, quas si illi a Christianis exigant, civili cum iisdem communione interdicta, ad restitutionem cogendos decernitur: quod item in Narbonensi an. 1227. repetitum legitur. Id autem non in usurarum, quæ modum servent, approbationem pertinet. Idem enim Concilium omnes usuras Christianis prohibuit; & solum prævidens fore, ut sæpius pauperes sine usuris ullis mutuum non invenirent, usuras saltem immodicas, quas soli Hebræi a Christianis se posse exigere arbitrantur, compescendas judicavit. Itaque hoc solum ad majoris ma-

mali vitationem spectat, ne pauperes in necessitatibus vel deserantur, vel opprimantur. Hi canones, non ad Hebræos dirigendos, qui Ecclesiam non audiunt, nec pertinent ad Ecclesiam, sed ad coercendos, christianis judicibus propositi sunt. Aliqua etiam civilium legum consideratio locum habere potuit, si Hebræis usuræ non omnino interdictæ fuissent.

30. Cum Rex Ludovicus an. 1254. adversus omnes Judæorum usuras legem tulisset, quæ est XXIII. & XXVIII., omnem item usuram ab iisdem repetendam sanxit Narbonensis provinciæ Concilium Montispessulani habitum an. 1258. præcipiens can. 5. *ut nullus de cetero Judæum aliquem contra Christianum super exactione debitorum audiat, nec ei audaciam aliquam præbeat, nisi prius sacra lege Mosaica coram posita, Judæus ipse, qui justitiam postulat sibi exhiberi, per suum declaraverit advocatum, quid & quantum de ipso debito, quod exigit, usura, vel sors fuerit, ut ex tunc super sorte solummodo audiatur, usurarum petitione penitus submota.* Ubi non ab immoderata solum, de qua ejusdem Provinciæ Concilium statuerat an. 1227., sed ab omni usura Judæi ipsi excluduntur; unde apparet omnem quidem usuram semper judicari injustam, sed pro conditione temporum, sicut civilibus, ita & Ecclesiasticis legibus plus, minusque coerceri. Certe quoad forum conscientiæ, sicut Christianis omnem usuram illicitam, ac injustam semper habuit Ecclesia; ita & Hebræis, a quibus propterea, cum ad catholicam fidem accederent, usurarum restitutionem semper efflagitavit, ni forte de incertis remittendum iisdem tanquam pauperibus videretur, ut ex Paulli III. constitutione *Cupientes* edita an. 1542. intelligere licet. Sed redeamus in viam.

31. Ann. 1274. in Concilio Generali Lugdunensi II., in quo, præsidente Gregorio X., Episcopi supra quingenti, innumerique inferiores Prælati, cum Aragoniæ Rege, ac multorum Principum Oratoribus interfuerunt, insigne de usuris restituendis decretum can. 17. editum fuit, ubi peculiares cautiones ad restitutionem exigendam appositæ sunt. Similia repetita leguntur in Concilio Bituricensi an. 1286. can. 17., Herbipolensi an. 1287. can. 23., & eodem anno in statutis Ecclesiæ Leodiensis tit. 32., item in statutis synodalibus Ecclesiarum Cadurcensis, Ruthenensis, & Tutelensis an. 1289. art. 15., & in statutis Ecclesiæ Æduensis an. 1299. art. 9., ubi usuræ restitutio ita præcipitur, ut omnino injusta convincatur. Lib. decretal. tit. de Usuris.

32. Alia hujus temporis, sed incerti anni documenta idipsum statuunt. In constitutionibus Coventriensibus, quas ex Angliæ consiliis hoc seculo habitis refert Thomassinus *Traitè de l' usure* c. 17. n. 10. *Similiter de usura: Quando aliquis dat mutuo undecim pro duodecim; vel vendit, vel emit, ad terminum, oportet, quod totum restituat, nec sic de male acquisitis potest fieri eleemosyna.*

33. Inter statuta quædam Ecclesiæ Meldensis per Martene edita, quæ ad finem seculi XIII. referenda videntur, n. 26. monetur Sacerdos, *ut in furto, rapina, usura, fraude, vel damno sibi caveat, ne alias injungat pœnitentias, scilicet Missarum, eleemosynarum, & hujusmodi, nisi prius reddiderit; non enim dimittitur tale peccatum, nisi restituatur ablatum.* Analect. tom. 4. pag. 819.

34. In statutis Ecclesiæ Nannetensis ab eodem Martene editis, nec multo posterioribus Lateranensi IV., n. 78. præcipitur, ut a pœnitente *quæratur utrum habeat rem alienam injuste, videlicet per furtum, fraudem, usuram, rapinam &c.* Tum admonetur, *quod vero domino facienda est restitutio. . . nec sufficit circa male habitum sola restitutio, sed condigna* Eod. tom. 4. p. 997.

*digna debet injungi satisfactio pro peccato*. Num. 82. *Dicendum est filiis fœneratorum, & omnium raptorum, quod de hujusmodi arctissime debent vivere, & reddere damnatis (lege damnificatis) prout possunt, etiam in suis dominiis; & si pinguior eis obvenerit fortuna, debent reddere de proprio quantum possunt, saltem quantum ad eos pervenerit*.

ibi p. 467. 35. Idem Martene edidit etiam statuta Æduensis Ecclesiæ, quæ ex Mss. ineuntis seculi XIV. sumta, antiquiora esse creduntur, ibique cum multa contra usurarios decernuntur, tum n. 64. cavetur, ne iis pœnitentia imponatur, priusquam, quod poterunt, reddiderint: quia *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*; & num. 98. 99. 100. ac 101. repetuntur quæ circa restitutionis cautionem sanxit Lugdunense II. can. 27.

36. In Concilio loci incerti, quod si non XII., saltem XIII. seculo celebratum fuit, & ab eodem ibid. p. 159. Martene publici juris factum, art. 22. idem statuitur, ac in Meldensi paullo ante recitavimus, ne ullam usurariis pœnitentiam Sacerdotes imponant, nisi ante restituant.

37. In Concilio Coloniensi circa hujus seculi finem celebrato, can. * Apud Labbeum. 12. cavetur, ne quis usurarios *ad pœnitentiam, & communionem admittat, nisi de usuris satisfecerint*.

38. Horum etiam decretorum executio ex nonnullis factis constat. Mabillonius Analectorum pag. 346. novissimæ editionis, monumentum edidit visitationis Ecclesiæ Bituricensis, ex qua constat Simonem de Sulliaco Archiepiscopum an. 1284. & 1285. plures usurarios ad restitutionem coegisse.

39. Insignis etiam est historia ejusdem seculi XIII., quam Martene evulgavit tom. 3. Anecdot. pag. 1285. Ea pertinet ad Venerabilem Wilhelmum II. Abbatem Villariensem Cisterciensi Monasterio præpositum an. 1221., excerpta ex libro Thomæ Cantipatrensis, cui titulus: *De universali bono*, ubi hæc habentur: *Quid nostro tempore sub quodam religiosissimo Abbate in Villariensi Monasterio Brabantiæ partibus contigit, videamus. Nescio tamen utrum fuerit ille, vel alter. Maxima summa pecunia, librarum fortasse mille, & sexcentarum, mortuo quodam usurario in Namurco, in dicto Monasterio est delata, ex qua cum multa possessiones essent emta, quidam vir arcta conscientiæ Abbas Monasterii est electus. Quod ubi comperit factum, doluit; & venditis ovibus, atque pecudibus, rebusque mobilibus, pecuniam in Namurco remisit, ut spoliatis singulis redderetur. Nemine autem volente assumere restitutionis negotium, pecunia iterum ad Monasterium est delata. Pius ergo Abbas reportantibus indignatus, jussit iterato eam referri, & in foro coram civibus, & omni populo deponi, dicens:* Pecuniam, qui velit, accipiat, meam esse renuo, quia injuste acquisitam non dubito. *Quod ubi viderunt omnes, ædificati non modicum in hoc facto, communi consilio, per manus virorum fidelium pecuniam ipsam injuriatis singulis reddiderunt*.

40. In hanc eandem sententiam apud eundem Martene tom. 1. Anecdot. pag. 776. extat epistola sub idem tempus scripta a S. de Namurco ad H. Villariensem, ubi usura inter bona injuste acquisita, de quibus eleemosyna fieri non debet, recensetur: *Quatuor sunt, de quibus non potest fieri eleemosyna, nisi ut fiat restitutio, si sciat detentor a quibus habuerit, vel restituere possit. Hæc sunt simonia, sive res simoniace acquisita, usura, furtum, rapina. Si ergo usurarius velit dare claustralibus, monendus est, ut prius restituat. Sic enim dixit Tobias Annæ, quando attulit agnum:* Vide ne furtivus sit. *Si autem dicat usurarius, vel raptor, quod nesciat a quibus habuerit, vel quibus restituere possit, dicatur ei, ut restituat Ecclesiæ,*

*clesia, & tunc de licentia Episcopi illius loci bene possunt accipere.... Sed sit ita quod usurarius ex denariis per usuram habitis emerit quandam terram, vel aliquid hujusmodi, licet ne eam emere claustralibus, hoc etiam addito, quod usurarius nesciat, quibus possit restituere? Ad hoc dicunt quidam, quod recipere possent in eleemosynam, si dare vellet, non emere: in dando enim restituit Ecclesia, & non in vendendo. Alii dicunt, quod possent etiam emere, quod non videtur esse verum.*

## §. VI.

### *De Scholasticis. Argumentum ex traditione concluditur.*

41. Testimonia sequentium seculorum ex Pontificibus, Synodis, aliisque Ecclesiæ monumentis ad nos usque proferri superfluum est, cum omnia iisdem vestigiis insistant. Neque tamen prætermittendi sunt Scholastici, qui dum usuram injustitiæ, & furto, aut rapinæ tribuerunt, restitutionique obligarunt; non novam invexisse doctrinam, sed antiquam cum Pontificibus, Episcopis, Conciliis, ac tota Ecclesia tenuisse ex dictis noscuntur. Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus, qui post medium seculum XII. floruit, Scholasticisque omnibus præivit, sententiarum libros, non e suo ingenio, sed ex SS. Patrum sententiis, ac traditione complexus, unde *Magister sententiarum* dictus est, ex eadem disciplina usuram inter peccata adversus septimum Decalogi præceptum retulit dist. 37. l. 3., ubi de septimo præcepto agens: *Hic etiam*, inquit, *usura prohibetur, quæ sub rapina continetur; unde Hieronymus: Usuram quærere, vel fraudare, aut rapere, nihil interest.* Tantum Magistrum, seu acceptam potius, ac perpetuo in Ecclesia traditam tanti Magistri doctrinam Theologi omnes secuti sunt: qui si rationes eidem doctrinæ asserendæ produxere, quæ minus fortassis efficaces nonnullis videantur; nolim id in eorum auctoritatem elevandam convertatur. Neque enim eos e rationibus considerandos propono, sed uti traditionis testes, qui antiquis Patribus in eadem doctrina tradenda successere, nec in eam rationum vi fuerunt deducti, sed eam potius majorum auctoritate, ac traditione susceptam, rationibus, ut eorum temporum erat ingenium, munire satagerunt.

42. Alexander de Ales part. 3. q. 36. memb. 4. n. 2. *Usura est peccatum, & intelligitur prohibita hoc præcepto*, scilicet: *Non furtum facies*; & quæst. 59. memb. 4. a. 3. ad 2. 4. & 5. usuram *alienæ rei usurpationem*, & usurarios *fures* vocat.

43. S. Thomas 2. 2. q. 78. a. 1. *Accipere usuram pro pecunia mutuata est secundum se injustum.* Et post pauca: *Et sicut alia injuste acquisita tenetur homo restituere, ita pecuniam, quam per usuram recepit.* Vide etiam art. 3.

44. Auctor opusculi 73. de usuris, inter S. Thomæ opera, c. 4. *Patet quod usura..... sit species quædam, sive modus de genere rapinæ, & furti.*

45. S. Bonaventura in 4. sent. dist. 37. dub. 7., de septimo præcepto agens: *Prohibetur hic furtum simplex.... & rapina, quæ fit per violentiam, & etiam usuram &c.* Et in Centiloquio part. 1. sect. 31. usuram injustitiæ accensens, furto, & rapinæ iterum copulatur, eamque sic definit: *Usura est sub specie negotiationis, domino sciente, alienæ rei contrectatio.* Et in speculo animæ cap. 2. *Tertius fructus principalis injustitiæ ad proximum, qui ex ramo avaritiæ procedit, est usura*; affirmatque esse peccatum mortale, *in quantum contra præceptum morale justitiæ est.*

46. S. Raymundus lib. 2. tit. 7. de

de Usuris, in proemio: *Usurarum, vel nihil distat a rapina*: & de restitutione fuse agit §. II., ubi & notat quod etsi in pluribus canonibus de solis manifestis usurariis sermo sit, unde adversus hos tantum pœnæ iisdem canonibus præscriptæ sunt ferendæ, ut ad restitutionem compellantur; omnes tamen *in foro pœnitentiali*, inquit, *indubitanter tenentur, tam usurarii, quam heredes, ad solidam restitutionem omnium usurarum, quas illicite perceperunt, vel saltem faciant posse suum, & doleant de peccato, & quia non possunt plene restituere; & proponant in animo restituere, si pervenerint ad pinguiorem fortunam, & semper pro posse nitantur*.

47. Pluribus non distinear testibus, cum idipsum ceteri & Theologi, & Canonistæ, omnes denique & hujus, & posteriorum etiam seculorum doctores catholici tradant, ac sentiant. Hinc eędem de usura, ac de rapina, & furto restitutionis regulæ præscribuntur ab omnibus: adeo æque omnia adversus justitiam pugnare creduntur. Hic autem Doctorum omnium consensus, non separatim expensus, sed cum Ecclesiæ præsentis, & antiquæ doctrina, nec non cum traditione Patrum consentiens, decretisque præterea Summorum Pontificum, & Conciliorum etiam Generalium firmatus, non opinionem quidem Scholasticam, sed catholicum certissimum dogma constituit, de quo dubitare non licet. Sane vel Græci Schismatici, qui profecto non a Scholasticis sumserunt, eandem doctrinam postremis quoque temporibus tradidere, ut vel ex uno Nicolao Cabasilla Thessalonicensi Archiepiscopo XIV. seculi liquet, qui in Oratione adversus fœneratores, usuram (1) fraudi, & alienæ rei, quæ in eleemosynam dari nequeat, plane accenset. Nullum Latinorum præjudicium, sed sola vetus Ecclesiæ traditio hanc doctrinam in Schismate continere potuit.

48. Usuram ergo non tam peccatum, uti superiore libro ostendimus, quam peccatum injustitiæ debemus fateri, quippe quam non soli charitati, sed justitiæ præsertim adversam perpetua, & constans omnium seculorum traditio prodidit, uti hoc capite satis evidenter monstrasse nobis videmur. Si Scripturæ sacræ auctoritas hoc in articulo vel deesset, vel quam attulimus capite primo minus explorata videatur; nonne traditio adeo evidens catholico dogmati statuendo satis superque esse debet? Nunc aliquot objectiones diluendæ supersunt.

## CAP. III.

*Tres objectiones refelluntur.*

1. DUo opponi possunt ex Patribus. Primo quod usura in Nicæno Canone *lucri turpis* nomine, non autem injustitiæ damnatur. Hinc certe Auctor examinis pacifici n. 69. usuram non semper per se malam esse contendit; cum non omne lucrum turpe omnibus per se malum sit, ut patet in quibusdam lucris, quæ clericis vetita, in laicis non semper damnantur. Ita ergo usuram lucri turpis nomine clericis interdictam haud semper omnibus per se malam concludit. Alii vero etsi fateantur usu-

(1) Tom. 26. Bibl. P. P. p. 169. usurarios *fraudatores* vocat; & pag. 170. *Cum fraudasti, ejus rebus manus tuas imples*: & paullo post *defraudare*; ac tandem de eleemosyna ex usuris: *Si tu vero usuras omnes in pauperes effundas, primo non tua prodigis*: ergo aliena. *Quod si minus das, quam accepisti, neque tua das, & adhuc aliena retinere deprehenderis*. Hęc in veterum Patrum locutionem.

usuram esse peccatum, quia turpe lucrum est; non tamen injustam exinde affirmabunt, sicut alia plura, quæ injusta non sunt, turpi lucro deputantur.

2. Sed quantum errat Examinis pacifici Auctor in purganda usura, quæ solo lucri turpis nomine clericis interdicitur; tantum erraret, quicunque eam idcirco ab injustitia excusaret. Quodcunque lucrum est *per se* turpe, etsi in clericis, qui ab omni negotiatione etiam licita alieni esse debent, gravius peccatum sit, specialique prohibitione in iisdem damnetur; omnibus tamen, etiam laicis, culpabile est; unde Paullus 1. ad Timoth. c. 3. v. 8., & ad Titum c. 1. v. 7. *turpe lucrum*, quod Diaconis, vel Episcopis prohibet, aliis peccatis accenset, quæ per se omnibus illicita, honestati morum, ac divinæ legi adversantur. Immo S. Petrus epist. 1. c. 5. v. 2. *turpe lucrum* in sacro ministerio alienum esse jubens, hoc nomine lucrum ex sacris ministeriis quæsitum, ac simoniacum spectavit, quod non modo est illicitum, sed & injustum esse potest. Quidquid lucri cum peccato provenit, per se turpe lucrum est, quod sine peccato esse nequit; quandoque autem est etiam injustum, si injustitiæ repugnet. Usuram vero contra divinam legem pugnare, & proinde lucrum esse cum peccato proveniens, inter plura superiori libro producta ex ipso Nicæno canone constat, in quo ea turpis lucri damnatur. Eandem porro adversari justitiæ, si non ex Nicæno Canone, aut aliis Patrum testimoniis colligitur, ubi merum lucrum turpe in usura reprehenditur; certe ex aliis Ecclesiasticis documentis hoc libro descriptis liquet, ubi ea injusta, & restitutioni obnoxia manifestissime traditur.

3. Atqui nonnulli Patres, inquies, superfluum, quod divites ex rebus legitime partis retinent, *alienum*, idest pauperum appellant, adeo ut qui egentibus negant superflua, hos alienum usurpare, & furari quibusdam in locis testentur. Hoc autem, quod uni charitati adversatur (hæc enim sola eleemosynam præcipit) profecto injustitiæ proprie dictæ non est. Quidni simile quiddam de usura ab iisdem scriptum suspicemur, ut eam justitiæ proprie dictæ minime adversam credamus?

4. Vehemens hæc objectio illis videbitur, qui ipsa Patrum testimonia de superfluis, & de usura nequaquam conferentes, diversam loquendi rationem non attenderint. Cum de superfluis Patres loquuntur, primo ea acquirere injustitiæ nullibi damnant, uti damnant in usura. Immo cum ea recte, & juste acquisita, ac parta fateantur, solum accusant ea sibi cupidius retinere, vel licentius dissipare, quæ ex quadam justitia pauperibus deberentur. Porro cum justitiam in hoc læsam appellant, non humanam, atque civilem justitiam, qua dominia, ac jura hominum continentur, sed divinam eminentiorem indicant, qua altum, & eminens Dei dominium in universa hominum bona exeritur, quæque hac superfluorum retentione, vel dissipatione violatur. Memorant enim fere Deum supremum esse bonorum Dominum, a quo divites quæcunque habent, accepere; eaque conditione accepere, non ut ex superfluis avaritiæ, vel luxui, aut aliis cupiditatibus serviant, sed ut indigentibus, quæ opus habent, elargiantur. Hinc eosdem ad hoc Dei dominium revocatos, non veros, & despoticos superfluorum dominos, qui quidquid de iisdem fecerint, jure fecerint; sed œconomos, & dispensatores præferunt, qui si aliter dispensent, quam sibi ab eodem præstitutum est, alienum, in pauperum opem a supremo Domino traditum, contra ipsius voluntatem usurpent, retineant, vel dissipent, & sic injustitiam quandam

Pastoral. part. 3. c. 21. 22. dam committant. *Admonendi sunt igitur*, inquit S. Gregorius, *qui jam, quæ possident, misericorditer tribuunt, ut a cælesti Domino dispensatores se positos subsidiorum temporalium agnoscant, & tanto humiliter præbeant, quanto & aliena esse intelligunt* quæ dispensant. In hanc autem sententiam verum est, quod scribit post pauca: *Cum qualibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur; justitiæ debitum potius solvimus, quam misericordiæ opus implemus.* Quibus similia cum dixisset S. Petrus Damianus, hæc subjicit: *Cum ergo pauperibus subvenimus, aliena procul dubio reddimus, non nostra præbemus. Veruntamen apud pium Judicem misericordes efficimur, cum hæc ipsa, quæ non nostra, sed communia sunt, fideliter dispensamus: & cum juste, quæ aliena sunt, reddimus, apud eum, qui cordis intima conspicit, misericordiæ præmio non caremus. At contra, qui nunc pauperibus subvenire contemnunt, in tremenda discussionis examine non tam accusantur avaritiæ, quam rapinæ: nec suorum tenaces, sed alienorum potius convincuntur fuisse raptores. Quibus utique summus arbiter dicturus est in judicio: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus: Esurivi enim & non dedistis mihi manducare: sitivi & non dedistis mihi bibere. Ac si dicat, quia noluistis ea ministrare conservis, quæ pro illorum refrigerio percepistis, voracis gehennæ vos olla deglutiat, quos per cupiditatis ardorem, aliorum bonorum rapina condemnat.* Aliena autem explicat: *Cum alienum nobis sit, quod in hac vita dispensandum suscepimus:* quæ cum unicum Dei dominium respiciunt, tum ad dominium privatorum nihil pertinent; unde iidem sæpe Patres citra contradictionem uno eodemque testimonio, quo superflua ex Dei dominio, atque voluntate, *aliena* prædicant, ex dominio privato *nostra* simul fatentur, ut palam fit, eos injustitiam, ac rapinam stricti juris non intelligere, cum divites superflua pauperibus subtrahentes, injustitiæ, ac rapinæ accusant. Egregie admodum S. Joannes Chrysostomus concione 2. de Lazaro: *Siquidem & hoc rapina est, non impartiri de tuis facultatibus. Ac fortassis vobis mirum videtur esse, quod dico; verum ne miremini; testimonium enim vobis e divinis Scripturis proferam, dicens, quod non solum rapere aliena, verum etiam tua non impartire ceteris, & rapina sit, & fraudatio, & spoliatio. Itaque Judæos Dominus accusans per Prophetam dicit: Produxit terra proventum suum, & non intulistis decimas, sed rapina pauperis est in domibus vestris. Quoniam, inquit, oblationes solitas non dedistis; rapuistis ea quæ sunt pauperis. Hoc autem dicit, declarans divitibus, quod res pauperum possident, etiamsi paterna hereditate obvenerint, etiamsi aliunde collegerint pecunias. Ac rursum alibi dicit: Ne spolies vitam pauperis; qui vero spoliat, aliena tollit. Nam spoliatio quædam dicitur, cum aliena accepta detinemus. Propter hoc igitur discamus, quod quoties eleemosynam non præstiterimus, pari cum his, qui spoliant, supplicio afficiemur. Heriles enim pecuniæ sunt, undecunque eas collegerimus. Quod si in egenos eas erogaverimus, multa nobis opes, ac facultates obvenient: ideoque tibi plura possidere concessit Deus, non ut in scortationes, temulentiam, ingluviem, in vestes sumptuosas, aliamque mollitiem consumeres, sed ut ea distribueres egentibus.* Legatur etiam homilia 10. in epist. 1. ad Cor. Hinc Sanctus Hieronymus ad Eustochium de virginitate servanda, multum discriminis innuit inter veram injustitiam, qua *aliena* appetuntur, & inter illam latiorem, qua *nostra*, *quæ sunt aliena*, idest pauperum, retinemus;

Tom. 3. opusc. 9. c. 1.

Ava-

*Avaritia tibi quoque vitandum est malum, non ut aliena non appetas, hoc enim & publica leges puniunt; sed quo tua, qua sunt aliena, non serves.* Et S. Augustinus serm. 706. n. 2. *Hinc intelligit animus Christianus, quantum remotus esse debet a fraude aliena rei, quando sentit simile esse fraudi, si superflua sua non tribuerit indigenti.* Non fraudem veram, sed *fraudi simile* ait, cum quis *sua*, superflua tamen, indigenti non tribuit. Sic etiam in Evangelio Zachæus Publicanorum princeps, & ipse dives, qui & multis affluebat superfluis, & de nonnullis fortassis per fraudem quæsitis metuebat, his solis fraudis proprie dictæ nomine relicto, illa, etsi in pauperes eroganda, in bonis suis recensuit: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Quis ergo de Patrum mente ambigere possit circa superflua, cum hæc quidem *aliena* pronuncient solius ratione dominii, & præcepti divini; atque eatenus ea contra Dei mentem retinere aliqua *rapina* sit: at simul *nostra* concedant ratione dominii civilis, atque humani; & eatenus rapina propria non sit, quam nonnullibi accuratius loquentes, rapinæ, vel fraudi *similem* potius, quam rapinam, vel fraudem appellandam, & a rapina, vel fraude proprie dicta lato discrimine secernendam viderunt? Hinc tandem nemo unus inter omnes invenietur, qui ita superfluorum, quæ quis pauperibus subduxit, restitutionem imposuerit, ut de fraudibus, rapinis, ac furtis proprie dictis egerunt.

5. Nunc si Patrum locutiones circa usuram consideremus, nihil in his commune cum superfluis reperire erit, sed omnia rapinarum, furtorum, ac injustitiæ stricte acceptæ propria. Nullibi eam juste partam dicunt, sed potius injuste: nullibi subindicant nostram: ubique injustitiæ, rapinæ, fraudis crimen eidem impingunt, & ne de injustitia late sumta eos loqui dubium sit, restitutionis onus strictæ injustitiæ proprium frequenter, & vehementer imponunt, ut ex allegatis testimoniis manifestum est. Plura ad objectionem diluendam necessaria non sunt.

6. Quod si quis in hac ipsa ratione opponat, nonnullos restitutionem in pauperes præcepisse, quod in injustitia proprie dicta agendum non est: primo duobus, vel tribus, qui hoc præcepere, oppono ceteros omnes, qui eam restitutionem ipsis mutuatariis faciendam, nec nisi in incertis pauperes sufficiendos sanxerunt. Quid quod illis paucis peculiares esse potuerunt caussæ id decernendi, quæ nobis ignotæ sunt? Omnium antiquissimus, atque præcipuus S. Basilius, qui laicos usurarios a clero interdixit, nisi *injustum lucrum in pauperes consumerent*. Cum fere pauperes mutuum accipiant, num pauperes intellexit S. Basilius illos ipsos, a quibus usuræ fuerunt extortæ? Certe ejus frater S. Gregorius Nyssenus restitutionem iisdem læsis faciendam præcepit, ut suo loco vidimus, nec credibile est S. Basilium aliam sententiam gessisse, nisi quæ specialis loci, temporis, aut personarum ratio aliud postularet. Forte civilibus legibus fœnus probantibus, ita passim mutuum sub usuris credebatur, præsertim inter Gentes, ut difficile esset discernere, ac meminisse, quibus restitutio deberetur; vel ii etiam, qui usuram solvissent, adeo erant usuris alias implicit, ut restitutionem recusarent suscipere, quam ipsi ex usuris acquisitis facere detrectarent. Sed quæcunque hujus rei fuerit caussa, hinc certe de restitutionis obligatione satis constat; quam, peculiaribus caussis exceptis, in mutuatarios ipsos, qui usuras solverunt, vel in eorum heredes debe-

debere cedere, & Patrum traditio, & Pontificum, atque Conciliorum etiam Generalium auctoritas probat, nec non exploratum divinæ quoque Scripturæ testimonium, quod hac in re ex Esdræ libris suppetit: quæ sane duobus, vel tribus obscuris aliquorum Patrum testimoniis præferenda sunt.

## CAP. IV.

*Objectio ducta a vi humanarum legum, qua in publicum bonum transferre dominia possunt, & justum facere, quod alias esset injustum. Nihil tale posse fieri in usura ostenditur.*

1. SI naturalem usuræ injustitiam hoc libro demonstrandam suscepissem, nonnullæ objectiones, quibus a ratione æquitas quædam in usura videtur ostendi, exponendæ, & dissolvendæ essent. Sed his ad disputationem de jure naturali remissis, satis hoc loco sit observare, quod ubi certum est divinum jus, quo usuræ injustitia ex certo dogmate, ac traditione statuitur, etiamsi ea ex jure naturali non esset injusta, nihil possent humanæ rationes, ut injustitiam divino jure præstitutam submoverent. Si enim in rebus humanis, ubi Principum leges irritum, & injustum efficiant contractum aliquem, qui alias a ratione injustus non sit, nulla ejusmodi ratione effici justus potest; quanto magis idem dicendum de lege divina, ut probari nequeat justum usurarium lucrum, quod illa injustum tam expresse præfinit? Hac eadem de caussa nullæ etiam leges humanæ, etsi usuram non permittant solum, sed præcipiant, ac probent, justam tamen illam, & licitam efficere queunt. Si enim inferioris magistratus vis aliquid approbantis, vim superioris irritantem infringere nequit, quanto minus humanæ legis vis vim divinæ poterit elidere, atque destruere?

### §. I.

*Novum systema, qui objectionis loco est, exponitur.*

2. ATqui nonneminem opponentem audivi, in ipsa naturali lege, quæ simul divina est: Objectio proponitur. nonne ea est vis legum civilium, ut publici boni caussa justum efficiant, quod per se injustum est? Hæc vis in præscriptionis lege dignoscitur, qua fit, ut exacto præscriptionis tempore, legibus præfinito, non injuste retineatur, quod ex solo naturali jure, atque divino retinetur injuste. Quod si, exigente publico bono, hæc vis legibus humanis tribuitur, ut, cum necesse est, dominia rerum privatarum transferant, unde justum fiat, quod alias esset injustum: exigente pariter bono publico ut ad mutuum promovendum usura liceat, ne mutuo sine usuræ spe intercepto, res privata, & publica maximum detrimentum capiat; quidni eandem legum vim circa usuram admittamus, ut, consentientibus præsertim hominibus, qui usuras libenter pendent, usuræ dominium transferatur, sicque usura præcipiatur juste, etsi alias naturali, nedum divino, jure injusta haberetur? His addi potest, quod nonnemo usurarum patronus opposuit, ex ipso divino jure obtemperandum esse Principibus; his autem non obtemperare illos, qui usuras ab iisdem approbatas uti legitimas, & justas, illicitas, & injustas esse contendunt. Magna hæc apud imperitum vulgum, non autem apud Theologos erunt.

### §. II.

*Hoc systema innititur falsa hypothesi.*

3. ET primo mirum maxime accidit, ejusmodi sententiam, de qua ne cogitarunt quidem, ut videbimus, antiqui Patres, dum Roma-

Romanæ leges usuram approbare videbantur, invectam fuisse hoc tempore, quo nullæ catholicorum Principum leges usuram probare, sed omnes potius eam improbare inveniuntur, ut patebit ex dicendis L.VI. c. 1. §. ultimo. Si quæ nimirum leges lucrum annuum taxant, eæ ad emtionum prædialium, ad censuum, ad lucri cessantis, aliorumque licitorum hujus generis contractuum legitimum modum præfiniendum pertinent, ut nihil ad usuram referatur. Et nihilominus hæ leges respiciuntur, vel etiam allegantur pro usura, ac si de ea statuerent, ac dominium usuræ transferendum decernerent. Ita quidem auctores hujus sententiæ Germani sunt, ac respiciunt legem Rodulphi II. editam in Comitiis Spirensibus an. 1600., quæ in hac materia postrema Cæsarea lex est, & adhuc in Germania viget: cum tamen ea non loquatur de usura, sed unius *interesse*, idest solius lucri cessantis, quod *a tempore moræ* præsumitur, compensationem, ac modum constituat. Hæc enim verba legis sunt: *Quantum attinet ad punctum mutui, præsentes Consiliarii, & Legati Electorum, Principum, & statuum, in memoriam renovarunt quid in deputatione VVormatiensi ob hoc punctum habita an. 1586. actum fuerit, & quod tunc nostri ibi præsentes Commissarii, attendentes sic partes ob punctum liquidationis litigantes a longis processibus forensibus liberari, & tribunalia ab his molestiis alleviari posse, cum illis convenerint, in casu, quod debitor fuerit in mora restituendi pecuniam mutuam, certum quid, loco interesse, a tempore moræ statuendum, & debitorem ad interesse solvendum adstringi debere, ob præsumtionem, quod creditor a tali tempore suam pecuniam collocare, & licito modo ad minimum quinque pro centum lucrari potuerit. Id & nobis placet. Ordinamus proinde, & volumus, ut creditori interesse a tempore moræ compensetur; illique quinque pro centum persolvantur. Quod si creditori quinque non placuerint, sed ipse existimet, tam ex lucro cessante, quam ex damno emergente, se plus posse exigere, licebit ipsi totum suum interesse coram judice probare, & ejus sententiam expectare.* Notentur verba *interesse*, *a tempore moræ*, *ob præsumtionem*, *compensetur*, quæ verum lucrum cessans præsumtum spectant, nullo modo autem usuram, cui hæ conditiones necessariæ non sunt; cum præsertim hæc lex nitatur lucri cessantis præsumtione, quæ si ipso facto veritate careat, & vera usura adsit, nihil operatur: leges enim in præsumtione fundatæ, ubi falsa fit præsumtio, nullum effectum sortiuntur. Hanc tamen legem Germani illi auctores ad usuram traducunt, ac si vi ejus usuræ dominium transferatur: & quod mirabilius est, alii quoque non Germani eandem sententiam adoptarunt, in iis quoque locis, ac regnis, ubi omnis usura expressis legibus interdicitur. Nonne hæc inconsiderantia nimium enormis (ne quid dicam amplius) errorem manifestum prodit ejus sententiæ, quæ etiamsi per se esset probabilis, falsæ tamen hypothesi superstructa, quoad praxim nihil conficeret? Neque forte judiciorum consuetudo afferatur in medium; judices enim, qui circa singulares casus versantur, non sunt conditores legum, sed executores, adeo ut contra legum præscriptionem nihil valeant. Ubi ergo leges usuram vetant, vel solum lucrum cessans ex præsumtione approbant, judices nec usuræ approbandæ, nec dominii in ea transferendi facultatem habent. Tota ipsorum vis ex vi legum derivanda est; nec alio sensu eorum judicia, atque consuetudo interpretari potest. Quod si qui ex illis alio sensu intelligant, ac judicia pronuncient, nemo errori judicum contrario legibus dominii transfe-

rendi, ac novæ legis condendæ vim attribuet. Neque silentium Principum objiciatur. Ubi enim de distrahendo a suis dominis, & transferendo rerum dominio agitur, non agitur de abolenda mera lege civili, sed de subtrahendo, ac immutando naturali quodammodo dominiorum ordine, ac jure; cui rei exequendæ, ubi exequi potest, merum silentium, ac dissimulatio non sufficit: sicut nec satis est consuetudo, sed alta, ac suprema Principum vis, expressa, ac extraordinaria constitutione exeratur oportet, ut ad inducendam præscriptionem, & usucapionem opus fuit.

§. III.

*Confutatur ratione.*

4. Quid porro si leges, quantumvis usuram probarent, transferre dominium non possent? Ne autem laboremus in controversia verborum, cum translationem dominii in usura hoc loco nominamus, non illam dominii translationem intelligimus injustam, & onerosam, cum obligatione restituendi conjunctam, de qua inter ipsos Scholasticos catholicos quæstio est, utrum nullo etiam legum præsidio in usura fiat (hoc enim adversariis nihil suffragatur) sed illam, quæ justa, & absoluta dominii translatio est, nullumque præsertim restitutionis debitum imponit. In hanc sententiam, quæ ab omni scholastica controversia præscindit, quæque hujus disputationis propria est, dominii translationem in sequentibus appellabimus. Quæcunque igitur vis humanis legibus insit in transferendum rerum dominium, ea proprie contra jus naturale, aut divinum nihil potest, ut id licitum faciat, quod per se iisdem juribus vetatur (quævis enim humanæ vires adversus divinam voluntatem nihil possunt) sed ex ipso naturali, ac divino jure Principibus tributo sese exerens, materiem nunc *alienam*, & divini, vel naturalis juris prohibitioni subjectam, exigente bono publico, certisque conditionibus servatis, quæ iniquitati non faveant, translato dominio, ex aliena propriam efficit, ut eidem prohibitioni amplius non subsit. Hæc itaque legum, ac Principum vis in præscriptione non illud efficit, ut liceat retinere alienum, quod divina, & naturalis lex prohibet; sed id tantum, ut quod ante præscriptionem erat alienum, & furti prohibitione retineri non poterat, post legitimam præscriptionem in possessoris dominium vi legum transeat, ejusque contrectatio furtum amplius non sit. Secus vero esset dicendum, si leges humanæ, in ipsam naturalem, vel divinam legem quidpiam audentes, re, & materie legum immutata, id licitum, & justum dicerent, quod lex naturalis, vel divina illicitum, ac injustum decernit. Ita nulla vi humana fieri potest, ut quovis publico bono proposito, licitum, & justum fiat, quod Deus directe interdicit: & si quidem divina aliqua lex præscriptionem vetuisset, nullius boni publici nomine, nullo civium, & Principum consensu, ac potestate effici posset, ut præscriptione dominia transferrentur. Tum enim esset non solum mutare, ac subtrahere legi divinæ materiem, sed esset ipsam tollere legem divinam, quod nulla humana vi obtineri potest. In re autem præsenti ex certo catholico dogmate, quod luculenter hactenus demonstravimus, explorata est divina lex, quæ vetat usuram, ac uti injustam etiam vetat. Si quæ humanæ leges hanc a Deo perinde vetitam probare, & licitam, ac justam facere nitantur; non divinæ hujusmodi legis materiam aliquo casu mutare, ac divinæ prohibitioni subtrahere, sed ipsam omnino legem irritam, ac inanem vere conantur reddere, ut nihil

Distinctio præmittenda.

Nulla legum vis cōtra jus naturale, ac divinum potest.

Quatenus dominium transferre possit.

Vel non possit.

In usura non potest, & cur

nihil translati dominii nomen suffragetur, quod obtineri nequit, quin ipsa divina lex destruatur, & irrita fiat. Quis ergo hanc iisdem legibus vim in divinæ destructionem tribuat?

5. Neque vero excipias, translato usuræ dominio, usuram ex injusta justam fieri, ut ne in divinæ legis, usuram uti injustam vetantis, prohibitionem peccetur. Primo enim si hac vi legum usura amplius in legem divinam non est, frustra jam usuram vetaret divina lex, & ita divina lex per eam vim humanarum legum destructa, seu irrita esset. Dein, ne quid effugii supersit, potestatem transferendi dominii in usura, quam Deus prohibet, humanis legibus nullam esse demonstrandum est.

Nulla legum vis ad usuræ dominium transferendum.

Neque in hanc rem eo utar argumento, quod de ipso præscriptionis jure, nam in externo solum foro, an etiam in interno valeat, nonnulli dubitarunt, nedum antiqui Canonistæ, atque Theologi, ut apud S. Raymundum videre licet, sed Jurisconsulti etiam peritissimi, inter quos Cujacius illam ex se juri gentium, & æquitati naturali contrariam existimavit, nec non heterodoxi quidam, etiam usurarum patroni, uti est Le Placette, qui tract. de Restitutione l. 5. c. 6. pag. 360. & 361. præscriptionem comparat cum injusta sententia, quæ a restitutione non liberat.

Ad legem 1. digest. de usu cap.

Hoc, inquam, argumento, quod nullum ejusmodi jus in transferendum privatorum bonorum dominium humanis legibus præscriptionem approbantibus tribuit, nequaquam utar; sed dato Principibus jure ejusmodi, uti jam plerique in præscriptione defendunt, ne idem jus in usura locum habere exploratum fiat, observandum est primo, non quodvis etiam magnum bonum publicum fas esse, ut transferre liceat privatorum dominium, sed præterea requiri ita in bonum publicum hanc translationem dominii tendere, ut ne malitiæ, & injustis hominum cupiditatibus faveatur.

Conditiones transferendi dominii, quæ in usura desunt.

Quod enim esset publicum bonum, cui leges faverent, si malitiæ, & iniquitati favor, & fomes præberetur? Hinc etsi in præscriptione leges spectent bonum maxime necessarium, ne incerta semper sint rerum dominia, ac ut litium aliquis sit aliquando finis: id tamen ita spectatur, ut solis bonæ fidei possessoribus, ex titulo aliquo colorato, ut vocant, rem alienam possidentibus faveatur, non autem ceteris, qui vel ex culpa, vel sine bona fide alienum possident. His enim si faverent leges, ne incerta essent dominia, ob finem bonum malo patrocinarentur. Ita in casu subvenire publicis necessitatibus mutuo publicum est bonum, cui favendum quidem est humanis quibusque viis; at non ita ut faveatur malitiæ, & avaritiæ fœneratorum, qui citra usuram, quantumvis divina lege interdictam, in idem bonum conferre nolunt.

6. Deinde in *præscriptione* legitima, ne quis malitiæ, ac fraudi adversus bonum publicum favor præstetur, exigitur præcessisse (1) titulum alias per se legitimum, atque justum, qui bonam fidem pepererit, nec non perseverare bonam (2) fidem,



(1) *Nullo justo titulo praecedente possidentis, ratio juris quarere dominium prohibuit. Ideireo cum etiam usucapio esset, intentio dominii nunquam absumitur.* L. 24. C. *De rei vindic.* & L. 4. D. *De præscript. long. temp. Diutina possessio tantum jure successionis sine justo titulo obtenta, prodesse ad præscriptionem hac sola ratione non potest.* Vide lib. 2. Inst. tit. 6. initio.

(2) Vide L. 4. C. *De usucapione transf.*, ubi exigitur, *ut in omnibus justo titulo possessionis antecessoris justa detentio . . . non interrumpatur ex posteriore forsitan aliena rei scientia, licet ex titulo lucrativo ea cepta est.*

-dem, ita ut cum primum error post præscriptionem detegitur, inveniatur res non jam aliena, sed sua, unde restitutioni obnoxia non fit. Hoc enim casu in publicum bonum præscribere est bonæ fidei, non autem iniquitati favere, quod alia via in boni publici damnum rediret. At in usura, ut vi legum dominium transferatur, nullus prærequiritur legitimus, & justus per se titulus, sed usurarius, qui per se iniquus, & divina lege vetitus est: nec postulatur bona fides: neque enim de his tantummodo agitur, qui bona fide usuram percepere, sed de his etiam, qui a Deo vetitam scientes usuram, sine illa mutuum dare nollent; cumque de transferendo pro his quoque, ne a mutuo retrahantur, usuræ dominio agitur, id agitur, ut dominium pro his transferatur, quibus bona fides non est. Immo cum hac vi legum purgandus credatur ipse fœnebris contractus, ut licitum sit lucrum stipulari, quod nondum in mutuantis dominium transiit; jam eadem vi legum non transferendum est solum usuræ jam bona fide perceptæ dominium, sed dominio ejus nondum translato, scientibus, & volentibus fœnerari dandum est jus exigendi, quod nondum mutuantibus traditum, adhuc alienum est; quæ sane non est veri dominii traductio in bonæ fidei possessores, sed vera alieni exigendi, seu rapiendi licentia in eorum gratiam, qui alienum possidere, suumque facere, auctoritate, ac vi legum percuperent: quod quantum a præscriptionis jure discrepet, nemo non videt.

*Nulla vi legum potest justus dari titulus alieni exigendi contra divinam legem.*

7. Neque dicas vim legum hoc casu justum dare mutuantibus titulum, ut ne alienum, sed suum ex justo titulo debitum exigere possint. Nam cum justum dare titulum exigendi quidpiam, non sit dominium ejus transferre; etsi bonum publicum flagitare potest, ut certis in casibus transferantur dominia in possessorum bonæ fidei gratiam; nunquam tamen requirere poterit, ut justus titulus alieni exigendi detur iis, qui sine ullo per se justo titulo, ac sine bona fide, vellent quod per se alienum est, & divina lege vetatur. Ubi nullus reipsa titulus adest justus, titulus quicunque detur sine re, fictus, non realis est titulus, qui divinæ legi usuram vetanti fraudem faceret. Sane dare titulum sine re, ac sine translatione dominii, nihil est aliud, quam licitam velle exactionem ejus lucri, quod Deus illicitum dicit, ac vetat: quo aperta divinæ legis circumscriptione, non materia legi subducitur translato dominio, ut in præscriptione accidit; sed ipsa lex conficto titulo prorsus evertitur.

*Ipsum bonum publicum hanc dominii translationem in usura non exigit.*

8. Sed ut ad translationem dominii, quæ objecta fuit, redeam, observandum tandem propono, quod vis legum in transferendis privatorum dominiis in solum publicum bonum ab Auctoribus asserta, nihil potest, nisi quantum eidem publico bono necessarium est. Publico autem bono expedit videre, ne qui mutuo indigent, mutuum non inveniant. His autem ut provideatur, satis est usuram illis permittere, qui sine usura mutuum non darent, hoc enim uno illorum necessitati, ac publicæ rei satis consulitur. Usuram autem probare, ac licitam, & justam efficere, ejusque transferre dominium, quod non mutuatariis, sed solis mutuantibus expedit, nullius publici boni ratio postulat: neque enim bonum mutuantium est bonum illud publicum, cui providere oporteat, sed potius contra bonum publicum id est, nisi quis fortassis, non in mutuo, quo juvamur homines, sed in usura, quæ ex iisdem exigitur, bonum publicum collocet. Certe usuram, etiamsi per se non esset mala, publicæ tamen rei non bonam, sed malam esse lib. V. c. 6. ostendemus, adeo ut jure vel ex hoc vetanda

tanda maxime sit, nunquam certe boni publici nomine probari legibus possit. Itaque si nemo usuram affirmare potest necessariam bono publico, uti necessarium est mutuum; nec legibus transferendum est dominium, nisi ubi bono publico necessarium sit: nemo dominii in usura transferendi potestatem vindicare legibus potest.

9. Neque reponas id necesse, ut indigentibus mutuum detur, quod negarent homines, si usura non liceret. Nam apud Hebræos, & apud alias etiam nationes, de quibus lib. V. c. 3. & lib. VI. c. 1. dicemus, usura non licebat; nec tamen tanta publici necessitas fuit, propterea quod alii ex charitate mutuum gratuitum darent, alii vero, lege contemta, mutuum sub usuris crederent. Ubi autem quidam humanarum legum metu, ac pœnis a mutuo abducerentur, satis est habitum pœnas, & prohibitionem civilem tollere, ut ne vi legum transferendum esset in ipsorum gratiam usuræ dominium, quia aliter publico bono prospicere nollent. Hic profecto tantus hominum usuræ inhiantium favor bono publico nec utilis, nec necessarius est. Nulla quidem major esset necessitas publica, quam si rebelles, ac seditiosi adversus patriam impetum facientes, ubique cædes, ac vastitatem certissimam minarentur, nisi certa pecuniæ summa alias indebita sibi solveretur. Ad tantum malum avertendum liceret quidem Principi hanc solutionem permittere, quæ publicæ rei necessaria est: dominium autem ejus pecuniæ in seditiosos traducere, cum bono publico necessarium non sit, solique malitiæ faveat, nequaquam liceret. Quidni idem dicamus in mutuo, in quo si ex necessitate dominium usuræ transferendum sit, ibi maxime esset transferendum, ubi maxima mutui necessitas est, nimirum in mutuo (1) pauperibus, ac miserrimis tradito; ita ut ex his usuram exigere, vi legum usuræ dominium transferentium deberet maxime licere: quod tamen vel ipsi usurarum patroni uno ore condemnant. Commentitia igitur, & nulla est hæc legum humanarum vis, quæ in dominium usuræ transferendum ex bono publico colligitur.

## §. IV.

*Confutatur auctoritate sacra.*

10. Sed quid ratiocinando inanissimam objectionem pluribus exagito, ubi de jure divino dogmatice mihi agendum sumsi? Certe Patrum traditio hanc humanarum legum vim in usuræ materie plane ignoravit, seu potius rejecit, cum humanas leges usuram probantes nihili faciens, usuras legibus præscriptas ex divina utique lege condemnavit. Niceni Patres in celebri canone *centesimam*, & *hemiolam* usuras, quas Constantini lex præfixerat, vetuerunt divinæ legis caussa, cujus *oblitos* ipsos Clericos dolent: divinæ enim legis memoriam humanæ leges excluserant. S. Augustinus epist. 153. n. 25. de usuris utique, *etiam quas ipsæ leges, & judices reddi jubent*, loquitur, & nihilominus eas non excusat, sed damnat. Eodem spectant aliorum Patrum testimonia, qui *centesimatores*, aut *centesimam* reprobant. *Centesimatorum* men-

**Traditio Patrum, & Romana ecclesia hanc vim humanarum legum reprobat.**

(1) Leo sapiens, *propter paupertatem*, idest propter pauperum necessitates, in quos fœneratores, lucri spe lege patris sublata, *difficiles, atque immites erant*, usuras permisit Nov. 83.; quæ si usuræ dominium transtulisset, ut quidam putant, usura e pauperibus expressa vi illarum legum probata fuisset.

mentionem fecit S. Basilius in Psal. 14., quibus si (1) *decimatores* adjecit, eos Græca locutione, & computatione *centesimatoribus* respondere nihil dubito. S. Ambrosius in libro de Tobia centesimam pluries exprimit, dum usuram, quæ solvebatur, reprehendit: unde inter cetera n. 42. *Veniunt calendæ: parit sors centesimam*. Similiter S. Joannes Chrysostomus serm. 1. in Genesim n. 4. *Si homini fœneraris, centesimam accipis*; & S. Petrus Chrysologus serm. 25. de terrenorum cura despicienda: *Usura*

(1) Δεκατηλόγος Græce dicti videntur ab usura, quæ a Græcis dicitur ἐπιδέκατος τόκος. Hujus fit mentio in duobus locis Aristotelis, Rethor. l. 3. c. 10., & OEconomic. l. 2., quæ accurate illustravit Salmasius *de Modo usur.* p. 20. & 41. Cumque hæc usura ab eo Philosopho opponatur usuræ maximæ, cognoscitur fuisse minima usurarum Græcarum; quæ in mensem quidem soluta, dicebatur ἐπὶ δραχμῇ τόκος, idest unum drachma in minam, seu in drachmas centum, & respondebat Latinorum *centesima*: at in annum computata, licet redderet drachmas duodecim, pro decima tamen totius sortis, seu unius minę parte largius sumta, ἐπιδέκατος τόκος nuncupabatur. Quam in rem sciendum est, tres usuras apud antiquos Græcos celebriores fuisse, quæ aliter appellabantur computatæ in menses singulos, aliter in annum integrum computatæ. Licet vero usuræ annuæ reipsa constarent ex omnibus menstruis collective sumtis; menstruæ tamen videbantur aliquantulum excedere, eo quod usuræ annuæ appellatio, non stricte ex ipsa solutione menstrua, sed large a tertia, sexta, vel decima totius sortis, seu minæ parte duceretur. Prima usura annua dicebatur ἐπίτριτος, quod tertiam totius sortis partem significat; solvebatur autem tribus drachmis in menses singulos (unde pro hac menstrua solutione alii de hac usura scribebant ἐπὶ τρισὶ δραχμῇ) quæ in annum computatæ, tertiam totius minæ partem aliquantulum superant. Secunda usura pariter annua nominabatur ἔφεκτος τόκος, quod significat partem sextam: & solvebatur novem obolis in singulos menses (unde apud multos legitur ἐτί ἐννέα οβολοῖς τύκος) idest uno drachmate cum dimidio, quæ in annum collecta, sextam totius partem aliquid excedunt. Postrema autem, ac minima usura annua, ἐπιδέκατος dicta, quod significat partem decimam, solvebatur uno drachmate in mensem, ac proinde aliter appellata ἐπὶ δραχμῇ τόκος: quorum drachmatum menstruorum summa decimam totius partem aliquanto præstabat. At ita late appellare moserat. Legatur idem Salmasius in memorato opere c. 2. Jam diu vero ante S. Basilium, cum una centesima, per Romanas leges etiam apud Græcos liceret, sola hæc postrema, ἐπιδέκατος τοκος appellata, ac Latinorum *centesima* plane respondens, erat in usu; ac proinde ἑκατοστολόγυς, idest *centesimatores* apud Basilium, sic nuncupati in Latinorum locutionem a Latina *centesima*, quæ a Græcis hujus temporis dicta fuit ἑκατοστὴ, iidem plane sunt, ac δεκατηλόγος, seu *decimatores*, quæ nuncupatio ex antiqua, ac propria Græcorum locutione descendit.

*Usura mundi centum ad unum*. Mitto alia aliorum Patrum testimonia, quæ eandem usuram legitimam exprimunt, atque condemnant. Hi ergo omnes legales usuras habuere illicitas. Idem est censendum de ceteris Patribus, etsi usuras legales expresse non memorent. Cum nimirum insectarentur usuras maxime usitatas, atque frequentes, illas utique insectabantur, quas ad legum normam vulgus exigebat. Qui enim supra legum præscriptionem exigerent aliquid, rari admodum erant, eo quod ipsis legibus puniebantur. Sic licet nunc levior sit annuorum redditnum modus, quam olim usurarum; rari tamen prorsus eos limites excedunt, quod legum pœnas metuant. Plerique ut lucrum satis tute percipiant, legitimo contenti sunt. Patrum textus, qui usitatum fœnus designant, centesimam, ut paullo ante audivimus, uti frequentem commemorant. Igitur universorum Patrum traditio usitatas usuras damnans, legales damnavit; ac proinde eam vim legum, quæ usurarum dominium transferret, easdemque licitas faceret, ignoravit. Si autem hanc vim legum ignoravit traditio, quæ Dei verbum est; Deus ipse, qui in traditione loquitur, eandem legum vim ignoravit; quod nulla vere fit, nec esse possit. Inane ergo novissimorum hominum commentum est, quod Patrum traditioni, ac tradito Dei verbo apertissime opponitur. Neque forte centesimam jure reprobatam dicas, quod nimia esset, ac duodecim in centum quotannis redderet. Nam præterquamquod & aliæ leviores usuræ eo quoque tempore a nonnullis percipiebantur, & besses, & semisses, & quincunces, & trientales, de quibus & in antiquis legibus, & penes Auctores fit mentio: nulla autem distinctione omnes a Patribus condemnantur; præter hæc, inquam, si qua vis legum esset in transferendo usurarum dominio, ea in quibusvis usuris exerenda esset, quas ipsæ leges pro conditione temporum approbant. Quod uno loco, vel tempore nimium est, alio loco, vel tempore satis (1) moderatum habetur; uti vel nunc aliis in locis alia atque alia est annorum redditutum taxatio, nec quod hic nimium habetur, & legibus interdicitur, habetur pariter nimium in aliis provinciis, ubi pro diversa conditione negotiorum, vel emtionum, leges *amplius* præfiniunt. Totum a legibus pendet; harum præfinitionem quod excedit, nimium est; quod autem earum modum servat, legitimum, ac moderatum habetur. In præscriptione cum nullum modum, quantitatem nullam leges definiant, nihil est, quantumvis magnum, quod non præscribatur. Quidquid ergo in usuris leges, pro locorum, vel temporum varietate approbant, moderatum haberi debet: & si quidem ea legum vis fit, ut dominium transferat, nihil efficit quantitas fœnoris, si in eam legum vis exeratur. Si ergo nullam ejusmodi vim in Romanis legibus agnoverunt Patres, hoc non a quantitate usurarum, sed ab ipsa legum impotentia desumendum est: quod nulla ejusmodi vis iisdem competat. Hinc non novo quidem jure, sed ex certa Patrum traditione Viennense Concilium usuras damnavit, quæ statutis civitatum probatæ, legitimę habebantur; & similiter Concilia, atque Pontifices, inter quos Gregorius XIII. in Apostolicis literis.

---

(1) Sic realium censuum redditus, decem, vel duodecim in centum, qui Martini V. constitutione probatus legitur, nimius olim non habebatur, propterea quod justus ex se, modum eorum locorum, ac temporum nequaquam excederet.

Hoc documentum ecetur in fine operis.

teris ad Bavarię Ducem diei 27. Maii. an. 1581. usurarium lucrum, quantumvis moderatum, de quo fuerat interrogatus, *per nullam legem humanam excusari posse* definivit. Hac de caussa decreto Congregationis S. Officii die 11. Martii an. 1704. damnati duo sequentes libri: *Consuetudines Angliæ de concedenda ad usum pecunia* Londini 1609., & *Factum, où propositions, qui se forment aujourd' hui sur la matière de l' usure, sur les quelles il est à propos de faire une Consultation &c. jouxte la copie imprimée à Ville sur-Illòn en 1680.*, in quibus tota purgandę usurę vis legibus humanis populorum consensu firmatis, & in bonum publicum editis tribuitur. Nullam ergo humanis legibus vim ad transferendum usurę dominium, abstergendamque ipsius malitiam tribuit Ecclesia; immo nullam inesse semper presumsit, cum ex iisdem legibus nullam usurarum excusationem admisit.

## §. V.

*Confutatur auctoritate ipsorum Principum, nec non testimonio insignium patronorum usuræ.*

Ipsi Principes hunc vim in suis legibus non viderunt.

(1) Videbimus de Romanis ipsis Ethnicis legibus dicemus lib. 5. c. 3. §. 1.

11. QUid quod ipsi Principes (1) tantum suis legibus jus non arrogarunt, quantum isti homines tributum vellent? Cum divinę legis usuram vetantis meminerunt, se nihil posse adversus illam confessi sunt, ullo bono publico; nec nisi ex duritie sibi adhibendam putarunt tolerantiam quandam minoris mali, ad majus malum evitandum. Ita Leo sapiens usuras divina lege vetitas, & a Patre Basilio propterea abrogatas, hac una ratione sibi iterum revocandas, & permittendas dixit Novella 83., ut ne tamen se eas idcirco licitas, ac justas facere posse crederet. Repetenda hoc loco ejus verba, quę recitavimus lib. II. c. 7. §. 6. n. 43. Idipsum de superioribus plerisque Imperatoribus testatur etiam Basilius Imperator lege ibidem recitata n.44: ubi permissionem tantum *ob duritiem* hominum in iisdem legibus agnoscit, quas eatenus excusari posse confessus est Augustinus, quatenus *in eo populo, quem regunt, minoribus malefactis, ne majora committerentur, dederunt licentiam ... Sed illi homines*, addit, *qui ex iisdem legibus agunt, lege inculpata, quomodo inculpati queant esse, non video*. Et post pauca affirmare non dubitat leges hujusmodi *multa concedere, atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur, & recte*. Quibus in disputatione quidem de usura mirum in modum respondens S. Joannes Chrysostomus hom. 56. al 57. in Matth. n. 5. *Nec mihi*, inquit, *externas leges* (idest humanas a divina lege distinctas) *objicias. Publicanus enim legem illam exteriorem servat, & tamen dat pœnas*. Justiniani tempore satis vulgata hęc sententia fuit: unde ipsi homines, qui *Dei*, idest divinę legis, *memoriam gerebant*, in ejusdem observantiam recusabant tutelam, ne Imperialium vi legum cogerentur ad pupillares pecunias (si alia via non suppeteret) in fœnore collocandas; quo sane facto Imperiales leges usuram apud Deum nequaquam purgare judicarunt: nec tamen Imperator hanc vim iisdem legibus tribuere ausus, de errore illos commonuit; sed ipsorum potius gratia eas leges abrogavit uti injustas, quę fœnus divina lege illicitum non permitterent solum volentibus, sed nolentibus etiam precciperent.

Lib. 1. de Liber. Arbit. c. 5. n. 12.

num. 13.

Sup. lib. 2. cap. 7. §. 5. nu. 29.

Neque Schismatici.

12. Non alia unquam fuit catholicorum de usurę legibus doctrina: cui & Grecos ipsos Schismaticos concinentes video, ex quibus Nicolaus Cabasilas in oratione adversus usurarios, humanarum legum excusationem vulgo objectam his verbis proposuit, ac rejecit: *Atqui*

Tom. 26. Biblioth. PP. pag. 171.

*qui lex Imperatoria, occurrit ille, hac via lucrum consectari permisit, quod nunquam fecisset, si in eo peccatum inesset. Quomodo non stultum est sic ratiocinari, homines istud permiserunt; & non cogitare potius Deum hoc fugere jussisse? Et non esse vitiosum hoc lucri genus ex humana lege conjicere, & eum Deus hoc ipso, quod prohibuit, vitiosissimum esse testetur, nihilo tamen magis vitiosum arbitrari? Quanto melius judicares, juxta Dei judicium ferens sententiam, quam legibus hominum assentiens? Mihi vero & comparare quidquam legi divinæ, extrema videtur audacia... Cur certe non pudet, eum scelestis Pharisæis, mandatum Dei solvere propter traditionem hominum?* Sola antiquorum Patrum traditio hanc egregiam doctrinam, cum Latinis concinentem, ex Schismatico exprimere potuit.

Quin nec insignes usurarum patroni.

12. Sed quid appello ad Schismaticos, si vel ipsi præcipui usurarum patroni hac in re non dissentiunt? Contendunt quidem illi licite nos sequi Principum leges, quæ usuras præfiniunt; at ea tantum in hypothesi id contendunt, quod nulla divina lex usuram prohibeat. Si vero hæc divina lex certa ponatur, nihil posse humanas leges ultro fatentur. Testem dabo Claudium Salmasium, qui humanarum legum auctoritatem omnium maxime propugnat, & evehit. Is enim cum in opere de Fœnore Trapezitico vindicandas sibi sumsisset tanquam honestas, & licitas quaslibet usuras, quas magistratus, & civiles leges præscribunt, & taxant, ut nihil contra possint Ecclesiasticæ sanctiones, quæ omnes usuras prohibent: hoc genus vindicandum valere ait, si modo usura non *sit res jure divino vetita, & illicita*: *quo casu*, subdit, *non impune debet esse magistratui licentiam alieni danti rei, quæ legi divinæ contraria est*. Et similiter l. 1. p. 98. *Quod si constaret ita prohibitas esse a Christo usuras; tum ego contenderem nulli magistratui, aut Principi Christiano licitum esse, quod Christus ita vetuisset, permittere*. Id si intelligeretur de permissione tolerantiæ minoris mali ad majus malum præcavendum, illicitum quandoque dici non posset, ut idem Salmasius lib. 2. pag. 215. concedit licere: *In rebus, quæ in reprehensione sunt, quasque lex moralis non approbat, permissum tamen est magistratui eas permittere ad majora mala evitanda, ut non propterea tamen ex permissione magistratus bona conscientia cuilibet liceat eas usurpare, & profiteri*. At de permissione approbationis ea verba Salmasius intelligit, qua scilicet licitum præferatur, quod jure divino non licet: unde idcirco tantum usuras a magistratibus taxatas defendit licitas, quod nullo divino jure vetitas putet. *Tum vero*, inquit lib. 2. pag. 228., *nullum est dubium, si constaret usuras licitas esse jure divino, quin Magistratus non possit eas licitas facere*. In hanc eandem sententiam jus esse non negat ipsi potestati Ecclesiasticæ usuras etiam humanis legibus permissas prohibere, si divino jure illicitæ sint: *Si enim*, inquit, *certo constaret lege divina expresse esse vetitas, tum nemini etiam dubium esset, quin a Synodis canones condi possent, usuram exigi vetantes, quibus omnes, qui ad Ecclesiam pertinent, tenerentur*. Et in libro de Usuris c. 21. pag. 647. *Si probibitas esse a Christo constaret in novo Testamento, tum sane ad eos spectare deberet earundem probibitio, qui in foro interno jurisdictionem exercent*; quatenus scilicet hæc materies de jure divino interdicta, liberæ civilis jurisdictioni potestati permissa amplius non est, ut tribus allatis testimoniis affirmavit. Cum igitur usuram divino jure illicitam, ac interdictam constet, uti ex constitutis superiore libro manifestissimum fit, sequitur, etiam ipso Salmasio fatente, nullius Principis, ac Magistra-

In Præfatione.

In Præfat. de Fœnor. Trapezit.

tus vi licitam posse fieri: eumque illicita, & interdicta sit ex divino jure tanquam injusta, ut hoc libro ostensum est, nulla item legum vi justa effici potest. Qui ergo hanc vim humanis legibus velint tribuere, hi contra omnem rationem, contra Patrum, ac Traditionis, contra Conciliorum, Pontificum, ac totius Ecclesiæ fidem, contra ipsorum Principum Christianorum mentem, contra Schismaticorum, Hæreticorum, ac pertinacissimorum quoque usuræ defensorum sententiam nituntur: adeo absurda res est, quæ nemini intelligenti probari potest.

## CAP. V.

*Exponitur, & rejicitur quædam objectio, qua usura, si humanis legibus approbetur, etsi adhuc concedatur illicita, a restitutionis tamen onere solvitur.*

1. NOn omittam hoc loco, postquam de humanarum legum vi actum est, proferre in medium objectionem, quæ menti occurrere potest, nimirum, usuram quidem omnem divina lege vetitam, nulla humana facultate posse licitam fieri: at cum Deus humano juri, ac legibus subjecerit jus in bona externa, ita ut jure possideatur, quidquid humanis legibus percipitur, & possidetur; sicubi usuræ, vel usurarii quidam contractus, legibus, aut judiciis probarentur, ibi hoc lucrum, etsi contra divinam legem illicite perceptum, possideretur tamen juste, ita ut restituendum non esset. Id quanquam primo adspectu minus videatur offendere, quippe quod usuram fatetur illicitam; quatenus tamen eam legum, & judiciorum præsidio a restitutione eximit, & auctoritati, & rationi adversatur. Auctoritati quidem, cum usuras, etiamsi humanis legibus approbatas, vel permissas, semper tamen restituendas omnes & Patres, & Pontifices, & Synodi, & Theologi tradiderint; adeo ut ii ipsi, qui eas a restitutione solvere nisi sunt, non aliter id se posse facere crediderint, nisi eas a crimine liberarent. Novum prorsus, & inauditum est, usuras, etiam permissas humanis legibus, culpæ damnare, & a restitutione subtrahere. Ipsa doctrinę novitas, si a quopiam induceretur, in re pręsertim adeo familiari, & frequenti, evidens falsitatis argumentum est.

2. Ratione autem sic argumentor. Usura, quę divino pręcepto vetatur, non tanquam charitati tantum, sed tanquam justitię, quę commutativa appellari solet, contraria, eodem divino jure interdicitur, ut hactenus demonstratum fuit. Si lex humana usuræ dominium transferret, & hac ratione purgans injustitiam usurę, materiam hujus vitii a divina lege subduceret, ut ii putant, quos superiori capite impugnavimus, facile intelligeretur, cur ea vi legum perciperetur juste, & restituenda amplius non esset. At si semel admittendum sit, usuram humanarum legum vi non purgari ab injustitię crimine; sicut non subtrahitur a divinæ legis prohibitione, quę illam ut injustam vetat, ita nemo poterit intelligere, quomodo quod injustum est, & injustum divina lege interdicitur, humana lege hanc injustitiam nequaquam diluente, restituendum non sit. Restituendum quidem non erit in foro externo, in quo leges ad restitutionem non cogant: at in conscientię foro erit restituendum, ut alia multa, quę cum sint injusta, debent restitui, licet in foro externo actio, aut probatio non suppetat. Hinc Augustinus in epist. 153. al. 54. ad Macedonium, de usuris scripsit: *Vellem restituerentur* (ut scilicet pręcepit divinum jus) *sed non est, quo judice repetantur*. Vel ergo purganda est

usuræ

usurę injustitia humanarum legum præsidio; vel si hoc non possit, qui injustitiam divini juris fatetur, etiam restituendi onus eodem jure impositum fateatur oportet.

3. Enimvero contra divinum, immo & naturale jus esse potest, pensionem domus locatę, aut debiti solutionem a pauperrimo durius exigere. Cum tamen hoc vetitum non sit ut injustum, sed ut charitati contrarium; si vi legum, ac judiciorum exigatur, crimen erit, non tamen injustitia; & hac de caussa restitutionis onus nequaquam urgebit. At si quę divino, aut naturali jure vetantur ut injusta, nec ulla humanarum legum vis peccatum, & injustitiam purget, dominium jure, ac rite transferendo; etsi forte exigantur legum, ac judicum favore, restituenda nihilominus erunt. Sive leges & judices faveant per errorem, sive politico consilio, sive alia quacunque ex caussa; si injustitiam, & crimen diluere nequeant, nihil quoad restitutionis exemtionem conficient. Secus sicubi furta quædam ex legibus, & judicibus patrocinium haberent, restituenda non essent: quod vel cogitare est omnino nefas. Num ubi negatur actio contra deceptionem citra dimidium justi pretii, restituendi obligatio non est ei, qui citra dimidium decepit?

4. Opponi primo potest Augustinus, qui in laudata epistola ad Macedonium n. 25., advocatum, qui caussam injustam vicit, ad reddendam quidem mercedem clienti, non autem ad restitutionem læso faciendam cogit. Sed ibi restitutionem mercedis, tanquam medium restitutionis procurandæ, & a cliente faciendæ proponitur, ita ut præscindatur a casu, quo cliens mercede accepta restituere nolit. Quis vero iniquum advocatum, vel judicem, si cliens non restituat, vel restituendo non sit, a restitutione audeat eximere; cum alter iniquæ caussæ sciens patrocinatus est, alter vero iniquam sententiam tulit? Num (1) legum favor in his comminisci potest? Nonne ipsæ leges, quæ caussam damni plectunt, si fraus detegeretur, advocatum, & judicem condemnarent? Hisce principiis, non minus naturalis, quam civilis juris instructi S. Thomas, S. Raymundus, S. Antoninus, & ceteri omnes Theologi, etiam benigniores, iniquos id genus advocatos, & judices restitutioni subjecerunt.

(1) Vide L. 2. Cod. *De Pœna judicis qui male judicavit*.

5. Opponi possunt secundo antiquæ Imperiorum usurpationes, quæ ad furtum, seu rapinam pertinent; nec tamen ad restitutionem coacti inveniuntur a Patribus, qui injuste occuparunt, nec milites, qui bello injusto spolia perceperunt, nec illi, qui in prædiorum alienorum possessionem jure belli ejus generis injusti missi fuere. At in primis hoc negativum argumentum tantum esse nequit, ut evidentissimam, quam exposuimus, rationem evertat. Dein auctoritates Patrum, quæ injusta bella semper injustitiæ accusarunt, contrarium satis evincunt. Plures etiam antiqui contra ocupatores injusti belli expresse declamarunt: & inter Theologos communis doctrina est, quæ injustos occupatores restitutioni obnoxios prædicat. Neque opus est, quod in Patribus singuli casus legantur. Quot enim alii casus in ipsis desunt? Satis est, si principia apud eosdem manifesta sint, ex quibus Theologi casus singulares solverunt, quos etiam Sancti Patres suo ævo, cum consilium quæreretur, pariter solvisse, ex ipsorum principiis dubitare non licet. Adde quod alia nonnunquam est ratio Principum, quibus belli injustitia nota esse potest, ac debet, alia militum, ac subditorum, ad quos hoc judicium non pertinet: & similiter alia identidem ratio est occupantium, alia successorum; nam cursu temporis multa possunt incidere in

Vide etiam Hugonem Grotium de Jure belli, & pacis l. 1. c. 10. nu. 4. & seqq.

regnorum mutatione, & quod primo fuit injuste occupatum, restitui deinceps non possit, vel etiam non debeat; quæ tamen omnia cum a nostro proposito nimium absint, nobis tractanda non sunt.

6. Exempla tandem (si forte opponantur) Hæreticorum, vel Schismaticorum, qui etsi in hæresi, vel schismate Ecclesiastica bona injuste occupassent, non tamen ad restitutionem adacti fuerunt, cum ad fidem, ac unitatem catholicam reverterentur, in re præsenti nihil probant. Cum enim omnia Ecclesiastica bona sint in ipsius Ecclesiæ jure; potuit Ecclesia, fidei, ac unitatis gratia, eadem bona ipsis occupatoribus ad suum gremium redeuntibus liberaliter concedere, ac restitutionem condonare; ita ut juste illi inciperent possidere, non usurpatione antiqua, quæ in legitimam possessionem legum præsidio transierit, sed veluti donatione nova, qua omnis restitutio Ecclesiæ jure remissa fuit. Nihil ergo hæc, aut alia id genus conferunt, ut legum, ac judiciorum præsidio usuræ a restitutione solvantur, quas & Patres, & Ecclesiam, & omnes Scriptores catholicos restitutioni subjecisse manifestum est, propterea quod eas injustas certissime noverint.

7. Neque dicas Patres harum restitutionem præcepisse relate ad pauperes, quibus ex naturali jure debetur necessarium. Nam non ex necessitate, qua pauperes opprimuntur, restitutio præcipitur, si justum sit quod pauperes solvunt; secus præcipi debuisset etiam restitutio pensionis locatæ domus, aut debiti importune a pauperibus exacti: quod tamen nemo apud Patres inveniet. Sic nemo etiam imponet restitutionem lucri cessantis, aut damni emergentis, quod a paupere in mutuo exactum sit a Monte Pietatis &c. Igitur si usuræ restitutio imposita fuit a Patribus, ex injustitia tantum ipsius usuræ præcepta fuit; quæ injustitia cum non minus pauperem, quam divitem respiciat, non minus pauperibus, quam divitibus usura restituenda est, ut pluribus dicemus libro sequenti. Ipsa Ecclesia, quæ veteris quidem traditionis & interpres, & custos, sine ulla distinctione ad restitutionem cogit omnis usuræ, a quocunque perceptæ, idipsum evincit.

8. Neque reponas Ecclesiastica id genus monumenta ejus esse temporis, quo ipsæ leges civiles omnem usuram generatim condemnant. Nam etsi verum est civiles posterioris ævi leges plerunque fœnus omne reprobare, non tamen restitutionis præcipiendę ratio in has leges rejecta potissimum fuit; unde plura id temporis documenta unum divinum jus allegant. Quid quod Concilium Viennense (ut alia omittam) restitutionem etiam pręscribit ejus usurę, quę nonnullarum civitatum statutis probabantur? Neque moveat, quod in eo Concilii decreto memorentur etiam leges humanæ fœnori contrariæ: hę enim leges ad alias regiones, vel fortassis ad alia etiam tempora pertinebant, nec ligare certe poterant civitates illas liberas; quę non alienis, sed propriis statutis regebantur. Vel hoc unum conciliare decretum, si bene consideretur, peremptorium est. Cum igitur nemo injustitiam usuræ humanis legibus purgare queat, neque poterit ab ejus restitutione vi earundem legum eximere. Satis hęc contra propositam objectionem, & simul de usuræ injustitia, quam ex divino jure monstravimus, satis dictum esto.

# LIBER QUARTUS.

## *De usura jure Divino vetita, etiamsi a divitibus, aut negotiatoribus exacta.*

### CAPUT I.

*Quid hoc libro in quaestionem veniat, adversariorumque, qui confutandi erunt, systema exponitur.*

1. Enio jam ad illud erroris caput, quod in hac materia potissimum est, & ab omnibus usurarum patronis majori nisu inculcatur, cum usuram quidem a pauperibus exactam damnantes, eam solam, quae a divitibus, praesertim negotiatoribus, ad legum normam percipitur, licitam, ac justam contendunt. Id autem, quod a ratione satis congruum videri potest, si ex certo catholico dogmate falsum probetur, divinumque in eo jus exploratum statuatur, nullus alius erit uspiam usurae locus, effugium nullum. *Divinum*, inquam, *jus*, & *ex catholico dogmate*: nam quidquid de jure naturali ex ratione fit, de quo duobus sequentibus libris agemus; id ad divinum jus, & catholicum dogma statuendum necessarium non est, ut saepe monuimus.

2. Porro circa hoc divinum jus, adversus illos, qui in nova lege confirmatum negant antiquum mutui gratuiti praeceptum, & prohibitionem usurae, superior disputatio, qua veteris Testamenti legem in hac parte a Christo confirmatam luculenter demonstrasse nobis videmur, ad omnem difficultatem hoc quoque in articulo abigendam satis superque est. Cum enim illi concedant, veterem usurae prohibitionem ad omnes Hebraeos fratres, etiam ditiores, quibus mutuum crederetur, jure divino fuisse productam; ideo autem negent hanc confirmatam in Testamento novo, quia jus illud divites spectans, mere politicum, ac Reipublicae Hebraicae peculiare, a Christo destructum comminiscuntur; jam quae ex superioribus libris, ac praesertim ex secundo, probant idem divinum jus, quod Hebraeos ligabat, a Christo non abolitum, sed confirmatum, atque perfectum fuisse, eadem de divitibus, ac mercatoribus confirmatum, atque perfectum probant. Itaque ad hos heterodoxos usurae patronos, qui & plures, & potiores sunt, refellendos, plura non desiderabuntur ab iis, quibus superius dicta, ad confirmationem veteris legis statuendam ex Scripturis, ac traditione, evidenter demonstrata judicentur.

3. Nova tamen, ac peculiari disputatione opus est adversus alterum heterodoxorum genus, qui cum evidenti Scripturarum, ac traditionis demonstrationi resisti non posse videant, confirmatumque propterea agnoscant in Evangelio, quidquid in veteri lege circa usuram vetitum fuit; usuram a ditioribus exactam idcirco a divina prohibitione nituntur subtrahere, quod divites, praesertim mercatores, ea prohibitione nec in veteri, nec in novo Testamento comprehensos dictitent. In hanc rem statuendam, omne utriusque Testamen-

menti testimonium usuram prohibens, de solis pauperibus intelligendum contendunt; ac in eandem sententiam traditionis, & Patrum loca interpretantes, solis Scholasticis vitio dant, quod Aristotelicis ratiocinationibus abrepti, ab antiquorum doctrina declinaverint, novamque produxerint, quæ jam a sex circiter seculis totam Ecclesiam occupat, ipsosque Pontifices, Episcopos, atque Concilia horum temporum in eandem novitatem abripuerit: *Si ex testimoniis Scripturæ*, inquit Auctor tractatus brevis in præfatione num. 30., *velimus colligere, quid per leges Dei de usura prohibeatur, videbimus ibi vetari lucrum ex mutuo, quod pauperibus, & indigentibus ex charitate dandum erat, & in eo sita est usura a Deo damnata ...... Veteres Patres eandem usuræ ideam nobis imprimunt per scripta sua*. Et pag. 150. *Prohibuit Deus ex mutuo, quod pauperibus, & indigentibus ex charitate dandum erat, lucrum captare; non prohibuit Deus nobis Christianis ex pecunia mercatori data ad negotiandum, & majora lucra acquirenda, quotannis aliquod in centum exigere. Ergo hoc licitum, illud vero illicitum est. Patent hæc ex dictis parte prima*. Porro Auctor in eo laborat per universum opus, ut usuram, quæ a pauperibus, non vero quæ a divitibus exigitur, vetitam probet. Similia habent & ceteri ejusdem generis libri, quos in eandem sententiam a Jansenistis in Hollandia editos in præfatione memoravimus.

Tract. Brevis part. 2.

4. Neque tamen prætermittendus est Auctor operis Gallice scripti cum titulo: *Traitè des Prets de commerce*, cujus sententia in Bibliotheca Gallica Amstelodami edita magnis laudibus effertur tom. 27. part. 1. a. 5., & tom. 28. part. 2. a. 10. Hic autem Auctor quæstionem de usura ratione potissimum decidendam ratus, adeo ut ex eadem ratione Scripturam, & traditionem interpretandas contendat, postquam prima operis parte damnavit omnem usuram a pauperibus exactam, quam & ratione, & Scriptura, & traditione damnatam probat, usuram a ditioribus, ac mercatoribus commercii mutuo quæsitam, nulla sicut ratione, ita nec Scriptura, nec traditione damnatam defendere studet part. 2., cui hunc præfixit titulum: *De l' usure a l' egard des riches*. Cum vero ex hac disputandi methodo illud Auctori objectum fuisset, quod Scripturam, & traditionem a regulamorum ablegasset, ut rationi locum daret; in literis adversario redditis, de hac criminatione vehementer conquestus, ex disputatis adversus usuram in pauperes statuit, quantum Scripturæ, ac traditioni deferat, quæ cum hanc solam, ut ipse loquitur, usuram condemnent, si ipse fœnus a ditioribus exactum probavit a ratione justum, ac licitum, nihil se contra Scripturam, aut traditionem probasse jactitat. Longum in hanc rem earundem literarum testimonium editur ab Auctore Epistolarum Theologicarum adversus tractatum *des Prets de commerce* epist. 5. n. 8. pag. 36. Dein vero adversarios incitat, ut adversus usuram a divitibus, ac mercatoribus exactam aliquod proferant; & tum sese manus daturum in iisdem literis pollicetur, ut idem Auctor refert epist. 8. n. 4. p. 58. *Ur' est reduit a demander*, (ipsa sunt literarum ejus verba) *une seule auctorité precise de l' Ecriture ou de la Tradition, sous promesse, que des qu' on l' auroit produite, son ecrit demeuroit enseveli pour toujours*. Fatetur porro in Scriptura, ac Patribus *usura* nomine omne lucrum appellari, quod supra sortem mutuo traditam percipitur: at usuram ab usuræ vitio distinguens, solam usuram a pauperibus exactam in ipsis Scripturis,

Traitè p. 7.

ac

ac traditione vitio dari contendit. *L' usure a l' egard des pavures & de ceux qû elle tend a appauurir .... seule, que l' est la Ecriture, les Peres, & toute l' antiquité ayent jamais connue ... la loi quì defend l' usure .... n' ayant ete faite que pour empeeber la ruine ou l' oppression du proebain.* Tum Scholasticos omnis perturbationis, ac novitatis accusans, *depuis qu' on a plus consulte Aristote, que l' Ecriture & la Tradition*, idem vitium in Episcopos, atque Pontifices traducere non veretur hoc Sectarii specioso nomine, *que les Eveques & les Papes ..... etojent imbus des principes de l' Ecole*, & quod iidem in Conciliis per hæc tempora *n' ont consultè ni l' Ecriture ni lo Tradition*. Ita non Scholasticos solum, sed Episcopos, Pontifices, Concilia (1) etiam Generalia a XIII. seculo habita, quæ omnem cum omnibus usuram aperte condemnant, una eademque censura complectitur, quod maximum adversus ejusmodi sententiam præjudicium est, ut cap. 5. pluribus ostendam.

In fragmento apud Auctorem *Lettres Theologiques*, epist. 5. num. 1. p. 16.

Ibid.

Traitè des Prets de cômerce p. 122

5. Itaque ad horum hominum errorem dogmatice revincendum, Scriptura, Traditio, ac Patres in primis consulendi erunt, cumque ex his evidenter ostendero, divinam legem, quæ usuram vetat, nulla exceptione prohibere, ne quis usuram ab ullo, sive paupere, sive divite, sive mercatore percipiat; tum Scholasticos, una cum Pontificibus, Episcopis, atque Conciliis posteriorum temporum a novitatis censura vindicabo, argumentumque exinde invictissimum adversus usurarum patronos retorquebo.

## CAP. II.

*Argumenta ex veteri Testamento, quibus usuram ab omnibus, etiam divitibus, exactam omnino prohiberi monstratur.*

### §. I.

*Adversariorum argumentatio ex veteri Testamento proponitur.*

1. UT solam usuram, quæ a pauperibus exigitur, veteri lege Hebræis fuisse prohibitam Jansenistæ usurarum patroni suadeant, duo Pentateuchi testimonia inculcant, in quibus ita prohibetur usura, ut pauperum tantummodo fiat mentio. Primum Exodi 22. v. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes*: ubi *pauper*, & *oppressio* tantum memoratur. Dein Levitici 25. v. 35. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam, & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum, ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram. & frugum superabundantiam non exiges. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanaam, & essem vester Deus*: ubi *attenuatus* paupertatem significat. In hanc porro sententiam cetera & Scripturæ, & traditionis testimonia adversarii explicant, & explicanda contendunt, ne legem a Deo semel statutam vel imperfectionis accu-

(1) Hinc sane in eodem tractatu p. 268. Concilia etiam Generalia post VIII. in dubium vocat, propterea quod *depuis le VIII. concile general l' Eglise n en a plus celebrè de la meme maniere, c' est a dire ou tous les eveques ayent pù dise librement leur sentiment, & ou leurs sufrages ayent ètè munir de leur signature.*

accusemus, si explicatione indiguerit, vel mutationis, si a pauperibus ad divites producta fuerit. Confirmant ex Deuteronomio c.23., ubi etsi v. 19. usura universim prohibeatur erga fratres, tamen id versu 20. de solis fratribus, qui indigent, intelligendum subjicitur illis verbis: ***Fratri autem tuo absque usura, id quo indiget, commodabis***, ut in vulgata ex S. Hieronymi interpretatione legitur. Quæ explicatio, quamvis non semper aliis in testimoniis adjicitur, semper tamen submtelligenda est. Addunt, Hebræos in ea Reipublicæ forma, quam ipsis Moyses præscripsit, ab omni negotiatione, aut emtione prædiorum alienos, non nisi in necessitatibus indiguisse mutuo, ex quo proinde lucrum percipere non licuisset. Vides nihil dissimulare me, nec remissius agere, quin adversariorum argumenta potiori in lumine collocem. Nihil tamen est, quod timendum sit.

## §. II.

*Exodi, & Levitici testimonia cum pauperes memorant, divites non excludunt. David, & Ezechiel omnes comprehendunt.*

2. Primo pauperes memorare per se non est divites excludere. Si hæc regula figendæ esset, ea quæ in lege aliqua vetante nequaquam exprimuntur, minime prohiberi, sed licita haberi oportere, quis non videat fornicationem, stuprum, & alia id genus crimina haud illicita fore, cum in sexto Decalogi præcepto solum adulterium expresse vetitum fuerit: *Non mœchaberis?* Quot alia Scripturarum præcepta solius pauperis, pupilli, advenæ, vel viduæ mentionem faciunt? Exodi c. 22. v. 21. *Advenam non contristabis, neque affliges*. Et v. 22. *Viduæ, & pupillo non nocebitis*. Deuteronomii c. 24. v. 14. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ*. Et v. 17. *Non perverses judicium advenæ, & pupilli*. Psalmo 81. v. 3. *Judicate egeno, & pupillo; humilem, & pauperem*. Proverb. capite 33. v. 10. *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas*. Jeremiæ c. 7. v. 6. *Advenæ, pupillo, & viduæ nolite calumniari*; ubi *calumnior* juxta Hæbraicam vim significat usurpare, vel opprimere; & c. 22. v. 3. *Advenam, pupillum, & viduam nolite contristare, neque opprimatis inique*. Zachariæ c. 7. v. 10. *Et viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari*, idest eorum bona usurpare, eosque opprimere. Mitto ejusdem generis alia. Si quis autem hosce textus allegans, probare niteretur, hasce leges, quæ solos pauperes, pupillos, advenas, & viduas nominant, ad has tantum personas restringi, quis æquo animo ferret? Nonne palam est, hasce personas præcipue nominari, non ea mente, ut lex restringatur, sed propterea quod ea crimina in id genus homines frequentius exercentur? Quidni similiter de usura dicamus? Forte etiam idcirco usura pauperibus imposita potissimum interdicta est, quippe quæ majorem excitat commotionem, ac majorem iniquitatem præfert, ut ne idcirco usuræ a non pauperibus exactæ licentia tribuatur. Ita quidem apud Ezechielem, qui inter justi conditiones recensuit neminem generatim opprimere: *Hominem non contristaverit*, nimirum nec divitem, nec pauperem; in peccatore peculiari modo reprehendit contristare (idest opprimere) *egenum, & pauperem*, ut maximam ejus iniquitatem detestaretur. Similiter in eo Decalogi præcepto: *Non mœchaberis*, specialis adulterii mentio facta videtur, ut id vitium præcipue coarguatur, quod magis movet Cap. 18. v. 7. & 16.

movet animos hominum, & magis est humanæ societati contrarium, ut ne tamen cetera idcirco permittantur. Hinc etiam ipse auctor tractatus *Des prêts de commerce*, qui hoc argumentum maxime urget, agnoscit præceptum Decalogi, quo falsum testimonium prohibetur, solius *falsi testimonii* mentione non excludere simplicia mendacia, quæ nullum proximo damnum creent: *La Loi qui defend la faux temoignage n' est point une restriction de la defense du mensonge à celui qui est prejudiciable au prochain, mais l' application de la defense generale du mensonge à un cas particulier.*

Traitè des prets p. 95.

3. Enimvero ut idipsum de usuræ prohibitione dicamus, ipsa Exodi, & Levitici verba, quæ nobis opponuntur, quasdam tantum mutui gratuiti circumstantias exprimunt; nec quisquam tamen ad has circumstantias tantum præceptum illud restringens, præter illas usuram liberam fecerit. Exodi 22. v. 25. prohibetur Hebræo, ne usuram exigat a paupere, *qui habitat tecum*, idest populari, seu ejusdem loci, seu urbis; nec tamen hinc quisquam colliget, licuisse Hebræis, ab Hebræo paupere alterius loci, vel urbis usuram exigere. Similiter Levitici 25. v. 35. vetatur usura quatuor memoratis conditionibus, si frater sit, si attenuatus, si infirmus manu, si susceptus quasi advena vivat, habiteque cum mutuante; nec tamen cum eo paupere, qui his conditionibus careat, qui sit manu validus, vel alibi habitet, vel alterius gentis, religionisve, sed pauper tamen sit, per ipsos adversarios licet de usura pacisci. Sicut ergo harum circumstantiarum expressa mentio divinum præceptum non restringit, sed exempli gratia explicat, & ad casus applicat frequentiores; ita nec vox *pauperis*, vel *attenuati*, quæ exprimitur, divinæ præceptionis restrictio habenda est, quæ divites non expressos excludat.

4. Fateor quidem divinum præceptum non esse extendendum ad omnes etiam divites, ex hisce locis, quæ solos pauperes designant. Neque tamen suppetere debent expressa testimonia, quæ divites, & mercatores nominent: satis enim est, si alibi ita universim vetetur usura, ut nulla, vel pauperis mentione, vel exceptione divitis, præceptum omnes comprehendat. Ejusmodi profecto sunt David, atque Ezechielis verba, quæ lib. II. c. 2. fusius consideravimus. Ubi illud præsertim observandum est, quod David Psal. 14. sicut de muneribus agens, expressit quæ impia sunt, *super innocentem*, inquiens, accepta ad eum opprimendum, eo quod hæc, non autem omnia munera mala sint; ita agens de usura, expressisset pauperem, si solam usuram pauperum vetitam judicasset. Similia in testimonio Ezechielis considerari possunt, qui in aliis restrictione, ubi opus erat, usus, nullam in usura restrictionem adhibuit, sicuti nec adhibuit in ceteris, quæ nulla conditione circumscripta, nullam restrictionem patiuntur. Quid igitur in una usuræ prohibitione restrictionem ex arbitrio obtrudamus? Si pauperis conditio habita fuisset necessaria violationi præcepti, omissa proculdubio non fuisset. Pauperem alicubi exprimere nihil restringit; finis enim ejus mentionis inferendæ facile cognoscitur, nimirum ut peccatum gravius, atque frequentius coerceatur, ac major in ipsum excitetur indignatio: idque eo magis, quod non de sola usura fere sermo est, sed etiam de mutuo, cujus præceptum cum non cadat nisi in eos, qui necessitate premuntur, nimirum in pauperes; horum mentio eatenus necessaria videretur. At aliis in legibus, quæ de sola usura feruntur, cum omne pauperum indicium præterire, nullum finem utilem prospicere queat, eo per se inducit, ut lex generalis credatur,

ac proinde sapientissimus legislator non prætermisisset ejusmodi mentionem, si quidem ad solos pauperes voluisset legem restringere. Enimvero si hoc tempore ferenda esset ab adversariis lex, quæ usuram vetet; cum eam putent erga solos pauperes interdicendam, horum mentionem insertam vellent in ipsa lege, ne quis ex omissione aliter crederet. In hac scilicet hypothesi, usura, quæ pretium usus pecuniæ definitur, ita per se esset justa, uti justum est pretium usus domus, vel equi locati; & solum ex conditione pauperis, qui eo pretio opprimeretur, fieret illicita. Quis autem sine conditione pauperis oppressi apponenda generatim ediceret, eum esse justum, vel in cælum ascensurum, qui domum, vel equum pretio non locet? Cur ergo id Deus in usura generatim edixisse credatur apud Ezechielem, atque Psalmistam, si ea a pauperis conditione esset illicita? Neque vero hanc conditionem satis explicatam dicas in Exodo, & in Levitico, ac exinde ceterorum locorum interpretationem esse petendam. Hoc non male fortassis diceretur, si pauperes nominare perinde esset, ac ad eosdem legem restringere. At cum simplex pauperum mentio, in memoratis libris inserta, restrictio legis non sit, ut hactenus vidimus; si quis exinde interpretanda crederet generalia Davidis, & Ezechielis loca, erunt fortassis qui similiter objicientes testimonia paullo ante descripta Deuteronomii, vel Exodi, ubi in interdicenda oppressione, nocumento, mercedis subtractione &c. pauperes pupilli, advenæ, & viduæ memorantur, contendent ad hos tantum restringenda pariter esse alia loca, quæ eadem crimina indiscriminatim prohibent. Quamcunque responsionem huic objectioni adversarii proferent, adversus ipsos valebit. Repetendum hoc loco est, usuram in hac hypothesi non esse malam per se, sed ex conditione pauperum totam ejus malitiam pendere. Quandocunque ergo vetetur usura, cum vetandum sit malum, non autem quod per se malum non est; semper conditio pauperis, cui malitia alligata credatur, exprimenda erit. Neque satis fuerit semel, vel iterum id meminisse. Si semel, vel iterum declaratum sit non licere in exigenda pensione domus pauperes angariari, & opprimere, num quis alicubi, hac conditione omissa, legem ferret, qua illicitum pronunciet domus pensionem exigere? Num alicubi in Scripturis traditum reperietur in culpa esse ad uxorem accedere, ut lector hoc referat ad conditionem uxoris menstruatæ, quæ in iisdem Scripturis alibi declarata est? Traditio quidem Sanctorum Patrum hanc in usura relationem ignoravit. Argumentum facile, & ex adversariorum praxi ductum proferam. Sicut per hæc tempora, cum Exodi, & Levitici loca ob mentionem pauperum in novitiam sententiam intelliguntur, nemo est adversariorum, qui ea statim non ingerat, & ex iis cetera explicanda non contendat: ita pariter olim fecissent antiqui Patres, si in eadem fuissent sententia. At si legantur diligenter quotquot adversus usuram declamarunt, nihil tale uspiam deprehendetur. Plerique enim Scripturæ auctoritatem potissimum allegantes, omissis Exodi, & Levitici testimoniis, aliis locis utuntur, in quibus nulla pauperis occurrit mentio. Cyprianus ex. gr. in eo opere, ubi præcipua testimonia pro quovis præcepto describit, probaturus generale præceptum: *Non fœnerandum*, tres textus recitat, ex Exodo autem, vel Levitico ne verbum quidem. Textus frequentius citati ex Psalmista, & Ezechiele petuntur, & his solis plerique etiam canones contenti sunt. Si ex Levitico, & Exodo legis in-

intelligentiam pendere veteres censuissent, impossibilis fuisset tanta omissio. Cetera potius testimonia praeteriissent, haec vero nunquam. Alii porro Patres, qui hosce textus recitaverunt, pauperis mentionem non dubitaverunt omittere: quod evidens argumentum est, eam necessariam haudquaquam putasse. Immo eam forte idcirco praetermisere, quod nollent quempiam hinc colligere ad solos pauperes legem esse referendam. S. Ambrosius in libro de Tobia n. 52. *Denique etiam in Levitico praescribit lex usuram a fratre non esse poscendam. Sic enim habes: Et vivet frater tuus tecum, pecuniam tuam non dabis illi in usuram &c.* Ubi legitur *frater tuus*, omissa sunt verba *si attenuatus fuerit*, quae tamen conditio essentialis in novo systemate creditur. Alii tandem pauci, qui vel hunc, vel alium Exodi textum recitarunt integrum, nunquam in voce *pauperis*, vel *attenuati* vim, aut restrictionem ullam fecere, quod tamen saltem alicubi factum legeretur, si in novitio sensu ea testimonia accepissent. Novus est igitur novitiorum hominum ausus, qui nemini, cui displiceat novitas, probari poterit.

## §. III.

*Deuteronomii testimonium omnes, etiam divites, ac negotiatores, complectitur. Evidens hinc argumentum contra adversarios intorquetur.*

5. NEque opponas: Si David, atque Ezechiel Mosaicam legem interpretati sunt, uti intelligi debet; sequitur eandem legem ad eorum aetatem usque ignoratam fuisse. Etsi enim accidere in aliis potuit, David. & Prophetas explicasse clarius legem, quae minus exacte, aut minus recte caperetur; sicut Christus aliqua explicavit in Evangelio, quae mala antiquorum interpretatione exposita fuerant; id tamen in ea quaestionis materia, de qua nunc agimus, nequaquam contigit, cum ipse Moyses alio ipsius Pentateuchi loco sese explicans, generalem legem tulerit, quae omnes etiam divites certissime comprehendit. Hoc potissimum, & evidens argumentum erit, cui nemo aequam solutionem reperiet. Deuter. 23. v. 19. scribitur: *Non foenerabis fratri tuo ... sed alieno*; qui locus ab adversariis maxime ingeritur, ut ex distinctione *fratris*, cum quo foenus prohibetur, & *alieni*, cum quo permittitur, foenus non semper, nec per se illicitum colligant. Genuinam hujus loci interpretationem, quae rationem *alieni* ad Chananaeos hostes restringit, vel foenoris tolerantiam, non approbationem exhibet, lib. II. c. 2. dedimus. At nunc omittamus, quod adversarii volunt. *Alieni* appellatione omnes significentur alienigenae, & cum his licuerit Hebraeis foenus exercere, quod cum solis Hebraeis *fratribus* exerceri vetatur. Hac quoque in sententia aliqua procul dubio distinctio ea Deuteronomii lege inter *fratres, & alienos* constituitur, ut non idem prorsus cum utrisque vetetur, vel permittatur. Porro si cum solis *fratribus* pauperibus foenus fuisset prohibitum, quod aeque cum alienigenis omnibus, si pauperes sint, ex ipso naturali jure vetitum iidem adversarii fatentur; ita vero permissum fuisset foenus cum alienigenis non pauperibus, uti cum *fratribus* Hebraeis non pauperibus permissum, it, quos nunc impugnamus, praeferunt: nulla certe superesset inter utrosque distinctio; ac propterea ea legis verba apertam distinctionem afferentia: *Non foenerabis fratri tuo, sed alieno*, in eam adversariorum sententiam sic essent explicanda: *Idem de fratre, ac de alieno erit. Si pauperes sunt, neutri foenerabis; si autem divites, utrique*

*trique*; quod propositæ distinctioni repugnat. Idipsum est, si eum locum brevius, & æquius explicandum putes: *Non fœnerabis fratri tuo pauperi, sed alieno diviti fœnerabis*; quo nihil inanius, ac magis ridiculum notavit ipse Salmasius adversus quendam suæ sectæ Theologum usurarum patronum lib. 3. de Fœnore Trapezitico p. 688., ubi eandem, quam refellimus sententiam ab eodem Theologo defensam hoc Deuteronomii testimonio veluti jugulo perimit.

6. Neque vero ad hujus evidentissimi argumenti vim infirmandam opponatur *fratris* appellationem in ipso Deuteronomio restringi ex verbis *id quo indiget*, quæ subjiciuntur versu sequenti: *Fratri autem tuo absque usura, id quo indiget, commodabis*. Nam præterquam quod verba *id quo indiget*, desunt in Hebræo textu, immo & in versione Græca, Syriaca, Arabica, Samaritana, Persica, ac ceteris omnibus præter vulgatam, ac eas, quæ ex vulgata profectæ sunt, de quo apud criticos plura legere licet; si ea verba non accipiantur in aliam satis obviam, & commodam sententiam, in qua immorari opus non est, sed in eam, quam adversarii volunt, eadem redit argumenti vis; tum enim versiculus decimus nonus æquivaleret huic: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram id quo indiget, sed alieno, id quo non indiget*, quod absonum, & ineptissimum dictu, omnem distinctionem inter fratrem, & alienum, quam ipse locus præfert, destrueret. Ipsi adversarii, qui usuram cum Israelitis pauperibus vetitam, cum divitibus autem licitam putant, si sibimetipsis non contradicant, repugnare non possunt. Cum enim usuram ex pauperibus etiam alienis exactam naturali jure vetitam (1) ipsi pariter approbent; Deuteronomii autem lege, ne illusoria sit, permissum (2) dignoscant fœnus aliquod cum alienis, quod cum fratribus interdicitur: non aliud inter utrosque discrimen ex eorum sententia assignari potest, nisi quod cum fratribus, sive pauperibus, sive divitibus, usura universim vetita fuerit, quæ cum alienis non pauperibus permittebatur.

7. Hinc ergo duæ Exodi, ac Levitici leges cum solos pauperes memorant, ipso Moyse interpretante, ac universalem saltem inter Hebræos omnes usuræ prohibitionem indicente, divites non excludunt, uti Grotius, usurarum licet patronus, notavit in Exodi cap. 22. v. 25. *Vox pauperis hic non restringit, sed exempli caussa posita est, quia plerumque accidit, ut illi magis egeant opis alienæ*. Et similiter Salmasius de Usuris c. 20. pag. 611., postquam observavit legem in Deuteronomio latam *restrictionem non recipere, ut ad solos pauperes referenda sit*, addit: *Quod enim in Exodo, & Levitico expressa sit pauperis mentio, eam ideo fieri censendum est, quod ut plurimum pauperes sunt, qui mutuari coguntur a ditioribus*. Et lib. 3. de Fœnore Trapezitico pag. 673., responsurus Theologo Calvinistæ, qui legem Deuteronomii contendebat *restringendum esse ex locis Exodi, & Levitici ad Judæos pauperes, quia*, inquiebat, *in hoc Deuteronomii loco indefinite dicitur, & nihil*

---

(1) Auctor operis inscripti *Traitè des prêts de commerce pag.* 66. usuram ab alienigenis pauperibus nequaquam permissam ea ratione probat, quia *est un violement manifeste de la loi naturelle*.

(2) Idem Auctor pag. 61. rursum ex eo Deuteronomii loco affirmat: *Dieu permet aux Israelites de faire à l' étranger ce qu' il leur defend à l' égard de leurs freres*.

*nihil esse in jure vulgatius* addebat, e contrario potius reponit Salmasius ex Deuteronomii loco explicandam Exodi, & Levitiei legem, ut ne ad solos pauperes restringi queat: *Sane & illud in jure vulgatissimum*, inquit, *ut si leges duæ super aliquo themate latæ fuerint inter se contraria, ut posterior deroget priori. Non hic quidem hujusmodi datur casus. Nam Deuteronomii præcepta non sunt contraria præceptis Exodi, sed eadem. Verum cum prior lex obscurior est, posterior autem clarior, per posteriorem explicandam esse priorem planissime liquet ..... Quid igitur manifestius, quam legem Exodi de fœnore exponendam esse ex verbis Deuteronomii, quæ generaliter concepta sunt?* (adde) & quæ ex distinctione inter fratres, & alienos constituta, si ad solos pauperes restringenda sit, inutilem, ut vidimus, & inanissimam distinctionem præferret, quod dicendum non est.

## §. IV.

*Refellitur objectio. De œconomia legum Pentateuchi circa prohibitionem usuræ. Valet & de Hebræis extra Palæstinam habitantibus, etiam divitibus, ac negotiatoribus.*

8. Levis porro ex dictis objectio est, quam opponit Auctor *Consultationis* præmissæ operi *Traité des prêts de commerce* pag. XIII. *Si Moyses*, inquit, *usuram indistincte vetitam credidisset, sine ratione peculiarem pauperum prohibitionem tulisset*. Quot alia Sacræ Scripturæ præcepta hac methodo expungerentur? Si Moyses ex. gr. generatim interdictum putasset nocere proximis, sine ratione præcepisset Exodi 22. v. 22. ne quis *pupillo, & viduæ noceret*. Quis hujus ratiocinationis exilitatem non videat? In casu autem usuræ, præterquamquod ea vetari peculiari ratione solent quæ sæpius contingunt: casus autem pauperum, qui mutuo egent, frequentiores sunt, ut Grotius, & Salmasius paullo ante allegati observarunt; ipsum legis Exodi, ac Levitici tempus æquissimam rationem videtur suggerere. Data enim hæc lex Hebræis in deserto, cum nemo altero ditior, aut pauperior fuit, & quamvis data fuerit pro iisdem regendis eo tempore, quo terram sanctam tenuissent; cum tamen æqualibus inter se portionibus pro numero capitum eam dividendam præcepisset, illis initiis nulla familia altera pauperior esse poterat. At lapsu temporis ex multis casibus, qui inopinate accidunt, in tam numerosa gente fieri nequibat, quin aliqui mutuo indigerent, hisque Moyses ut subveniret, legem Exodi dedit, qua mutuum sine usura dari jussit, ac si frater a fratre mutuum sumeret. Cum porro, crescentibus subinde familiis, in ea prima æquali portione omnes manere non possent, illud in Levitico cavit, ut qui facultatibus subdivisis, ac imminutis, *attenuati*, seu in paupertatem prolapsi mutuo egerent, sine usuris item sublevarentur. Hinc ergo pro his casibus, qui debebant certe contingere, soli pauperes in Exodo, ac Levitico nominati videntur. At ne quis forte casus in his non comprehensus, etsi ab ea prima ætate remotior, exclusus crederetur; legem Deuteronomii generalissimam sanxit, qua, nulla inopiæ, aut imminutæ facultatis mentione, vetuit, ne quis frater a fratre, idest Hebræus ab Hebræo, usuram exigeret: quam si qui vellent quærere, a solis alienigenis, non autem ab Hebræis quærerent. Hæc æquissima harum legum œconomia, atque sententia.

9. Hinc porro erroris convincitur interpretatio Correnii in Tractatu *De la pratique des billets* pag. 141., ubi hanc legem valuisse ait

ait primis Hebræorum temporibus, quando in terra promissa, uni agriculturæ, ac pecuariæ rei vacantes, nulli negotiationi studentes, ex infortunio, ac paupertate mutuum peterent; non autem cum extra Judæam commercii caussa divertentes, ipsius negotiationis caussa mutuum flagitassent. Ex Deuteronomio enim constat, illam legem, quæ solius fraternitatis, ac peregrinitatis distinctionem attulit, non paupertatis, aut terræ promissæ conditionem spectasse, sed solam fratris rationem, ne frater a fratre exigeret, quod cum solo peregrino, & alienigena permissum, aut toleratum traditur. Hinc non paupertatis, sed fraternitatis solius rationem Nehemias objecit, cum c.5.v.7.lib.2. Esdræ usuras exactas reprehendit: *Usurasne singuli a fratribus vestris exigitis?* Hæc autem fraternitatis ratio, cum æque in Palæstina, ac extra Palæstinam, æque inter pauperes, ac inter negotiatores, & divites, Hebræos tamen, vigeat; æqualem ubique, ac inter omnes, usuræ prohibitionem præstituit. Sic Tobias in regione Medorum ingentem pecuniæ vim, decem talenta argenti, jam inde ab infantia Gabelo sine usuris credidit; quam etsi ei tum
Tob.1.v.17. *egenti* credidit, cum tamen (1) ante mortem eam ad nutum receperit, non a paupere, sed a divite recepisse cognoscitur. In quo tamen mutuo, ab usura semper alieno, justitiæ a lege præscriptæ officium agnovit S. Ambrosius in libro de Tobia cap. 2. *Quod igitur commodavit pecuniam, & non fœneravit, justi servavit officium.*

10. Quod si consideres tribus Zabulon peculiare fuisse maritimum commercium, quod illi prædictum fuit a Jacob Geneseos 49. v. 13., ut Rivetus, & Malvenda observarunt; ac præterea cogites negotiationem apud Hebræos quoque floruisse, præsertim sub regibus, ut latius probavit Prideaux in Judæorum historia part. 1. l. 1. ad annum ante Christum natum 740., eum non solum agriculturam, ac pecuariam Hebræos exercuisse cognosces, tum vero usuram inter ipsos universim vetitam, etiam cum negotiatoribus Hebræis vetitam ex eadem Deuteronomii lege exploratum fiet. Vigebat enimvero apud Judæos commercium Davidis tempore, quando Psal. 14. usuram universis vetitam indixit; & Ezechiel c. 27. v. 17. & 33. negotiationis meminit, ac nundinarum, cum usuras generatim crimini attribuens, excidium regni Juda inde profecturum prædixit. Quid quod (2) innumeri, ac propemodum infiniti Hebræi, extra Judæam

(1) Anni viginti numerantur in versione antiqua Latina, quam ex ms. Regio Vaticano edidit Joseph Blanchinius Vindic. Canonic. Scriptur. tom. 1. p. ccclıv. Anni autem sex supra viginti ex ms. San Germanensi apud P. Calmet.

(2) Philo, in libello contra Flaccum, *non minus quam decies centena millia* Judæorum habitasse ait Alexandriæ, ac in tota illa regione, quæ a Catabathmo Lybiæ ad Æthiopiæ terminos patet, testaturque eam gentem propagatam præsertim in maritimis negotiosis plagis, hanc præterea rationem addens: *Judæos enim una regio non capit propter hominum multitudinem; quamobrem plurimas, ac fortunatissimas urbes in Europa, Asiaque provinciis, ac insulis incolunt.* Quibus similia prodidit in Legatione ad Cajum; Petronium enim cogitasse ait, *quam populosa esset hæc natio, non ut aliæ comprehensa unius regionis spatio, sed totum pene orbem incolens. Diffusa enim per continentis provincias omnes, atque insulas,*

dæam disperſi, ad quos aliquot canonicæ Epiſtolæ miſſæ fuerunt, in Ponto, Cappadocia, Galatia, Bythinia, Antiochiæ, Romæ, Alexandriæ, aliiſque negotioſiſſimis urbibus frequentiſſimi ſedes fixerant, in quibus non pauci (uti vel hodie ab iiſdem fit) negotiationi, ac mercaturæ operam dabant, nec tamen uſuram inter ſeſe ullo caſu, ſaltem cum mercatoribus, licitam judicarunt? Teſtem locupletem habeo Philonem Hebræum Alexandrinum, qui in libro de Charitate, Hebræos omnes Alexandriæ quoque degentes, ne negotiatoribus quidem exceptis, divina lege comprehenſos ſcripſit: *Vetat igitur fratri fœnerari: fratrem appellans non ſolum iiſdem parentibus natum, ſed etiam quemcunque civem, aut tribulem*. In quæ notavit Salmaſius: *Abſolute, ut cernis, de fratre, hoc eſt de cive, uſuras capere Judæum non vult; nec diſcernit, utrum civis ille, ac tribulis pauper, an dives eſſet*. Iterum autem Philo: *Neceſſario igitur præcipit omnibus, qui reipublicæ ab ipſo inſtitutæ pars eſſe voluerit*, nimirum Hebræus, *hoc genere quæſtus abſtinere*. Idem teſtatur etiam Joſephus, non ſolum lib. 4. Antiquitatum c. 6., ubi ait: *Fœnerari Hebræorum nemini liceat*; ſed etiam l. 2. in Appionem, ubi deſcribens præcipua, & communia omnium Hebræorum præcepta, hæc inter cetera recenſet: *Quod quis non depoſuit, ne tollat. Aliena nemo contrectet. Qui mutuum dedit, uſuras ne accipiat. His, & ſimilibus præceptis ſocietas noſtrorum hominum inter ſe continetur*. In quæ opportune item Salmaſius: *Vides eum non facere diſcrimen pauperis, & divitis in uſuris inter Judæos prohibendis, ſed ſimpliciter dicere* δανέισας τόκον ὐ λήφετας: *dans mutuum, uſuras non accipiat. Quod in Antiquitatibus dixit:* δανεί ζειν Ἑβραίων ἐξεσὶ μηδενί. *Quo clarius ſignificavit, nemini Hebræo nato dare ſub uſuris Hebræum*. Idem omnino poſteriorum etiam Rabbinorum eſt ſenſus, ſeu potius conſenſus, qui ſane in hac parte maximi faciendus eſt; credibilius enim multo eſt, eos dilataſſe potius Moſaicam legem, ut nationis ingenio in quæſtum propenſiſſimo faverent, quam reſtrinxiſſe. Hinc Mahumedani, qui a Judæis uſuræ prohibitionem derivarunt, eandem ſententiam tenent. Id originem profecto ducit a Deuteronomii evidentiſſimo loco, qui ex obſervatis paullo ante omnino c[illegible]it. Ibi. pag. 684

11. Jure itaque Salmaſius uſurarum a mercatoribus exactarum exceptionem rejiciens, *Non eſt igitur*, inquit, *quod quis uſuras nobis mercatorias objiciat, quaſi non vetitæ fuerint illa lege Moſaica.... Niſi ab omnibus pariter uſuram accipere Judæis Judæum natum prohibuiſſet, diſtinxiſſet inter pauperem, & divitem, aut mercatorem, & agricolam, quemadmodum inter extraneum, & fratrem in Deuteronomio diſtinxit, dicendo: Extraneo fœnerabis, fratri tuo non fœnerabis. Ita ergo dixiſſet: Mercatori, aut diviti fratri tuo fœnerabis, non item pauperi*. Sola inter fratrem, & alienum diſtinctio in Deu- Ibi. p. 682.

*las, adeo ut non multo pauciores ſint indigenis*. Videndus Joſephus lib. 7. de bello c. 21., & l. 11. c. 5., ubi Hebræorum, qui poſt Eſdram in avitas ſedes reverti noluerunt, propagationem per totum orbem indicat, affirmatque *infinita eſſe hominum millia, quæ vix eſt numero comprehendere*. Hebræorum quidem colonias jam olim toto Romano orbe deductas, & in præcipuis urbibus nominat Agrippa Rex in Epiſtola ad Cajum; & Strabo lib. 17. Vide plura apud Benedictum Bacchinium de Eccleſ. Hierarch. Origin. part. 1. c. 2.

Deuteronomio omnem Hebræum complectitur. Sive enim usuræ ab alieno exigendæ approbationem eo loco velis, sive meram permissionem, ac tolerantiam; certe id ibidem prohibetur in quemlibet fratrem, quod cum alieno approbatur, vel permittitur. Ergo sive pauper, sive dives, aut mercator fuisset, dum Hebræus, & frater esset, usuras ex eo exigere non licebat. Hinc igitur jure doctissimi quique, & antiqui, & recentiores, usurarum patroni, legem veterem de omnibus fratribus accipiendam docuere (1) Calvinus, Grotius, Salmasius, Puffendorfius, Noodt, Barbeyrachius, & (2) alii, ita ut ejus legis abrogationem citius adstruendam censuerint pro Christianis, quibus usuram licere defenderent: peculiaris autem, ac irrationabilis prorsus est eorum hujus fere ætatis auctorum opinatio, qui usuram defensuri, ad solos pauperes eam legem restringendam putant. Quam in sententiam si sese receperunt, propterea quod eam legem abrogatam dicere nequeunt (adeo traditionis, & Ecclesiæ aperta doctrina est) abjicientes sententiam, quæ veritati hactenus demonstratæ repugnat, fateantur jam ea lege, quam per Christum confirmatam credunt, æque teneri Christianos erga omnes, qui ex Christi institutione fratres censendi sunt, ut nec pauperes, nec divites, nec mercatores excipiantur.

## CAP. III.

*Observationes ex novo Testamento, in quo æque ac in Testamento veteri usura, etiam a divitibus, & mercatoribus exacta, probatur interdicta. Invictum argumentum ductum ab usura injustitia, quæ non ad solos pauperes, sed ad divites etiam pertinet.*

1. Quæ superiori capite disputavimus, si propositum ex sententia demonstrarint, ad perorandam, ac persuadendam caussam, quam defendendam hoc libro suscepimus, omnino sufficient. Si enim ex ibidem constitutis persuasum sit, veterem legem usuras omnes, saltem inter Hebræos, nulla sive divitum, vel mercatorum exceptione universim vetuisse; nihil præterea opus est illis, qui idem omnino jus in Evangelio confirmatum, atque perfectum agnoscunt, uti sane agnoscunt omnes, quos hoc in libro impugnare necesse fuit. Pro illis enim,

(1) Calvinus in exposit. in octavum præceptum Decalogi *id clare patere* scripsit.
Grotii locum ex commentario in Deut. paullo ante descripsimus. Legantur quæ fusius in hanc rem scripsit l. 2. de jure belli, ac pacis c. 12. §. 20.
Aliquot Salmasii testimonia jam produximus, quibus eam rem exploratam prodit. Confer lib. 1. de Fœnor. Trapezit. pag. 102.
Puffendorfius lib. 5. de Jure naturali, ac Gentium c. 7. §. 8.
Gerardus Noodt l. 1. de Fœnore, & usuris c. 10.
Barbeyrachius not. 2. in laudatum Puffendorfii locum.
(2) Idipsum, Deuteronomii loco victus, fateri debuit novissimus usurarum defensor in opere *Traité des prêts de commerce*, ubi pag. 66. col. 2. omnem usuram inter Hebræos omnes vetitam ex loco Deuteronomii satis profitetur, etsi negotiationem ea ratione nitatur subtrahere, quia Judæi inter se negotiationem, & commercium exercere non poterant, quod tamen falsissimum ostendi.

enim, qui eam Evangelii confirmationem negant, at aliunde omnes nulla exceptione veteri lege comprehensos fatentur, hæc disputatio necessaria non est: sed ad hos revincendos (1) satis esse debent, quæ lib. II. a nobis fuse disputata, idem vetus jus, quod omnes, etiam divites, & negotiatores, iisdem fatentibus, spectabat, in novo quoque Testamento confirmatum, perfectumque ex Evangelio, traditione, omnique Ecclesiastica certissima auctoritate demonstrasse videntur. Quin hæc ipsa adversariorum pugna, qua iidem inter se, vel circa generalem antiquæ legis comprehensionem, vel circa ejusdem confirmationem dissentiunt, vergit mirifice in ampliorem demonstrationem ejus dogmatis, quod utrique inficiantur. Alii enim cum ea de caussa negent usuram a divitibus expressam vetari, quia confirmatam in Evangelio nolunt veterem legem, quam in antiquo Testamento generalem fatentur; refelluntur ab aliis, qui ex evidentissima Scripturarum, traditionis, atque Ecclesiæ auctoritate confirmationem ejus legis negari non posse testantur. Hi vero, cum propterea divites, ac mercatores comprehensos negent, quia veterem legem, quam confirmatam agnoscunt, fuisse universalem nequaquam existimant; revincuntur a primis illis, qui eam legem generalem monstrarunt. Ita ipsi hostes Catholici dogmatis, vel inviti, defensores ejus, ac vindices sunt. Quanquam vero hæc satis essent, ut tamen utrique hostes simul in eo, in quo contra Ecclesiam sentiunt, magis, magisque refellantur, nonnullas observationes ex novo Testamento, ac ex traditione afferemus, quibus omnem universim usuram, a divitibus quoque, ac negotiatoribus exactam, adhuc divina prohibitione esse interdictam liquebit.

2. Et primum ex Evangelio repetenda illa, quæ observavimus l. II. cap. 3., ubi Christus in sermone, quem in Monte habuit, ut apud Lucam describitur c. 6. v. 35., veterem legem circa usuram non destruxisse, sed confirmasse, & ad majorem etiam perfectionem perduxisse monstravimus. Neque hic audienda illorum exceptio, qui de solis pauperibus eum locum accipiendum objiciunt, cum de solis pauperibus intelligi debeat præceptum, ut sine spe ipsius sortis recipiendæ mutuum demus: quam quidem interpretationem eidem loco probabilius subjectam, ex multis Patribus ibidem ostendi. Nam si præceptum mutui a prohibitione usuræ secernatur, nihil difficile erit. Quod mutuum detur vel iis, a quibus ob impotentiam nec restitutio speretur, ad præceptum pertinet mutui, quod solis indigentibus prospexit, non autem iis, qui citra egestatem in negotiationem, & lucrum mutuum petant. At ne lucrum speretur ex mutuo, quæ est usuræ prohibitio, cum ex veteri lege derivet, Tract. Brev. pag. 20.



(1) Satis esse debent, inquam, ut ex ipsius Salmasii confessione liquet; qui l. 3 de Fœnor. Trapez. p. 672., relata eorum sententia, *qui putant, quod Judæis inter se observandum circa usuras lege Mosaica præscribitur, Christianos hodie, quo jure utuntur, tenere*, hanc egregiam concessionem subjicit: *Si hoc esset* (scilicet ex explorata confirmatione Christi, quam lib. II. demonstravimus) *omnis usura prohibita inter Christianos censeri deberet jure divino, etiam minima, etiam ea, quæ a divitibus exigitur. Certissimum quippe est, Judæis ea lege Moysis omnem usuram interdictam, quæ a Judæo exigenda esset, tam divite, quam paupere*; & ex Deuteronomio deinde fusius probat.

vet, quam Christus certissime confirmavit, nullam inter pauperem, & divitem distinctionem suscipit, exceptionem nullam; sicuti nullam distinctionem, exceptionem nullam ipsa lex vetus, a Christo confirmata, ferebat. Si quis divitibus, nulla egestate, sed solius lucri caussa mutuum petentibus, nolit mutuari; is adversus Christi praeceptum, quo solis indigentibus consultum voluit, nequaquam peccabit. At si semel dare velit mutuum divitibus, quando praeceptum non est; ne usuram exinde quaerat, ea divina lege tenetur, quae sicut olim in pari casu ligabat Hebraeos, cum mutuum inter fratres darent, ita nunc Christianos ligat, quos non arctiori, sed ampliori multo fratrum significatione obligari ex confirmatione Christi certissimum est.

3. Ex his autem postremis verbis novum pro repellenda divitum exceptione argumentum suggeritur. Vetus usurae prohibitio, etsi in pauperum subsidium maxime vergeret, non tamen paupertatis, sed fraternitatis rationem spectavit inter Hebraeos, ut ex ipso Salmasio cap. superiori observavimus. Quod enim vel inter Gentes amici amicis, cives civibus mutui gratuiti officium praestare solebant, id ut Hebraei Hebraeis tanquam fratres fratribus praestarent, Deus veteri Testamento praecepit. Hinc cum omnes, sive pauperes, sive divites, aut mercatores, essent Hebraei, ac fratres, omnes eadem mutui gratuiti lege obligatos vidimus ex Deuteronomii celebri loco, uti idcirco nulla inter Hebraeos fratres, at sola inter fratres, & alienos distinctio elucescit. Hinc Salmasius l. 3. de Foenor. Trapezit. p. 688., nullum, etsi negotiatorem, aut divitem, at fratrem, & Hebraeum tamen, excipiendum contendit, *eum sine ulla exceptione, & distinctione nisi peregrinitatis ita lex generaliter formata sit*. Finem autem fraternae charitatis, quem diximus, non autem paupertatis Deum prospexisse, cum foenus Hebraeis interdixit, idem Salmasius prodit in libro de Usuris cap. 20. p. 610., ubi postquam constituere nisus est naturalem aequitatem usurae, quae non a pauperibus, sed a divitibus percipitur; hujus aequitatis rationem a Deo nihili habitam colligit, cum omnem Hebraeis usuram, etiam a ditioribus exactam prohibuit; & subdit: *Unde colligere licet non in gratiam tantum pauperum, etsi majorem partem ita sit; sed & ob eam, quam diximus, caussam foenus illis interdictum*. Caussam autem hanc in fraternitatis, & charitatis officium rejecerat pag. 605. *Omnes*, inquit, *propinqui, & consanguinei, & prope fratres. Ea re voluisse videtur Deus, cum leges illis daret, societatem ex consanguinitate, quae inter eos intercedebat, non solum custodire, sed arctiori etiam vinculo constringere, charitatis inter se officia mutua agitari praecipiendo. Ut enim sine ulla lege, solo aut familiaritatis, aut necessitudinis respectu, in aliis gentibus mutuum inter parentes, & amicos gratuitum exercetur, foenebre ad extraneos solos reservatur; ita in Hebraea natione, quia omnes erant cognatione juncti, lege sanxit Deus, ut Hebraeus Hebraeo, tanquam propinquus propinquo, non aliter mutuum daret, nisi gratis*. Similia leguntur pag. 617. Confer etiam Puffendorfium lib. 5. de jure naturali, & gentium c. 7. §. 9.

4. Si vero ex hoc charitatis, ac fraternitatis officio, apud Hebraeos neminem, vel divitem, vel negotiatorem, divina lex exceptum voluit, eaque nullo plurium seculorum cursu, divisis jam, ac remotis a prima illa fraternitatis origine familiis, abolita fuit; num Christum, qui in Evangelio charitatem maxime perfecit, eam legem sustulisse credibile est? Num inferioris charitatis, & officii esse voluit Christianos, quam Judaeos, ut ab illis in

in sua lege excipiendi sint divites, quos a Judæis excipi vetuit? Unde, quæso, hæc statuetur exceptio? Quod si ad charitatis perfectionem in Evangelio constitutam *fratris* nomen adeo productum fuit, ut sublata omni etiam alienigenarum, ac ipsorum inimicorum distinctione, omnes homines pro fratribus habendi sint; quis veterem usurarum inter fratres prohibitionem, quam Christus charitatem perfecturus ad alienigenas, & inimicos quoque porrigi voluit, ad quos veteri illo jure haudquaquam extensa creditur; quis, inquam, subtrahat a divitibus, & mercatoribus, quos vetus illud jus certissime complectebatur? Nonne hi quoque *fratres* sunt? Lex ergo non in paupertatis, sed in fraternitatis, & charitatis gratiam edita, & confirmata, hos quoque comprehendat, necesse est? De confirmatione constat ex constitutis lib. II. Igitur de divitum, & mercatorum complexu quis dubitet?

5. Mirum porro discrimen, quod Salmasium non puduit proferre in medium l. 1. de Fœnore Trapez. p. 435. *Fraternitas Christiana*, inquit, *alterius generis, quam Judæa: ista quippe carnalis, illa spiritualis, ejusdem religionis consectaneos, ejusdem Dei cultores, Christianorum fraternitatem conciliat, ac componit: Judæi autem fratres, idest* ὁμόφυλοι, *quia omnes ab unius generis, atque originis auctore, ejusdem hereditatis, ac terræ a Deo omnibus promissæ, ac datæ consortes*. Vah ineptissimam distinctionem! Christiana enim fraternitas non idcirco spiritualis est, quod corporalia charitatis opera excludat, quæ tam inculcata fuerunt a Christo; sed quod sola corporis charitate nequaquam contenta, spiritualem potissimum præcipit, ipsiusque corporalis charitatis opera nobilius, atque perfectius exequitur, non ex carnali amore, qui terrena tantum spectet, sed ex spiritali, qui in superna, atque divina erigatur. Neque refert, quod Christiani non ita proximo juncti sunt sanguine, ut Hebræi fuerunt. Spiritalis enim illa charitas, atque fraternitas, quam Christus commendavit, in iis præsertim exeritur, qui nullo carnali vinculo nobis junguntur. Hinc inimicos pro fratribus haberi, & diligi jussit, in quibus non alia, nisi spiritualis fraternitas locum habet. Quando igitur certum est confirmatam, & perfectam a Christo veterem usuræ prohibitionem ex disputatis lib. II., eademque in fraternitatis officium lata apud Hebræos, neminem, sive pauperem, sive divitem, qui frater esset, excipiebat, ut ipso Salmasio fatente probavimus; eodem quoque jure sine distinctione ulla tenentur multo magis Christiani, qui arctiori, & perfectiori fraternitate ligati, sicut omnes (ne alienigenis, vel hostibus quidem exceptis) tanquam fratres prosequi debent. Hinc Tertullianus l. 4. adversus Marcionem c. 17., veterem legem in usuræ prohibitione *benignitatis*, seu charitatis opus præcepisse agnovit, quo ad eandem legem in Evangelio perficiendam homines informarentur: *Hanc etenim dicimus operam legis fuisse procurantis Evangelio. Quorundam tunc fidem paulatim ad perfectum disciplinæ Christianæ nitorē primis quibusque præceptis balbutientis adhuc benignitatis, informabat*. Et similiter S. Hieronymus l. 6. in Ezechielem cap. 18., eandem legem in hoc charitatis officio certis gradibus Evangelicæ confirmationi, ac perfectioni præluxisse testatur: *Vide profectum. In principio legis a fratribus tantum fœnus tollitur. In propheta ab omnibus usura prohibetur ... Porro in Evangelio virtutis augmentum est*. Hoc fraternæ charitatis officium inter Hebræos præcipuum Philo posuerat in libro *de Civitate*; hoc idem S. Clemens Alexandrinus proponens Christianis, quibus confirmatum, & perfectum alibi prodidit, Stromatum lib. 2.

tamquam *humanitatis* officium, quod scilicet charitati omnium hominum deberetur, explicuit: *De elargitione, & communicatione cum multa sint* (Græce enim est πολλῶν οὖτον, idest præcepta) *sufficit hoc dicere, quod lex prohibet fœnerari*. Et post pauca: *An non hoc tibi videtur esse præceptum humanitatis?* φιλανθρωπίας, idest *amoris erga quoscunque, qui homines sunt*. Qui de confirmatione hujus legis in Evangelio non dubitat, neque de restringendo ad solos paupetes hoc *humanitatis præcepto*, quod æque pauperibus, ac divitibus apud Hebræos debebatur, ambigere potest.

6. Quid porro si præter charitatem, justitia in Evangelica confirmatione legis usuram vetantis spectetur? Hoc contra adversarios, qui eam confirmationem non negant, invictissimum argumentum est. Si usura prohibita tantum fuisset, uti charitati opponitur, suspicari fortassis posset solum vetitam in pauperes, quibus cum ex charitate succurrendum est, interdictum jure fuerit omnibus, ne pro subsidio usuris eos opprimerent. At usuram non tam charitati, quam justitiæ contrariam divino jure vetari ex Scriptura, traditione, Pontificibus, Conciliis, totiusque Ecclesiæ constantissima fide ostendimus toto libro tertio. Ubi autem justitiæ lex est, nec pauperis, nec divitis personam respiciendam, divina, & naturalis lex docet. Quis ergo in fœnore ex justitia interdicto inter pauperem, & divitem discernat? Quod justitiæ adversatur, ad furtum, vel rapinam septimo præcepto vetita refertur, quæ si admittantur in divitem, non exinde excusantur, & ad injustitiam quod attinet, æqualis sunt criminis, ac si adversus paupe-rem perpetrata fuissent. Hinc etiam Salmasius lib. 1. de Fœnore Trapez. p. 104. *Furtum non tantum ne pauperi fiat, interdicitur, sed etiam ne diviti*. Solum sicut furta, & rapinæ, ita & usuræ a pauperibus extortæ id gravius addunt, quod charitati gravius opponuntur. Hęc injustitia indicata videtur in Evangelica illa parabola, qua Dominus servi impudentiam repulsurus, usurarium lucrum congruum innuit ejus injusti domini, *qui tollit, quod non posuit, & metit, quod non seminavit*; & de lucro quidem, quod non a paupere, sed a nummulario negotiatore exigeretur, sermo erat. Lightofoot, hominis, qui adversariis suspicionem afferre nequit, interpretationem in hanc rem opportunam dedimus lib. II. c. 6. §. 1. n. 4. Si hanc usuræ injustitiam adversarii negare non possunt, unde Anonymus Auctor (1) epistolæ ad Maupasium datæ die 19. Septembris an. 1739. pag. 2. agnovit *que l' usure est une branche du non furtum facies*, fateantur aliquando eam universim interdictam esse, sive pauperes, sive divites sint, a quibus exigitur; indubium enim est, quod ipse Auctor tractatus *Des prets de commerce* parte 2. cap. 3. pag. 65. de re injusta affirmavit: *L' injustice qui l' accompague necessairement, la fait également proscrire à l' égard de tous, & dans toutes les occasions*. *Injustitia, qua illi necessario inhæret, eam æque erga omnes, & in omnibus occasionibus interdicit*. Id ex catholico dogmate de usurarum injustitia, quam in novo Testamento explorate confirmatam, & assertam memorato tertio libro constituimus, manifestissime sequitur.

CAP. IV.

---

(1) Vide epist. 3. Supplementi ad literas Theologicas contra tractatum *Des Prets de commerce p.* 12.

## CAP. IV.

*Argumenta ex Patrum traditione. Considerantur textus generales, complectentes, & interdicentes etiam usuram, quæ a divitibus, vel mercatoribus exigitur.*

### §. I.

*Præcluditur objectio ex Patribus.*

1. ADversarii, qui traditionem Patrum venerantur, ut eam sibi favere suadeant, loca Patrum describunt, ubi in usuras a pauperibus expressas fuse differitur. Ex his autem cetera ipsorum testimonia, & canones explicandos contendunt, ubi nulla pauperum mentio est. Etsi hoc argumentum primo aspectu satis probabile videri potest, nihil tamen infirmius, & imbecillum magis. Cum enim Patres de pauperibus meminere, ita meminerunt, uti Scriptura vetus, quam ex mentione pauperum divites nequaquam excludere capite primo evidenter monstratum est. Enimvero hæc pauperum mentio fere occurrit in solis concionibus, quas Patres ad populum habebant. Porro concionum, & oratorum proprium est ea crimina insectari, quæ frequentius contingunt (frequentius autem usuræ exigi solent e pauperibus, qui mutuo frequentius indigent) & in iis insectandis, ad odium, & execrationem commovendam facilius, perniciosiores eorum effectus accuratius solent depingi, qui ad excitandos, flectendosque auditorum animos efficacius conferunt. Legantur Patrum Homiliæ, ubi adversus graviora, & frequentiora quædam crimina, ebrietatem, idololatrian, avaritiam pro concione disserunt & ejusmodi criminum funestiores casus graphice ingesti reperientur, quibus animi percellerentur vehementius, ut ne tamen divinam legem ad eos casus tantum, qui eos effectus parerent, restringendam Patres crederent. Quidni idipsum de usura dicatur, cum iidem adversus usuram concione agentes, oppressionem pauperum, & alia usurarum mala ad auditores concutiendos summa orationis contentione exposuerunt? Usuram a pauperibus exactam criminosiorem esse quis ambigit? Quid itaque mirum, si Patres in eam sollicitius, & vehementius perorarint? Si potiora adversarii non afferant, quibus in condemnatione usuræ divites a Patribus alicubi excepti probentur, hoc mere negativum argumentum nihilum juverit. Nihil tamen illi expressum, vel, ut ajunt, positivum habent. Nos vero & generales Patrum textus allegare possumus, qui nulla exceptione aliunde constituta, æque pauperes, ac divites complectuntur, nec peculiaribus testimoniis caremus, quibus divites, & negotiatores exprimuntur. De generalibus testimoniis in primis loquamur.

### §. II.

*De Patrum mente, omnem omnino usuram, a quocunque, etiam divite, aut mercatore exigatur, palam damnantium. Duplex argumentum ductum ex eorundem Patrum traditione, nimirum de confirmato per Christum veteris legis præcepto adversus usuram, & de usura injustitia.*

2. PRimo testimonia Patrum, quæ libro secundo c. 7. descripsimus, ubi veterem legem in novo Testamento confirmatam æque nos obligare prodiderunt, ac olim obligabat Hebræos, totidem argumenta sunt, quæ divites etiam eadem lege comprehensos probant. Si enim ea lex ita Hebræos olim ligabat,

bat, ut divites etiam complecteretur, quod cap. 1. demonstratum est; nonne Patres eandem legem in novo Testamento nulla restrictione, aut exceptione confirmatam, sed perfectam potius tradentes, eosdem divites æque comprehensos tradidere? Indignum quidem Christiano nomine illi putarunt, si sub Evangelio, quod perfectiora præcepit, Christiani *inveniantur iis, qui sub lege fuerunt, inferiores*, ut hoc in argumento de usura prodidit S. Joannes Chrysostomus Hom. 41. in Genesim n. 2., id, quod sane eveniret, si saltem inter Christianos fratres a pauperibus divites distingueret, fœnusque cum his, etsi fratribus, licere putemus, quod Hebræis non licuit. Unde Petrus Blesensis epist. 17. Christianum usurarium profert *longe deteriorem Judæis, dum illi tantum alieno, tu vero*, inquit, *& alieno, & proximo fœneraris*. Neminem ergo vel divitem illi excipiendum crediderunt, qui ex confirmatione Christi perfectionem afferente id necessario consequi observarunt, ne Christianus Judæo inferior esse possit.

3. Id ipsum multo luculentius probant eorundem Patrum testimonia lib. III. c. 2. recitata, quibus usuræ injustitiam apertissime testantur: quod enim injustum est, non cum solis pauperibus, sed cum divitibus etiam est injustum, & vetitum, ut iidem Patres alibi profitentur. Si igitur usuram crediderunt injustam, eam, a divitibus licet exactam, injustam credidere. Repetantur hoc loco ea Patrum testimonia, ubi usurarium lucrum *injustum, alienum*, ac *restituendum* traditur. Num de pensione domus pauperi locatæ, si vel cum oppressione ejusdem exigeretur, hæc dicta inveniemur? Quod jure locari accipitur, cum per se justum sit, etiam si exigatur a paupere, justum est, ac proinde nec *injustum*, nec *alienum*, nec (si solutum fuerit) *restituendum* dici potest. Inhumanitas quidem charitati adversa exerceri quandoque potest in pauperes, si cum oppressione immisericorditer ab iis exigatur, quod juste debent; injustitia autem non potest. Cum ergo usuram SS. Patres notarint injustitiæ, ea malitia noverunt infectam, quæ a sola pauperum conditione non pendet; ac propterea non minus condemnanda est, si exigatur a paupere, quam si exigatur a divite, cum quo injustitiam exercere non licet.

## §. III.

*Tertium argumentum ex testimoniis Patrum generatim expressis.*

4. Dein si quædam Patrum testimonia pauperes obtrudunt, alia absque ulla pauperum mentione ita universim damnant usuram, ut hæc ad solos pauperes restringere nemo possit, nisi qui aliunde divites exclusos probare queat. Protestantes, qui Patrum traditionem nihili faciunt, uti faciunt Jansenistę usurarum patroni, quos impugnamus, has generales Patrum locutiones de universis etiam divitibus accipiendas fatentur. Nisi obstaret apud adversarios memoratos reverentia in Patres, idem faterentur & ipsi, uti fateri profecto debent, si recte ratiocinari velint. Cum enim quod generale est, omnes, nisi qui aliunde excipiantur, comprehendat, generalia Patrum testimonia complectantur oportet etiam divites, si ex nullo expresso textu excipiendi probentur: textus autem, qui pauperes inculcant, quique soli ab adversariis allegari queunt, divites per sese nequaquam excludere satis ex dictis manifestum est. Porro generales ejusmodi textus, prætergquamquod in ipsis sermonibus identidem inveniuntur, sexcenti sane ex canonibus suppetunt. Canones autem

autem cum appello, Ecclesiæ leges appello, quæ cum majorem ligandi vim afferant, quam conciones, explicatiores, & ab æquivocationibus alienæ esse solent, ne quem generali formula alligent, qui alligandus non sit, & ne innocentes una cum reis eadem condemnatione involvantur, quod a cura, & diligentia Patrum, qui canones condidere, alienissimum fuit. In casibus quidem raris, qui præter opinionem aliquando contingunt, evenire potest, ut casus non excipiantur alias excipiendi, quod prævisi non fuerint; at in frequentioribus, & notis, si casus nullus excipiatur, argumentum est omnes includi. Porro inter canones, qui usuram reprobaverunt, vix unus, aut alter (1) peculiaribus fere de caussis pauperes memorat; cum ceteri centeni, & centeni ita universim, sine ulla divitum, aut mercatorum exceptione, eandem damnarint, uti alia damnarunt crimina furti, adulterii &c., quæ omnes nulla exceptione complectuntur; immo & nonnunquam una cum his usuram damnarunt, ut æque generali prohibitione omnia interdici significarent. Num ex uno, vel altero canone, qui pauperes exprimit, sexcenti explicandi? an potius ex sexcentis explicandus canon unus, aut alter? Generalis lex tot locis sancita, quę per se neminem excipit, haud restringenda ex iis locis, quæ dum illam peculiaribus casibus accomodant, ceteros non excludunt. Id ut fiat, expressa loca, quæ casum aliquem excipiant, afferenda sunt, non autem illa, quę unum casum sine exceptione alterius producant in medium. Cum adversarii a nobis petant expressa Patrum testimonia, quæ divites designent, dabimus illa quidem capite sequenti: at interim si etiam nihil tale possemus afferre, quod nobis generali lege munitis opus non est, nos æquius ab iisdem expressos requirimus textus, qui ab ea generali lege divites excludant. Quod si ne uno quidem testimonio efficere possunt; de divitibus, ea lege, quæ omnes includit, excipiendis, frustra laborabunt. Enimvero si Patribus ea mens fuisset, usuram non esse nisi ex pauperum conditione interdictam; cum legem tulerunt: *Non fœnerandum*, nonne addidissent *cum paupere?* Quis adversariorum hoc omitteret? Cum in horum sententia fœnus per se ita liceat, ac domus locatæ pensio, quæ ex sola pauperum oppressione illicita reddi potest; indubium quidem est Patres, si prohibere voluissent speciali textu importunam exactionem pensionis domorum cum pauperum oppressione conjunctam, nunquam generatim sanxissent: *Non exigendam pensionem domorum*, sed addidissent conditionem, a qua tota pendet eius exactionis malitia, *cum non sine oppressione pauperis exigi queat*. Cur eadem cautione usi non sunt in usura vetanda, nisi quod illam non perinde a pauperum oppressione illicitam existimarunt? Videant ergo, quam perperam adversarii distinguant inter usuram, & usuræ vitium; & cum illam per se licitam prædicant, tum vero hoc, quod unum malum, & vetitum putant, a pauperum oppressione derivant. Patres si in hac fuissent sententia, non usuram, sed usuræ vitium, idest pauperum oppressionem, pro-

(1) Ita Concilium Parisiense IV. an. 828. lib. 1. c. 35. in describendis usurarii abusibus idcirco immoratur, quia non ferebat legem, quæ paucis ferri solet, sed ea abusuum descriptione legem ab Imperatore obtinere nitebatur. Aliæ Synodi casibus locorum peculiaribus in pauperum subsidium providere voluere.

prohibuissent; uti sane hoc unum expresse vetarent adversarii, si legem circa usuram ferrent. Nunquid enim in lege vetante exprimendum est quod licet; quod autem illicitum efficit, reticendum? Cum ergo Patres de hac conditione exprimenda non fuerint soliciti; usuræ vitium non in ea conditione, sed in usura ipsa eos collocasse manifestum est, unde illam generatim prohibere non dubitarunt, quod generatim cum omnibus, sive pauperibus, sive non pauperibus, vetita sit.

### §. IV.

*Argumentum quartum e canonibus, qui usuram æque in Clericis, ac Laicis damnant; cum tamen Clericis certo vetitum sit, ne a ditioribus quidem usuram percipiant.*

5. Enim vero sunt leges, & canones de usura Clericis vetita, ub æque generalibus verbis Patres utuntur, ac cum de usura Laicorum decernunt. Porro usura Clericorum, non solum cum pauperibus, sed etiam cum divitibus vetita iisdem canonibus intelligitur, ut ipsi adversarii fatentur. Quis igitur Laicorum usura æque generalibus verbis interdicta aliter sensisse eosdem Patres credat? Si hoc non est comminisci ex arbitrio, quid unquam erit? Accedit quod iisdem canonibus ea Scripturarum testimonia fere allegantur, quæ pauperes non memorant: quæque sicut in Clericis non restringuntur ad casus pauperum, ita nec in Laicis restringenda sunt. Cum adversarii contendunt Patrum textus explicandos ex iis, in quibus pauperum fit mentio, videant, rogo, quid nitantur? Num ad has tantum circumstantias legem datam Clericis coercendam affirmare audeant? Si hoc non possunt, quia interdictum in Clericis generale est; cur illud constringent in Laicis, qui una eademque lege pariter obligantur?

### §. V.

*Quintum argumentum ab iis testimoniis Patrum, ubi in aliis legibus, quæ exceptionem ferunt, exceptiones non omisere, nunquam autem in usura exceperunt.*

6. Incredibile profecto est potuisse Patres credere usuram cum divitibus licitam, nec tamen inter multa loca, ubi de usura loquuntur, hujus exceptionis uspiam meminisse. Video exceptum fuisse aliis in rebus, quæ, licitæ per se, ex solo abusu illicitæ sunt. Et quando adversarii perinde de fœneratione loquuntur, ac de commercio, quod suapte natura licitum, & legitimum est, ex solo autem abusu, & vitiis intermixtis illicitum; notum proculdubio est, quantum Patres in negotiationem, & negotiatores declamarint; quantoque nisu fraudes, avaritiam, mendacia, ceteraque vitia eidem fere adjecta insectati sint. At cum ipsa negotiatio per se sit honesta, & licita, ea autem negotiatorum, non negotiationis vitia sint, quæ moderatione christiana separari ab ipsa negotiatione queunt; iidem Sancti Patres solis vitiis damnatis, nonnunquam negotiationem ipsam laudasse, & approbasse inveniuntur; ut patet inter ceteros ex S. Augustino Enarrat. in Ps. 70. v. 17., ubi postquam in ea vitia disseruit, hanc monitionem posuit: *Ista hominum, non rerum peccata sunt ... Ipsi mali sunt, non ars, quam profitentur.* Si usuram æque per se licitam, & honestam putassent, ita ut ex sola pauperum conditione, atque oppressione illicita sit, qui fieri potuisset, ut usuram, & usurarios semper damnarent, nunquam autem hoc, aut alio quovis usuræ vitio condemnato, ipsam usuram a ditioribus (quod non ita raro contingebat) ad

ad legum civilium limites exactam exciperent, atque probarent? Frustra quæret, quicunque velit, unum testimonium. Quod, in testimoniis tam innumeris, quæ de usura ex proposito loquuntur, nec inadvertentiæ, nec rigidiori locutioni Patrum verti potest; sed in eam solam caussam referendum est, quod scirent quidem negotiationem, ceterasque artes, certis conditionibus licitas esse, usuram autem nullo casu, exceptione, vel conditione, licitam scirent. Hinc Augustinus, quem in discernenda quidem negotiatione per se licita a negotiatorum vitiis solicitum vidimus, quia *ipsi mali sunt, non ars quam profitentur*, nihil tale inter fœnerationem, & fœneratorum vitia distinguens, hanc ipsam per sese artibus nequitiæ accensuit Enar. in Ps. 128. n. 6., & rationem affert Enar. in Ps. 54., quia *mala est*, nimirum ipsa per se: *Usura, & dolus non absconduntur saltem, quia mala sunt*; queriturque eam vocari (1) artem, ac si ejus honesta professio esse possit, quæ per se mala, seu, ut alibi sæpissime probat, a Deo interdicta universim est. Qua quidem de caussa ipse Mahumedes usuram in Alcorano interdicturus, obstrepentibus nonnullis, qui dicebant, non eam magis esse vetandam, quam mercaturam, respondit, *Deum permisisse mercaturam, at usuram vetuisse*, ut in Surata Corani secunda. Neque Mahumedis hac in re sententiam quispiam irrideat, quippe quæ a divina veteri lege in Mahumedanos traducta est. Nihil ergo mirum, si eandem ab eodem fonte susceperunt Sancti Patres, qui cum eam legem in Evangelio confirmatam crederent, usuram omnem nulla exceptione vetitam, & malam debebant judicare.

Apud Salmas. de Usur. c. 21. p. 678.

7. Hæc autem ipsorum mens patebit multo luculentius, si quis consideret eosdem Patres, de prohibitione usuræ simul ac de aliis præceptis nonnunquam locutos, excepisse in aliis, in quibus excipi poterat, in usura autem non excepisse. Sulpicius Severus l. 1. Historiæ, pauca indicans antiquæ legis præceptiones, viduæ, orphani, pauperis meminit in lege de non urgendo debitore, de pignore &c., non autem in lege de usura, quam unam sine ulla ejusmodi restrictione non posuisset, si hanc æque ad casus pauperum restringendam putasset. Sic autem ille: *Viduam, & Orphanum non premendos. Pauperem debitorem non perurgendum. Nec usuram poscendam. Vestimentum pauperis pro pignore non accipiendum.* Quia prohibitio usuræ neminem excipit, absque ullo discrimine *usuram non poscendam* affirmavit Sulpicius, qui alia præcepta erga solos pauperes exercenda cum quadam restrictione proposuit. Tertullianus l. 4. adversus Marcionem c. 17., & S. Hieronymus in Ezechiel. cap. 18., differentes de usura, quam non recipere jubemur, nec non de pignore, quod jubemur reddere, distinguunt in pignore, in usura autem non distinguunt: *Et pignus reddit, si non sit solvendo*, idest pauperi, inquit Tertullianus; Hieronymus autem pignora divitibus haud reddenda ex præcepto monuit, cum tamen *ab omnibus usuram prohiberi* testetur. Eusebius Cæsareensis, S. Hilarius, & alii commentantes Psalmum 14., ubi de usura, & muneribus agitur, excipiunt in muneribus, dijudicantes quæ licite, & quæ illicite percipiantur; qui tamen in usura nihil excipiunt. In illa enim verba: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera*



(1) *Fœnus & professionem habet; fœnus & ars vocatur, corpus dicitur, . . . . . . . & de professione sua vectigal impendit; usque adeo in platea est, quod saltem abscondendum erat.*

*nera super innocentem non accepit*, quibus ipse Psalmista usuram nulla exceptione damnat, munera autem non sine restrictione coarguit, hanc inter munera distinctionem ponit Eusebius: *Is fortasse munus admittat, dum nihil molestiæ, detrimenti nihil offerentibus importat; sin casu eveniat, ut in alterius detrimentum vergat, tunc si munera accipiat, omnia, quæ supra dicta sunt, prorsus evertit*; & S. Hilarius n. 16. *Est quædam*, inquit, *munerum consuetudo, quæ honorem afferant largienti, ita ut maximi doloris sit oblata contemni, quam damni donasse, quæ sumta sunt. Igitur ea munera, quæ in alterius operarentur injuriam, inhibuit. Nam si usum munerum omnino abstulisset, satis fuerat dixisse: Et munera non accepit. Sed quia simplex donorum usus, aut ex hominis, aut etiam ex Dei reverentia venit, ea vetuit munera, quæ integritatem judicii corrumperent, quæ innocentis injuriam emerent, quæ nullum in se charitatis officium continerent*. Nihil tale, vel Eusebius, vel Hilarius, vel alius quivis de usura, dum de muneribus tam aperta distinctio: cujus distinctionis non alia ratio est, nisi quia non omne munus, a quocunque accipiatur, illicitum; omnem vero usuram, a quocunque, etiam divite, proveniat, illicitam, & injustam sciebant. In quo ipsum Prophetam ducem secuti sunt, qui si, Hilario observante, *usum munerum omnino abstulisset, satis fuerat dixisse: Et munera non accepit*; omnem utique usuram ablaturus (uti sane etiam cum divitibus vetita erat Hebræis) nulla exceptione dixit: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Parem autem Christianis, ac Hebræis legem manere cum scirent Sancti Patres, nullum pariter casum in usura, sicut in muneribus aliquem eximendum judicarunt.

## §. VI.

*Sextum argumentum ex auditorum querelis adversus Patres contra usuram perorantes, quibus nemo ausus fuisset obmurmurare, si solam pauperum oppressionem iidem reprehendissent. Ad hos tumultus sedandos non monuere de licito cum mercatoribus, ac divitibus fœnore, sed omnem omnino usuram damnarunt. Citius alias vias honesti lucri innuerunt pro usura sufficiendas, nunquam autem usuram cum ditioribus.*

8. HAnc eandem Patrum mentem satis certam, & exploratam etiam atque etiam confirmant illæ auditorum querelæ, quæ nonnunquam adversus eosdem Patres contra usuram perorantes in ipsis Ecclesiis palam excitatæ fuerunt. Meminit illarum S. Gregorius Nyssenus sub finem orationis contra fœneratores: *Novi & ego vestrum murmur, dentiumque fremitum, etsi vos ex hoc loco superiore sæpius in recta sententia firmare coner*. Et S. Ambrosius de murmure ante biduum exorto lib. de Tobia c. 23. n. 88. *Nec fallit dixisse aliquos, cum ante hoc biduum tractatus noster eorum compunxisset affectum. Quid sibi voluit Episcopus contra fœneratores tractare?* Fœneratorum autem fuisse istiusmodi querelas indicat & S. Ambrosius, cum eos conquerentes inducit, quorum affectus ex ipsa concione fuerat compunctus, & S. Gregorius Nyssenus, cum eorundem minitationem subjicit: *Ergo a mutuo dando supersedebimus*. Nunc, quæso, si Sancti Patres,

tres, dum fœneratores pro concione arguebant, solas usuras, quæ pauperes opprimunt, reprehendissent; quis fœnerator tam impudens, in ipsa Ecclesia, coram fideli populo, adversus Sanctos Episcopos obmurmurare ausus fuisset? Nonne timendum ipsis, ac verendum maxime, ne, si quid obstreperent, reprimerentur ab auditoribus ipsis, atque condemnarentur? Quis enim istorum crudelitatem, a qua ipsa humana natura in pauperum subsidium inclinata maxime refugit, æquo animo tulisset? Si ex bona fide adversarii respondere velint, affirmabuntne conciones Patrum adversus usuram potuisse tantas turbas commovere, si solum cum pauperibus fœnus condemnassent? Quis, nedum Catholicus, sed & Calvinista usurarum patronus vel hodie auderet conqueri de eo Oratore Sacro, qui in tantam inhumanitatem solummodo declamaret? Itaque non solum pauperum oppressionem Patres reprehendisse, cum fœnus, & fœneratores damnarunt, sed, ut eorum sane ferunt verba, * *generaliter* perstrinxisse eos omnem usuram, etiam sine ulla oppressione a ditioribus, vel mercatoribus exactam, populus ipse intellexit, cum de hujus tantum excusabilis, ut vulgo videtur, usuræ condemnatione excitari murmur potuerit.

(*) S. Ambros. de Tobia c. 15. n. 52.

9. Ad hosce quidem motus saltem compescendos, si aliud Patribus visum fuisset, quam verba ipsorum in antecedentibus concionibus præiulerant, non tam facile, quam necessarium erat remedium, distinguere inter usuram, ac monere se damnare unam usuram, quæ pauperes gravat, non autem illam, quæ a ditioribus, vel mercatoribus exigitur. Monstrato, atque concesso hoc fœnore, quod cum divitibus multo tutius est, quam cum pauperibus, quis fœnerator turbas, & clamores excitasset? Si hodie post concionem adversus fœneratores apud usurarum patronos simile murmur exoriretur, ii proculdubio reponerent *Si jure reprehendi non vultis, desini.: pauperes usuris opprimere, iisque, dum egent, ex præcepto dominico mutuum date, nihil inde sperantes. Quod si lucrari cupitis ad alendam familiam, ad publica, & privata onera ferenda, ad conditionem tuendam, vel alia quavis de causa, est usura moderata genus licitum, quod nulla, nec divina, nec humana lex prohibet, quo nemo opprimitur, floret commercium &c. mutuum scilicet sub legitimis usuris traditum divitibus, ac negotiatoribus, seu iis, quibus mutuum lucri occasio est.* Quidni Sancti Patres simile quiddam dixissent, si in eadem de usuris fuissent sententia?

10. Quod si hæc Patres monenda non duxerunt, ad fœneratorum rumores cohibendos, qui hac una monitione facillime conquievissent; pretermittenda certe non erant, ipso animarum zelo impellente, sive ut proposita hac licita fœnerandi ratione, ab illicitis Christianos avocarent, sive ne fidelibus piis, ac vere Christianis divinam legem diligentibus laqueos injicerent, eosdemque generali usuræ condemnatione ab usuris etiam licitis, si quæ sunt ejusmodi, vana religione, & inanibus scrupulis deterrerent. Cur non monuerunt populum: *Pro pauperibus opprimendis lucri causa date pecuniam ad usuram divitibus. Ita fors vobis erit tutior, & lucrum honestum. Deus vobis hanc usuram permittit, nec quisquam eam reprhendere potest. Cessent murmura, scrupuli abeant, conscientia tuta esto?* Quid ab his Patres prohibuit, si quod fœnus honestum putassent?

11. Immo hac in hypothesi omittere monitionem tot capitibus necessariam, a charitate, & consuetudine eorundem Patrum aberat. Dum enim adversus usuram disputarunt, nonne in eosdem fines ali-

 as

as (1) nonnunquam vias indicarunt, quibus legitimum lucrum quæreretur? *An non multa sunt justa negotiationes, agrorum, gregum, armentorum* &c. inquiebat S. Joannes Chrysostomus Hom. 56. al 57. in Matthæum, ubi usuram late persequitur. Cur ergo non æque hanc, aliqui saltem, alicubi proposuissent fœnoris cum divitibus, & mercatoribus stipulandi rationem, quæ multo facilior, & paratior erat, si hanc æque licitam, & justam credidissent? Cur hoc inter ceteros non proposuit Augustinus, ut iis satisfaceret, qui vivendi necessitatem objiciebant: *Non habeo aliud unde vivam?* Inauditum plane hoc ante Patarenorum, seu Calvini tempora.

In Psal. 128. n. 6.

22. Adeo vero ab hujusmodi re proponenda Sancti Patres fuerunt alieni, ut potius nullum fœnus licitum, omne autem illicitum, ac omnino evellendum constanter denunciarint; nec fœneratorum querelis, aut minationibus territi, tanto sibi gravius perorandum ducentes, quanto illi vehementius conquerebantur, divinam illam legem inculcabant, quæ dum *generaliter*, ut Ambrosius ajebat, *omne sortis exclusit augmentum*, distinctione nulla, omne, non solum cum pauperibus, sed & cum divitibus, atque negotiatoribus, augmentum exclusit. Hinc etiam Augustinus objicientibus *Non habeo aliud unde vivam*, omne fœnus ita fugiendum indixit, uti furtum, lenocinium, veneficium omne, quæ generatim nulla exceptione illicita sunt. Hoc argumentum, si recte intelligatur, evidens est. Si enim Patres, ne in his quidem arctissimis circumstantiis publicarum querelarum, ac turbarum, in quibus non tam murmur omne sedandum erat, sed & scrupuli, & peccandi periculum erant avertenda, quod totum ea sola

De Tobia c. 15. n. 51.

In Psal. 128. n. 6.

(1) Sanctus Hilarius in Ps. 14. n. 16. sese valde solicitum præbens, ne Christiani nimium meticulosi crederent, sub *usurarum nomine* omne lucrum prohiberi, hunc scrupulum exempturus, non usuram aliquam cum divitibus, aut mercatoribus licitam indicavit, restringens hac ratione, quæ adversus usuram universim disseruerat; sed solum monuit usurarum nomine solam usuram damnari, non vero omnem aliam acquirendi viam, dum honesta, & moderata sit, quemadmodum de muneribus Psaltes subjecit: *Sed ne durus sermo admonitionis istius crederetur, tanquam si penitus sub usurarum nomine habendi curam removissent, non igitur acquirendi solicitudinem abstulit; quin etiam modestiam accipiendi muneris temperavit, dicens ad id, quod dixerat: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.* Neque opponas Hilarium adversus usuras disserentem n. 15. invehi in usuras, quas pauperes gravant. Observandum nimirum est Hilarium initio expositionis monere, hoc in Psalmo contineri *admonitionem cœlestem, qua usque ad perfectam consummationem tendit*. Qua porro esset hæc *perfecta consummatio ex admonitione cœlesti* in usura vitandæ, ut eo Psalmo præcipitur, si in id solum spectare credidisset, ne pauperes opprimerentur? Nonne etiam ethnici, & publicani viri probi, ac liberales, ipsa naturali lege, ac humanitate impellente, hoc faciunt? Absit, ne de piissimo, ac doctissimo Patre tam angustam *perfectæ consummationis*, ac justitiæ notionem suspicemur. Pauperum igitur oppressionem cum potissimum detestatus est, non restrictionem voluit innuere *cœlestis admonitionis, qua perfectam consummationem* prospicit, sed vitium frequentius reprehendere, ut superius explicavimus.

sola distinctione inter licitum, & illicitum fœnus percommode factum fuisset; si, inquam, Patres ad hos justissimos fines nulla ejusmodi distinctione usi, alias potius aliorum contractuum vias monstrarunt, nihil autem aliquando subindicarunt de hac, quæ tamen & facilior, & ex ipso argumento satis obvia erat; et non solum non indicarunt licitum fœnus ullum, sed omne generatim tanquam illicitum, iisdem quoque in circumstantiis, omnino reprobandum prodidere, evidens profecto est, eos nescisse prorsus hanc distinctionem, omnemque proinde usuram, etiam cum divitibus, ac mercatoribus initam, eos illicitam credidisse manifestissime sequitur.

## §. VII.

*Septimum argumentum ex definitione usuræ a Patribus tradita, quæ cuique usuræ, etiam a divitibus exactæ, congruit. Expungitur novitia adversariorum distinctio inter usuram, & usuræ vitium.*

23. SEd eja age confirmemus hæc omnia peculiaribus testimoniis Patrum, quæ ita omnem inter omnes usuram damnant, ut nemo divites, aut negotiatores subducere possit. Et primo quidem considerandum est, quid usuræ nomine Patres intellexerint, cum usuram damnarunt. Lib. II. cap. 2. plura Patrum loca protulimus, unde exploratum fit, eos usuræ nomine omne supra sortem augmentum appellare; eumque id expresse definiant iis ipsis in locis, ubi usuram damnant, idem penes ipsos esse damnare usuram, ac omne ejusmodi augmentum damnare, ibidem statuimus. Hinc quidem usuræ culpam in eo sitam constanter dicunt, quod quis *augmentum, aut plus, quam dederit, accipiat*. Quod si pauperum oppressionem, aliaque id genus mala identidem describunt, in quibus peculiare quoddam vitium est, nullibi tamen in his usuræ per se notionem, aut malitiam collocarunt, quam in eo augmento, quodcunque sit, constanter posuere. Si cuncta Patrum opera diligenter, ac bona fide pervolvantur, & loca singula notentur, ubi de notione, ac malitia usuræ agitur, nihil aliud occurret.

24. Soli adversarii, quos hac in disputatione potissimum impugnamus, usuræ naturam ab usuræ vitio distinguentes, eam quidem in omni accessione sitam concedunt, solam autem oppressionem pauperum ipsi vitio dant. Sic enim Anonymus usurarum patronus in Epist. ad Petit-pied diei 5. Nov. an. 1739. *Autre est la nature de l'usure, autre le vice de l'usure: la nature est de tirer quelque chose au de là du prêt, le vice de le tirer d'un pauvre.* Supplement aux lettres Theologiques Ep. 9. n. 6. pag. 32. De usuræ itaque natura non dissentit; unde opponenti, *L'oppression des pauvres n'est point ce qui fait l'usure*, respondet, *J'en conviens avec vous:* diserte enim docuerat auctor tractatus *des prets de commerce* pag. 7., quod in Sacra Scriptura *tous les textes disent que c'est un furajonte au fort principal. Les Peres s'expriment de la meme maniere. L'usure selon Tertullien c'est la furabondance du pret. Selon S. Ambroise c'est tout ce qui est ajouté au fort principal. C'est selon S. Augustin esperer de recevoir plus, qu'on n'a donné. C'est là selon l'Ecriture, & la Tradition la nature de l'usure.* Sola dissensio est de usuræ vitio, quod non a natura usuræ, sed ab oppressione pauperum repetendum adversarii existimant; unde ejusdem Tractatus Auctor post recitata verba statim subjicit: *Mais son vice consiste à prendre cet excedant sur la substance & le bien du pauvre.* Et pag. 8. ait: *L'usure pour en donner une definition exacte, qui comprenne sa nature & son vice, est*

tout

*tout ce qui s' exige du pauvre au delà de ce qui lui a été prêté pour le soulager dans son besoin.*

15. Cum de Sanctorum Patrum sententia hoc loco agamus, si quod adversarii obtrudunt, testimoniis Patrum probarent, quibus eos solam pauperum oppressionem, non autem ipsam naturam in usura damnasse liqueret, nihil esset repugnandum. At unde, quæso, id probant, vel probare contendunt? Testimonia, quibus illi in pauperum oppressionem declamant, etsi ad vitium, quod usuræ accidens maxime damnabile est, proponendum pertineant; non tamen ex eorundem Patrum mente spectant ad explicandam naturam simul, & malitiam ipsius usuræ, in qua illi cum constanter ipsam quamlibet sortis accessionem per se universim damnent, ipsam per se damnant usuræ naturam, uti apud Lactantium l. 6. Instit. c. 18. *Plus accipere, quam dederit, injustum est.* Et apud Augustinum serm. 3. in Ps. 36. n. 6. *Si plus, quam dedisti, expectes accipere, fænerator es.* Confer testimonia capite allegato recitata, ac Patrum ipsorum contextum consule, nec dubito quin adversariorum novitatem, atque audaciam demiraberis, cum eam vitii fœneratitii notionem, quam ipsi sibi confixerunt, Patribus tribuunt. Si ergo ex Patrum sententia usuræ natura, simul ac vitium, in ipsa accessione supra sortem sita sunt; a quocunque hæc accessio exigatur, sive pauper, sive dives, aut mercator sit, ab eo exigitur usura, ac usuræ vitium, quod Patres damnant, admittitur.

## §. VIII.

### *Argumentum octavum ex ratione a Patribus adversus usuram allegata, qua æque usuram omnem a quocunque perceptam damnat.*

16. Idipsum confirmat ratio, quam adversus usuram, ex pecunia fœtus gignendi impotente, iidem Patres allegant. S. Gregorius Nyssenus in oratione contra fœneratores: *Tu vero æris, & auri, rerum, quæ non pariunt, ne quære fœtum.* Similia ab aliis Patribus identidem dicuntur, quæ deinceps a Theologis uno consensu accepta, in ipso Lateranensi Concilio sub Leone X. ad Evangelicam usuræ proscriptionem a ratione statuendam allegata fuerunt Sess. 10. *Cum Dominus noster, Luca Evangelista testante, aperto nos præcepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus. Ea enim est propria usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo sumtu, nullove periculo, lucrum, fœtusque conquiri (1) studetur.* Hæc autem ra-

(1) Observatio quædam in præsentem materiam non inutilis prætermittenda hoc loco non est. Agebatur in hoc Concilio de Montibus pietatis, quos quidam usurarios putabant: ac proinde agebatur de usura, quam a pauperibus iidem Montes exigebant. Duo autem ad usuræ malitiam demonstrandam allata fuere, alterum a divino jure, quod ex Evangelio petitum fuit, a ratione alterum, ut ex ipsa ratione, mala probaretur usura divino jure interdicta. Hæc autem malitia usuræ, non ex oppressione peculiari pauperum, quæ ibidem allegari potuisset, sed ex ea potius generali ratione, quæ usuram, sive a pauperibus, sive a divitibus exactam, in se malam probat, petenda visa est. Concilium, etsi Montes probavit, quos hi auctores improbabant, non tamen alia ratione probavit, nisi quia ibi usura non est, ut l. II. c. 10. pluribus ostendi. Ceterum hac in ratione, ubi de usura agitur, nemo discrepavit: unde usuram hac ratione proscriptam, a quocunque, etiam divite, aut negotiatore exigeretur, malam, & illicitam omnes senserunt.

ratio utrum legitima sit, nec ne, in præsentiarum nihil refert. Eam certe Patres cum allegarunt, credidere legitimam: quod mihi nunc satis est, ut cum hæc ratio non propria usuræ pauperum sit, sed æque cadat in usuram, quæ a pecunia divitibus, ac mercatoribus mutuo tradita exigitur, Patres hanc rationem inculcantes, æque usuram pauperum, ac divitum condemnasse noscantur. Hæc porro ratio, etsi falsa ab adversariis præferatur, quod expendemus libro sequenti; cum tamen Patres non hac ratione, sed Scriptura, ac traditione ducti damnarint usuram, eamque divini juris damnationem crediderint ea ratione confirmandam, quæ omnes, & pauperes, & divites, complectatur; proculdubio omnes, & pauperes, & divites, eodem jure comprehensos credidisse ex ea ratione colligitur.

## §. IX.

### *Peculiaria testimonia Patrum, quæ neminem excipiendum, & omnes comprehendendos denuntiant.*

17. Sed quis hac super re ambigere queat, si generalem consideret aliquorum locorum locutionem, quæ *neminem* excipiendum, aut *omnes* comprehendendos expresse monet? Tertullianus l. 4. adversus Marcionem, probaturus legis cum Evangelio consensum, comparationem peculiarem instituit eorum, quæ de donandi, aut mutuandi officio, lex, & Christus præscripsit. Et primo quidem c. 16., de dono affert illa Christi; *Omni petenti te dato*. Subdit autem Tertullianus hanc adnotationem: *Utique indigenti, vel tanto magis indigenti, si etiam abundanti*. Hic *abundantis* nomen divitem indicat, cui, si interdum egeat, & petat, ex Christi institutione dandum esse ait, sed *indigenti* multo magis. Idem porro de indigentibus præceptum in veteri lege ita probat ex Deuteronomio, ut dandi officium conjungat cum officio mutuandi, de quo plura se dicturum pollicetur, uti sane dicit cap. 17. Tandem utriusque legis consensum in hisce officiis demonstrans, hoc unum discrimen subjicit, quo lex Evangelica idem donationis, ac mutuationis multo magis officium, ex lege veteri solis fratribus debitum, ad omnes nulla exceptione extendat: *Non aliud Christus in omnes præcipit, quod Creator in fratres.... Quandiu intra Israelem erat Sacramentum, merito in solos fratres misericordiam mandabat. At ubi Christo dedit gentes hereditatem ...... exinde Christus in omnes legem paternæ benignitatis extendit, neminem excipiens in miseratione, sicut in vocatione*. Ubi nemo excipiendus, sive in dono, sive in mutuo, quod minus officium est; ne *abundans* quidem, seu dives, vel negotiator excipitur. Porro mutuandi officium a lege Evangelica præceptum omnem usuram excludere, ut excludebat in lege veteri, Tertullianus probat c. 17. Hoc ergo officium ad majorem perfectionem in Evangelio provectum, ut idem contendit, si nulla exceptione *fratribus* impendendum erat ex ipsa veteri lege, nulla multo magis exceptione *omnibus* in Evangelio impendendum est, in quo Christus *neminem* excepit *in miseratione, sicut in vocatione*. Itaque sicut in vocatione nemo, sive pauper, sive dives, sive indigens, sive abundans, exceptus est; ita nemo ab iisdem officiis excipiendus. Principium igitur inter Patres erat exploratum, & constans, nec Judæum ex lege veteri potuisse cuipiam fratri, sive pauperi, sive diviti, ad usuram dare, nec id posse Christianum erga quemvis hominem, quippe cui omnes, nemine excepto, in vocatione, & miseratione fratres sunt.

18. S. Ambrosius de Tobia c. 15. n. 52. *In Levitico praescribit lex, usuram a fratre non esse poscendam. Sic enim habet: Et vivet frater tuus tecum; pecuniam tuam non dabis illi in usuram, & in amplius recipiendum non dabis illi escas tuas. Generaliter hac sententia Dei omne sortis excludit augmentum.* Qui *omne augmentum*, & *generaliter* quidem excludit, non solum augmentum a pauperibus, sed a divitibus etiam excludit. Enimvero ne quis, eam Levitici legem de solis pauperibus accipiens, fœnus cum divitibus licitum putaret, S. Ambrosius in Levitici testimonio pauperis mentionem subticuit, quæ in ipsis Scripturis legitur. Alia similia apud alios observare licebit; quemadmodum hac eadem ratione S. Cyprianus l. 3. Testimon. n. 49. probaturus universalem illam propositionem *Non fœnerandum*, quæ ad omnes, etiam divites, ac mercatores, extenditur, Exodi, & Levitici testimonia prætermisit, quę pauperes memorant, & sola Deuteronomii, Davidis, & Ezechielis loca descripsit, quæ generalem legem ferunt. Sicuti vero ex ipso Deuteronomii testimonio decerpens illa *sed alieno*, insinuare voluit, ex Christi lege neminem *alienum* esse, cui mutuum sub usuris dare liceat; ita pauperum testimonia præteriens, non soli pauperi, sed nemini, vel diviti, mutuum sub usuris credendum videtur innuisse. Et sane (ut ad Ambrosium redeam) is c. 14. n. 48. explicaturus quis sit frater ille, cui mutuum ad usuram credere vetitum est, nihil inter fratrem pauperem, aut divitem distinguens, uti alia in sententia debuisset, fratrem potius iis caracteribus designat, qui æque pauperes, ac divites complectuntur; & indiscriminatim cum omnibus id genus fratribus usuram vetat: *Frater tuus consors naturæ, & coheres gratiæ: noli ab eo exigere amplius.*

19. Notanda etiam illa S. Hieronymi l. 6. in cap. 18. Ezechielis; *In principio legis a fratribus tantum fœnus tollitur, in Propheta ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele: Pecuniam suam non dedit ad usuram. Porro in Evangelio virtutis augmentum est*, &c. Quod ait *ab omnibus*, alienigenas comprehendit, quibus in Deuteronomio exclusis, usura cum solis fratribus prohibita credebatur. Si vero *omnium* notio tam late patet, ut ad alienos etiam a lege exceptos extendatur, & ad hos extendenda etiam sint generalia Prophetæ Ezechielis verba, quæ alienos non excipiunt; videant, quæso, adversarii satis æqui, num ex Hieronymi sententia ab ea generali lege possint excipi divites, aut negotiatores, certissimi sæpe fratres, qui ne ex lege quidem alienos excludente, ab Hebræis ipsis excipi poterant. Num hoc præclarum *virtutis augmentum est*, quod Hieronymus Evangelio tribuit? Cum ergo *ab omnibus usura prohibetur*, non tam *omnibus* quam *ab omnibus*, ne quis a quopiam, sive fratre, sive alieno, sive paupere, sive divite usuram capiat, prohibetur.

20. Ne autem pluribus antiquis distinear, duobus, iisque brevioribus, mediæ, ac inferioris Patrum ætatis, testimoniis contentus ero. Antiochus Monachus Palæstinus, dum initio septimi seculi Hom. 12. scripsit, *in genere nulli non Christiano interdictum esse artificio quovis exercenda usura*, nullum utique usuræ genus, saltem cum divitibus, aut mercatoribus, licitum putavit. Halitgarius Auctor seculi noni, in Pœnitentiali apud Morinum c. 7. *Si quis usuras undecunque exegerit, tres annos pœniteat, unum in pane, & aqua.* Particula *undecunque*, usuram, etiam a mercatoribus, ac divitibus exactam, respicit. Hoc autem Pœnitentiale, cum de scrinio Romanæ Ecclesiæ sumtum idem

Halit-

Halitgarius in præfatione testetur; Romana utique Ecclesia omnem etiam ejusmodi usuram reprobavit. Ex his testibus ceterorum omnium Patrum mens, & sententia cognoscitur.

## §. X.

*Quædam alia argumenta exponuntur.*

22. Duo, vel tria alia argumenta hac paragrapho complectar. Primum erit ipsa quorundam veterum usurariorum veluti confessio; qui etsi usuram exercerent opere, usuræ tamen nomen maxime refugiebant. Tres Patres testes habeo. S. Ambrosius de Tobia c. 14. n. 49. *Si licitum est, cur vocabulum refugis, cur velamen obtendis?* S. Gregorius Nyssenus Hom. in usurarios: *Scelus pulchris obvelant nominibus, humanum censum, seu quæstum appellantes, Ethnicorum instar, qui Deas quasdam odio in cunctos inflammatas, hominumque interfectrices, nominant Eumenides.* S. Maximus Episcopus Taurinensis Homil. contra avaritiam: *Erubescit usura nomen, & lucrum non erubescit usura.* Quid in ipsis usurariis tantus ejus nominis horror, nisi quia omnem usuram malam esse, Patrum, & Episcoporum traditione acceperant? Si qua usura a locupletibus exacta, habita fuisset honesta, nihil erat quod nomen vitaretur, præsertim si malitia, & vitium, non ex ipso fœnore, sed ex circumstantia oppressionis pauperum penderet. Quot alios in contractus idem oppressionis vitium cadere potest, nec tamen horrori est nomen, quod aliis casibus ab oppressione remotis sine crimine convenit? Si ergo usuræ nomen in odium, & reprehensionem hominum generatim incurrebat; id ea de caussa accidit, quod nulla usura ex Patrum, & Episcoporum doctrina vulgo haberetur licita, ac proinde ne illa quidem, quæ ad legum normam a divitibus, vel mercatoribus perciperetur. Addam & aliud ex S. Hieronymi commentario in c. 18. Ezechielis Prophetæ. Quidam ex indoctiori plebecula, ut secum liberalius agerent, distinguentes, non inter pauperem, & divitem, sed inter usuram pecuniæ, & aliarum specierum, usuram credebant *tantum esse in pecunia*, eo quod lucrum aliis speciebus exactum *doni* nomine, ab usura abesse putarent. Si quod fœnus perceptum a divitibus habitum fuisset licitum, qui fieri potuisset, ut omnis usura *in pecunia* illicita crederetur? Nonne fere divites, ac mercatores *in pecunia* fœnus solvunt? Quid solam *doni* rationem in aliis speciebus usuram purgare posse quidam fœneratores judicassent, si quæ cum locupletibus usuræ stipulatio licuisset? Utramque autem cum Patres reprehenderent, tum quæ ex pecunia, tum quæ ex speciebus aliis, ementito doni nomine, usura rediret; nonne illorum doctrina omnem usuram damnans evidenter agnoscitur?

23. Aliud argumentum suggerit S. Joannes Chrysostomus Homil. 56. al 57. in Matthæum, ubi divinam legem circa fœnus omnibus Christianis positam non inferiorem testatur lege humana, quæ ea ætate ligabat Senatores, quibus omnis usura interdicta erat. Integrum textum recitavimus lib. II. c. 7. §. 4. Qui aliquam cum divitibus usuram Christianis licere existimant, num aliquam id genus usuram Senatoribus ex humana lege permissam ostendere poterunt?

24. Tertium efficacissimum argumentum sumi potest ex Legibus Imperatorum Basilii, & Leonis sapientis. Primus omnem legem, quę permittebat usuram *jure divino interdictam*, abrogavit, *ne dum juri servando studiosius addicti sumus, legem Dei violemus*. Plus hoc testimonium contra usuram probat, quam ceteræ omnes leges, quibus usu-

usura permittebatur. Harum enim consilium ex politia civili proficisci potuit, ut publicæ rei consuleretur, cui citra usuram plerique succurrere nolunt; & ita hæ leges nihil licitum adstruentes apud Deum, in simplicem permissionem, aut tolerantiam recidunt, quam quidem solam *propter creditorum duritiem* idem Basilius adstruit. At hujus legis prohibitio originem ducere non potuit, nisi a Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ traditione, ac fide, qua omne fœnus jure divino illicitum certissime crederetur, ut laudatis quidem verbis expresse traditur. Enimvero si hæc doctrina omnino constans, & certa non fuisset, & solam usuram a pauperibus exactam Ecclesiæ Patres tradidissent illicitam; quando Imperator voluisset legem ferre, quæ juri divino servando prospiceret, satis fuisset prohibere usuram, quæ exigeretur a paupere. Ex quo autem generale interdictum Imperator tulit, quo nullum, nec a paupere, nec a divite fœnus percipere licuit, palam fit eam fuisse Ecclesiæ doctrinam, divina lege usuram vetante neminem excipi. Si Ecclesiæ Patres hoc tempore docuissent, licitum esse cum divitibus fœnus exercere, qui fieri poterat, ut sapiens Imperator tantam novitatem induceret, quæ non sisteret in solo intellectu, sed totam praxim, ac politiam antiquis legibus firmatam turbaret, atque perverteret? Id sane fieri non poterat, nisi communis catholicorum fides, & Episcoporum doctrina in omni fœnore damnando conveniret. Nemo quidem contra ipsam doctrinam, qua divinum jus in ipsa lege asserebatur, reclamavit. Quod si Leo Basilii filius patris legem abrogavit, non ea de caussa abrogavit, quod fœnus licitum cum illicito sustulisset, sed quod homines in lucrum propensi, sublato fœnore, indigentes necessario mutui subsidio privarent: *Qui enim* inquit, *antea usurarum spe ad mutuandam pecuniam promti fuerant, post latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere possint, in eos qui pecuniis indigent, difficiles, atque immites sunt.* Et paullo post: *Breviter redundantem in humana vita perversitatem, non modo non profuit legis virtus, verum etiam obfuit.* Hæc vera abrogandi caussa. Quoad doctrinam vero adeo hic Imperator divinum jus a patre assertum approbavit, ut initio legis declararit: *Si a spiritus legibus ita se mortale genus regi sineret, ut humanis præceptis nihil indigeret; id vero & decorum, & salutare esset. At quoniam se ad spiritus sublimitatem elevare, divinaque legis vocem amplecti non cujusque est; ac vero quos virtus ducat, numero valde pauci sunt: bene sese adhuc res haberet, si saltem secundum leges humanas viveretur. Quæ vocantur pecuniæ creditæ usuræ, ubique a spiritus decreto condemnantur.* Si hoc non tradidissent omnes id tempus Doctores, hic Imperator proculdubio in abroganda patris sui lege his verbis usus non fuisset. Hæc ergo pariter Leonis lex constantem omnium Patrum ejus temporis doctrinam confirmat.

25. Neque præcipuam Græcorum sententiam arbitreris: consensisse enim etiam Latinos, demonstrant Caroli Magni, & successorum leges, quæ eandem cujusvis usuræ prohibitionem omnibus præcepere, ut ex Capitularibus manifestum est. Inter cetera in Capitulari Aquisgranensi an. 789. hæc de divino jure edicuntur C. 5. *Sicut & in lege ipse Dominus præcepit; omnino omnibus interdictum est ad usuram aliquid dare.* Hæc profecto lex cum fœnus *omnino omnibus* vetuit, non tam laicos, & clericos, quam pauperes, & divites complexa est, ita ut fœnus exercere nemini liceret cum nemine. Notandum vero est, quod alibi animadvertimus, omnes Capitularium leges editas fuisse consilio, & hortatu celebrium

Epis-

Episcoporum, ac plerumque in generalibus comitiis, ubi & Episcopi, & Abbates, & alii Principes convenerant. Qui ergo tam generalis fides in omnes potuisset irrepere, nisi fuisset antiqua, & a majoribus tradita? Haud fieri potest, ut & Latini, & Græci Principes, ac Episcopi concordarent in doctrina, quæ moribus præsertim hominum valde repugnaret, nisi majorum traditio indubia haberetur. Ex his ergo legibus magis, magisque demonstratur Græcorum, ac Latinorum Patrum sententia, adeo ut sicut iisdem legibus quævis usura, & cum pauperibus, & cum divitibus, prohibita fuit, ita etiam ab omnibus & Latinis, & Græcis Patribus haberetur *jure divino interdicta*.

## §. XI.

*Ultimum demonstrativum argumentum petitum a distinctione apud Patres frequenti inter usuram divinam, seu a Deo, & humanam, seu ab hominibus quæsitam. Dum Patres illam solam divinam licere profitentur, omnem autem humanam damnant; nullam neque ex divitibus saltem quæsitam, licitam judicarunt.*

26. Confirmabo tandem hanc eandem sententiam Patrum evidentissimo, ut mihi quidem videtur, argumento, ducto ex quamplurimis ipsorum testimoniis, in quibus distinguentes inter fœnus humanum, & divinum, omne fœnus humanum illicitum, solum autem divinum licitum esse prodidere. Origenes Hom. 3. in Psal. 36. *Licet ergo mihi*, inquit, *fœnerari pecuniam Domini*, *meam autem propriam pecuniam non licet*, *quia verbum Domini prohibet humanam pecuniam fœnerari*. S. Ambrosius de Tob. cap. 2. n. 7. *Malum est fœnus*, *quo quæruntur usuræ*, *sed non illud fœnus malum*, *de quo scriptum est*: *Fœnora proximo tuo in die necessitatis illius*. *Nam & David ait*, *justus miseretur*, *& commodat*: quorum primum ad fœnus cum hominibus, alterum ad fœnus cum Deo initum pertinet: & dein postquam pecuniariam, ac humanam usuram ut illicitam insectatus est pluribus, hæc tandem de divino, ac uno licito fœnore subjicit c. 16. *Sed fœneratorum vos delectat*, *& usurarum vocabulum*. *Id quoque non invideo*. *Docebo quo modo boni fœneratores esse possitis*, *quomodo bonas quæratis usuras*. *Dicit Salomon*, *Fœnerat Domino*, *qui miseretur pauperi*: *secundum datum ejus retribuet*. *Ecce bonum fœnus de malo factum est*: *ecce irreprehensibilis fœnerator*: *ecce usura laudabilis*. Similiter S. Joannes Chrysostomus Hom. 41. in cap. 17. Geneseos: *Vide humanitatem Domini*. *In his sensibilibus pecuniis prohibuit*, *ne quis pecuniam acciperet* .... *in spiritualibus*, *se repetiturum promittit usuras &c.* & Hom. 5. in cap. 1. Matth. utrumque fœnus pariter distinguens, sensibile, seu humanum, & spiritale, seu divinum, *Hæc fœnora regnum*, inquit, *illa gehennam faciunt*. Insigne in hanc rem S. Paullini testimonium ex Epist. 32. ad Severum n. 19. dedimus l. II. c. 7. §. 4., quod hoc loco relegendum est. S. Augustinus cum sæpius eandem distinctionem ingerit, tum Serm. 357. n. 5. *Fœneratorem te vult Dominus*, *sed suum*, *non proximi tui*. Quibus concinens Beda in Psal. 36. ad illa verba: *Mutuabitur peccator*, *& non solvet*, hæc praeclare commentatur: *Non vult Dominus te esse fœneratorem*, *qui per Prophetam suum*, *illum inter milites describis suos*, *qui pecuniam suum non dedit ad usuram*; *& tamen idem Dominus jubet te esse fœneratorem*, *quia*

*dicit in Evangelio : Si fœneraveris, spem non habebis ;* & item : *Nisi fœneraveris, spem non habebis. Prohibet enim esse fœneratorem, & vult esse fœneratorem. Prohibet quidem, ne fœneres homines nummos, aut aliquid, ut plus accipias dando ; quia si hoc feceris, fœnerator eris, non laudandus, sed improbandus. Jubet ergo, ut fœneres Deum, scilicet ut des terrena, & accipias cœlestia ; des pauca, & accipias multa ; des terram, & accipias Cœlum. Et si hoc feceris, fœnerator eris non vituperandus, sed laudandus.* Cetera, quæ ex aliis Patribus afferri fusius possent, prætermitto : hæc enim satis indicio sunt.

27. Si ergo Patres solum cum Deo fœnus prodiderunt licitum, nullum autem cum hominibus ; profecto nullum cum divitibus, aut negotiatoribus fœnus licite exerceri posse docuere. Solvat hoc argumentum si quis potest, dum æqua ratione solvat. Hæ porro generales observationes a testimoniis generalibus ductæ, etsi quæque per se efficaces sint, omnium tamen complexus efficacissimus est ; ita ut si peculiares, & expressi textus deessent, quibus divites, ac negotiatores nominatim excludantur a fœnore, nihil ad rem demonstrandam desideraretur. Complectatur quivis uno intuitu omnes ; & maximam earum vim, cui resisti nequit, ex omnium coitione, atque conjunctione cognoscet.

## §. XII.

***Corollarium ex constitutis elicitur pro confirmanda condemnatione omnis vel minimæ usuræ, adversus eos, qui solam immoderatam interdictam putant.***

28. Nunc antequam ad peculiaria Patrum de negotiatoribus, ac divitibus testimonia transeam, animadversionem quandam ex generalibus testimoniis, quæ hactenus expendimus, subjicere liceat. Quæ nimirum probant, generatim judicasse Patres omnem usuram cum quibuslibet, etiam divitibus, contractam esse peccatum, ea fere omnia confirmant, quæ libro II. cap. 8. statuimus, eosdem simul credidisse, non solam immodicam, sed omnem vel minimam usuram esse interdictam. Quinque, vel sex potissimum argumenta recolenda. Primo observandum est argumentum §. 4. propositum e sacris Canonibus, quibus Patres æque usuram in clericis, ac laicis damnarunt ; cum tamen clericis omnem vel minimam usuram vetitam esse nemo ignoret. Dein si quam moderatam usuram Patres habuissent licitam, incredibile plane est, quod hujus exceptionis nullibi meminerint, cum tamen aliarum exceptionum meminerunt in aliis contractibus, in quibus excipi poterat : quod argumentum §. 5. fusius digessimus. Querelæ etiam auditorum adversus Patres contra usuram perorantes excitatæ, de quibus §. 6. actum est, omnem usuram a Patribus damnatam confirmant : quis enim de condemnatione solius immodicæ usuræ conquestus esset ? Saltem ad hos tumultus sedandos auditores monendi fuissent a Patribus de contrahendis solis usuris moderatis, atque legitimis ; quod tamen non solum isti nunquam suggessere, sed alias citius indicarunt vias honesti lucri percipiendi, ut ne ad usuram vel minimam recurratur. Horror ipsius vulgi, quo usuræ nomen vitabatur, & illorum etiam sensus, qui nullam usuram agnoscebant licere *in pecunia*, ceteraque ex lege Senatoribus aliquando præscripta, nec non ex legibus Imperatorum Basilii, Leonis, atque Capitularium, quæ sane omnem vel modicam usuram vetarunt, aut jure divino declararunt interdictam, ut §. 10. fusius explicavimus, constantem Patrum omnem usuram damnan-

mnantium doctrinam declarant. Distinctio tandem inter usuram divinam, & humanam, de qua §. 11. pluribus Patrum testimoniis egimus, dum omnem humanam usuram rejicit, & solam cum Deo usuram approbat, nonne nullam moderatam vel minimam inter homines usuram ex eorundem Patrum sententia licitam probat? Adde his, quæ cap. 2. hujus libri ex Deuteronomii testimonio argumentati sumus. Etenim cum evidenter probant, vetitam fuisse inter fratres etiam divites usuram, quæ (ut interim omittamus) cum solis *alienigenis* permittebatur, simul probant, omnem usuram, etiam moderatam, inter eosdem fratres, quantumvis divites, fuisse interdictam; immodicam enim usuram, etiam cum alienigenis, ipso naturali jure vetitam adversarii fatentur, sicut omnem moderatam cum iisdem alienigenis pauperibus eodem naturali jure prohibitam docent. Aliquid autem præcipuum inter fratres eo Deuteronomii loco interdictum, quod cum alienigenis permittebatur, eo capite fusius demonstratum est. Si porro eadem lex circa usuram nobis Christianis erga omnes manet, quæ Hebræis inter fratres lata fuit; omnis utique, etiam moderata, usura nobis interdicta dicenda est, uti loco memorato pluribus ostendi. His autem ad confirmationem luculentiorem obiter additis, nunc ad peculiaria Patrum testimonia in rem præsentem accedamus.

## CAP. V.

*Testimonia Patrum de divitibus, & mercatoribus peculiaria considerantur. Vindicatur Patrum traditio, atque doctrina circa Usuram a nonnullis excessibus, quos eisdem quispiam opposuit.*

1. Ecclesiasticæ, vel civiles etiam leges his postremis temporibus adversus usuras latæ, etsi divites, ac mercatores æque ac pauperes excludant, ut vel adversarii fatentur; non tamen illos distincte commemorant, sed generatim expressæ, omnes complecti intelliguntur, satisque est, si aliquæ alicubi expressam faciant illorum mentionem. Quidni idem censemus de Patribus, quos generalibus testimoniis, ac legibus comprehendisse omnes superiori capite ostendimus? Nemo igitur plura ab iis expressa de divitibus, ac mercatoribus testimonia requirat: aliqua indicasse sufficiat. Tertulliani locum, quo usuræ crimine damnat non solum eos, qui *egenti*, sed illos etiam, qui *abundanti*, idest diviti, pecuniam sub fœnore tradunt, satis superiori capite animadversum est n. 18.

2. Origenes Hom. 3. in Psal. 36., ubi usuram omnem ab hominibus exactam damnat, *quia verbum Domini prohibet pecuniam humanam fænerari*, solam autem a Deo quæsitam probat, usuram utique a divitibus, vel mercatoribus exactam indicat, cum ait: *Multi etenim peccatores mutuo accipiunt pecuniam, & reddunt cum fænore, ita ut & ipsi interdum lucrum ex pecunia, quam sumserunt, ceperint*. Si ergo omnis humana usura per Origenem illicita, & a Deo prohibita est, prohibitam quoque, & illicitam censuit usuram ab iis etiam exactam, qui *interdum lucrum ex pecunia*,

*nia, quam sumserunt, ceperint*, uti sunt mercatores, vel ii, qui ex mutuo aliquod lucri genus quærunt.

3. S. Basilius in Psal. 14. universim damnans usuras, eas quidem, quæ a pauperibus extorquentur, vehementius insectatur; at eas quoque, quæ a divitibus percipiuntur, non prætermittit. Neque eos tantum memorabo, quos *divites* vocat, quibus *vasa area, vestes, jumenta, diversi generis supellectilem* tribuit, mutuumque sumunt non ex paupertate, aut necessitate ulla (*Cum* (1) *pauperes*, inquit, *minime fidem inveniant*) sed in convivia lautiora, in servos, in sumtuosas vestes, & alia, quæ sane divitum, non pauperum sunt. Ea potius testimonia observare libet, in quibus pecuniam mercatoribus, vel iis, qui ex mutuo lucrantur, traditam memorat. Ejusmodi sunt illi, de quibus ait: *Fanerator, qua in ædibus habes, diligentius perscrutatur; tua commercia, negotiaque curiosius vestigat*. Nota *commercia*. Et de lucrantibus ex mutuo aperta sunt illa, quibus *multos* eos agnoscit, licet *plures* fœnore oppressos testetur: *Multi*, inquit, *etiam fœnore facti sunt divites: at vero plures arbitror pervenerunt ad laqueos. Tu porro ditatos quidem respicis, strangulatos vero non numeras*. Nihil tamen distinguens inter usuram ab illis, vel ab his exactam, quasi hæc sola illicita, illa autem licita sit (ut locus postulabat, si hæc Patrum fuisset sententia) usuras etiam ab his, qui non opprimuntur, sed lucrantur, vetat: *Inutile tibi argumentum da, non gravans illud accersionibus; & bene utrique consultum fuerit. Tibi enim certo servabitur; ei vero, qui acceperit lucrum ex usura accedet*. Hic certe nulla pauperis oppressio est, ubi ei, qui mutuum accepit, *lucrum ex pecunia usu accedit*: & nihilominus huic usuræ Basilius non parcens, nullam nec moderatam accessionem permittit.

4. Similiter S. Gregorius Nyssenus in oratione adversus fœneratores, usuram ab iis stipulatam cum divitibus, atque mercatoribus præclare depingit, & damnat his verbis: *Curiose, & anxie inquirit fœnerator in omnes debitoris actiones, in peregrinationes, in egressum, in mercaturam, &, si fama oriatur infaustior, quod scilicet quidam in latronem inciderit, vel eventu aliquo inops ex opulento evaserit, sedet junctis manibus, assidue gemit; sæpius plorat, volvit chirographum, lamentatur in literis aurum ...... Si autem mutuum fuerit nauticum, littoribus assidet* &c. Hic sane non de mutuo pauperibus ad consummationis usum dato S. Gregorius loquitur, sed de illo, quod in *mercaturam* negotiatori *opulento* traditur: unde *in peregrinationes, actionesque* ejus inquirens fœnerator, id unum metuit, ne ille *ex opulento inops* evadat. Idem est de *nautico fœnore*, quod ex mutuo in marttima, & lucrosiora commercia tradito percipitur. At hoc pariter fœnus *sceleri* attribuens S. Doctor: *Cur te*, inquit, *haud sine scelere curis conficis?* Totus quidem orationis contextus omnem usuram nulla exceptione condemnat. In Epistola quoque Canonica ad Letojum idem Gregorius Nyssenus, *apud divinam Scripturam & fœnus, & usuram prohibitam* tradit, *etiamsi sub negotiationis* πραγματείας *specie hoc fortasse factum sit*: quod ad usuram cum mercatoribus *negotiationis* nomine contractam referri potest.

5. S. Ambrosius de Tobia c. 14. n. 49. agit de quibusdam fœnera-

nera-

---

(1) Hac etiam de caussa, quam ex Plutarco confirmat Salmasius, solos fere opulentos mutuantes invenire is observavit, de Usuris c. 21.

neratoribus, qui legis divinæ obsequio, non pauperibus, sed mercatoribus pecuniam credunt, & lucrum aliquod ex iisdem, non usuræ, sed muneris nomine percipiunt: *Et quia plerique refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam usurarum emolumenta percipiunt, ideo audiant quid lex dicat. Neque usuram*, inquit, *escarum accipies, neque omnium rerum quascunque fœnerationes fratri tuo. Fraus enim ista, & circumscriptio legis est, non custodia. Et putas te pie facere, quia a negotiatore velut munus suscipis?* Et sequitur multa addens, quibus hanc quoque moderatiorem usuram, quantumvis a negotiatoribus perceptam, peccatum probat divina lege interdictum, quæ *omne sortis exclusit augmentum*. Agit autem inter cetera de fœnore muneris specie exacto a mercatore vinorum, qui quasi cauponariam artem exercens, pretiosa vina absynthiaca, Picena, Tyriaca minori pretio mercatus, & e remotis regionibus advehenda curat, ut majori pretio magno cum lucro distrahat: *Si quis instaurandum convivium parat, ad negotiatorem mittit, ut absynthiaci cupellam sibi gratis deferat; ac cauponem dirigit, ut Picenum vinum, aut Tyriacum requirat &c.* Hæc munuscula usuræ loco erant. Integrum textum ipsi Decreto insertum legere est 2. part. caus. 14. q. 3. c. 3. Inane porro est, quod quidam reponunt, agi hic de mercatoribus minoribus, non de majoribus: lucrum enim quoque minimum est, & cum æque utrique suo modo ex negotiatione propria lucrentur, vel licet ex utrisque partem lucri exigere, vel ex neutris licet. S. Ambrosius nihil distinguens, omne lucrum æque in omnibus damnat. Legendum etiam caput 6., & 7. ejusdem operis, ubi Sanctus Doctor fœneratorem exagitat, qui pecuniam in utilem fundi emtionem offert: *Aucupantur heredes novos, adolescentulos divites explorant .... Ajunt, nobile prædium esse venale, amplam domum. Accumulant proventus fructuum, annuos redditus exaggerant; hortantur ut coemant .... Neganti se habere pecuniam, ingerunt suam, dicentes: Utere ut tua, de fructibus emtæ possessionis pretium multiplicabis, debitum reddes.* Dices fortassis hæc magnifica promissa, quibus hi adolescentuli divites ad sumendam pecuniam cum fœnore inducebantur, non ob ipsorum, sed ob fœneratoris utilitatem fuisse damnabilia. At memoria repetendum est, ad commotionem excitandam vitiosiora facta fuisse exprimenda. Non tamen omnia fuisse ejusmodi indubium est. Quot aliis tradita fuerit pecunia, qui sponte ementes aliquod prædium, nummorum pars aliqua defuerit? enimvero n. 24. absque harum circumventionum mentione nummi dati feruntur locupletibus, a quibus paterni patrimonii hypotheca querebatur: *Petunt obligari avitum prætorium, paternum sepulcrum*; ac propterea his dicebant fœneratores: *Tu possides tua prædia, nos nostram pecuniam non habemus... Tibi fructuum emolumenta procedunt, nihil nobis accrescit pecunia.* Neque dicas, quod pecunia his credebatur, ut eorum prædia fœnoris nomine acquirerentur, ut sæpe accidebat; & idcirco turpe erat id fœnus, quippe quod divites in paupertatem adduceret; neque enim minus criminosum est pauperem gravare, quam divitem in pauperiem redigere. At si usura per se esset justa, ac licita, cur non liceret campum in solutum recipere? Num illicitum est in solutionem justi crediti fundum acceptare, eo quod id in divitis imminutionem cedat? Hæc non alia de caussa generatim reprehenduntur in fœnore, nisi quod fœnus per se iniquum

quum, & criminosum est. En igitur Ambrosium damnare universim usuram, quæ a negotiatoribus, & a divitibus percipitur.

6. Ab Ambrosio non disjungam S. Augustinum, qui Serm. 239. explorate docet, veros Christianos pecuniam gratis credidisse iis, qui domos, & prædia habebant: *Habet domum, habet possessionem*, & ea de caussa *gratis* dabant mutuum, ne ipsi fœneratores essent, & ne illi ad fœneratorem confugerent. Iisdem autem S. Doctor persuadere studet, ut si debitor promte restituere nequeat, differant aliquandiu, nec importune restitutionem efflagitent, ne in solutionem fœneratorem adire cogantur: *Noli facere angustias ei, cujus angustias relaxasti. Ecce tu dedisti, & exigis: sed non habet unde reddat; cum habuerit, reddet tibi. Noli clamare & dicere: Numquid fœnus quæro? Tantum peto, quantum dedi.. Quod dedi, hoc accipiam. Bene facis, sed nondum habet. Non es fœnerator, & vis, cui præstitisti, ut quærat fœneratorem, ut tibi reddat? Si propterea fœnus non exigis, ne te fœneratorem patiatur; quare vis ut propter te alium fœneratorem patiatur?* Similis sententia legitur in Appendice Serm. 86. n. 4., ubi additur debitorem præter domos, & campos habuisse etiam *familiam*, idest servos, quos poterat vendere, ut debitum solveret: *Familiam habet, vendat*; quod divitibus convenit. Et nihilominus pronunciatur, fœnus ab his exigere criminosum judice Deo futurum; *Propterea fœnus non exigis, ne te fœneratorem judicet Deus.* Ex his ergo manifeste cognoscimus fœnus etiam cum divitibus habitum fuisse illicitum.

7. Argumentum, quo adversarii usuram a mercatoribus exactam maxime purgant, illud est, quod sicut hi lucrantur ex pecunia, quam acceperunt mutuam, ita æquum est, lucri partem illis respondeant, qui pecuniam dederunt. Hoc idem argumentum, quod veteres quidam Christiani non habuerunt satis idoneum in pecunia mutua, unde nullam pecuniæ usuram probabant, ut est apud Hieronymum in c. 18. Ezechielis, justius multo objiciebatur in mutuo segetum, quæ in sationem creditæ, naturalem quandam fecunditatem secum afferunt, ex qua lucri partem æquius multo merentur, ut Gothofredus observavit in Theod. Cod. L. 1. tit. de Usuris. Hinc usuræ segetum ex ipsis Romanis legibus fuerunt graviores, quam pecuniæ; quod ne mirum videatur, non media sortis pars, quæ mutuantibus solvebatur, intuenda est, sed lucrum, quod decies sortem ipsam multiplicabat, attendendum (ex unico enim modio tritici in sationem dato decem modia nascuntur) apparebitque multo æquius fuisse, ex lucro decem ex. gr. modiorum tritici, quæ mutuatario ex unico modio sumto redibant, medium tantummodo modium solvere, quam ex lucro ducatorum quindecim circiter, qui ex 100. ducatis mutuo sumtis redeant, quinque persolvere. Hanc objectionem graphice expressit Hieronymus loco laudato, nec tamen ab usuræ vitio fœneratores ejusmodi vindicans, totum adversariorum fundamentum proculdubio evertit. Audiantur ejus verba: *Putant quidam usuram* (idest usuræ crimen, quod Scriptura prohibet) *tantum esse in pecunia... Solent in agris frumenti, & milii, vini, & olei, ceterarumque specierum usura exigi, sive, ut appellat Sermo Divinus*, abundantiæ. *V.G., ut hyemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, idest amplius partem mediam. Qui justissimum se putaverit, quartam plus accipiet portionem. Et solent argumentari, ac dicere: Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios. Nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam,* cum

*eum ille mea liberalitate novem, & semis de meo habeat*. Hoc fœneratorum argumentum perbelle explicavit Salmasius de modo usurar. c. 8. p. 337. *Justum*, inquiunt, *est, ut qui ex modio a me mutuo sumto, quo agrum consevit, decem modios retulit, ut meum quidem ante omnia mihi modium reddat, deinde ex illis decem, quod ex mei modii satione in suo agro collegit, dimidium saltem modium usuræ nomine præstet, cum apud ipsum novem, & semis remaneant, qui bene labores ejus, & sumtus possunt compensare, & quos non percepisset, nisi modium illum a me mutuo accepisset*. In hac certe mutui, & usuræ specie, nulla pauperis oppressio, immo lucrum magnum ex ejusmodi mutuo, in quo si e novem lucri modiis, is, qui mutuum dedit, mediam, vel quartam modii partem lucrabatur; qui accepit mutuum, octo modios cum dimidio, vel triplici quarta parte percipiebat; ac proinde de mutuo agitur, in quo utrinque lucrum, nullibi oppressio est. Si autem Hieronymus hoc argumentum in segetibus, quæ in tantum sationis lucrum mutuæ dentur, contemsit; contemsisset multo magis in pecunia, quæ in minus negotiationis lucrum credita sit. Neque enim de eo segetum lucro queritur, quod medium modii legibus præfinitum, vel quarta modii pars a moderatioribus exacta nimium lucrum fuerit; sed quod hoc lucrum, quantumcunque sit, divina lege prohibitum, omnino auferendum est: *Scriptura divina*, inquit, *omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias, quam dedisti*, idest *nihil lucri* recipias. Hæc autem auctoritas, non minus pecuniæ, quam segetum usuram prohibet, ita ut vel utrobique damnanda sit usura, etiamsi ab eo percipiatur, qui majus ex lucro mutuum cepit; vel utrobique excludenda. Certe *in Propheta ab omnibus*, etiam divitibus, ac mercatoribus, *usuram prohiberi* Hieronymus ibidem observat, ac propterea nihil referre ait, utrum quis *habenti* diviti, seu mercatori mutuum dederit, an *non habenti*, nisi quod *habenti* nulla erat necessitas, quæ mutuum flagitaret, non autem excusatio, quæ dilueret vitium usuræ, sine quo si mutuum dare quis nollet, mutuum utique dare non debebat, ne illicitum abeo fœnus exigeret. In hanc sententiam intelligenda hæc, quæ Hieronymus subjicit: *Respondeat enim nobis breviter fœnerator misericors, utrum habenti dederit, an non habenti? Si habenti, utique dare non debuerat: sed dedit quasi non habenti. Ergo quare plus exigit, quasi ab habente?* Puto ex his satis aperte Hieronymum omnem usuram, etiam a divitibus ex ea lucrantibus perceptam, condemnare.

8. Neque plures Patres allegabo, qui usuram perstringunt ex mutuo iis tradito, qui cum prædia haberent, quibus de mutuo cavebant, divites utique fuerunt; quando enim in emtionem prædii mutuum sumtum non sit, ut inde lucrum proveniat, quod antea non proveniret, tum ex ejusmodi mutuo non licere lucrum capere adversarii reponent. Nonnullis tamen idem videtur prædium emere ex mutuo, ac prædium, quod sine mutui ope vendendum fuerat ad pecuniam quærendam, mutui caussa conservatum fuisse: utrobique enim lucrum mutuatario redit ex mutuo; parum autem refert, utrum lucrum prædii sit, quod servetur, an quod ematur; mutuamque dare pecuniam, ne prædium vendatur, perinde esse videtur, ac si prædio jam divendito necessitate cogente, cum venditio ex charitate impedienda non erat, in novam ejus emtionem pecunia credatur. Hinc etiam Salmasius l. 3. de Fœnore Trapezit. pag. 621. damni vitationem lucro omni quæstuosiorem demonstrat.

Vide etiam lib. 1. pag. 115.

9. At quando cum adversariis agimus, qui solam usuram defendunt ejus mutui, quod mutuatariis in lucrum cedit, ea testimonia, quæ de hoc mutuo loquerentur, allegan-da fuerunt. Quod si hæc plura non sunt, nihil minus valent. Satis enim antiquis fuit usuram omnem generalibus verbis damnare, ex quibus usuram, a negotiatoribus quoque exactam, illicitam esse constabat. Peculiaris alicujus criminis mentio, cujus prohibitionem generali lege contineri notum est, fieri non solet, nisi quando specialis occasio id exigat. Hinc memorati Patres, qui usuram omnem, etiam a mercatoribus exactam, in generali usuræ prohibitione interdictam, omnibus exploratum sciebant; generali illa prohibitione contenti, ejus specialis usuræ tum solum meminerunt, cum præcipuam quandam vel excusationem retundere, vel fraudem detegere necesse fuit. Si plures ejusmodi occasiones incidissent, idipsum tradidissent & ceteri, pluraque ejusdem generis testimonia suppeterent, quæ si occasionibus deficientibus præsto non sunt, occasionum defectus ejusdem doctrinæ defectui verti non debet.

Cur plura testimonia non suppetant.

10. Enimvero eandem ceterorum cujusque ævi doctrinam, ac traditionem fuisse indicio sint S. Joannes Damascenus medii ævi scriptor, & quidam Græci posterioris ætatis. Ille in sacris Parallelis excerpens fere ex S. Basilio, quæ contra usuram fuse disserit lit. D. tit. 9., mutuum sine usura iis quoque dandum, quibus *lucrum ex usu pecuniæ accedit*, totidem Basilii verbis præcipit: adeo non ex suo sensu, sed ex majorum traditione hanc doctrinam acceperat.

Tom. 2. p. 434. 6.

11. Ex Græcis autem posterioribus Zonaras in Nicænum Canonem hanc quoque usuram a Nicæno damnatam prodit, quam quidam ex mercatoribus ementito societatis nomine capitali salvo exigunt: *Fæneratoris enim nominis infamiam aliqui declinantes, pecuniam ita dant mutuam, ut sibi lucri partem ex ea paciscantur, nec se fœneratores, sed socios dicunt, ac emolumentorum tantummodo participes, nullum interea jacturæ periculum subeunt.* Et similiter Balsamon Antiochenus Patriarcha: *Quidam Sacerdotes*, inquit, *canonem intelligentes, & ipsum circumscribentes, verba quidem servant, mentem autem negligunt: dant enim nonnullis pecuniam, & tantam ex lucro partem se capturos paciscuntur; periculum autem agnituros, qui eam accipiunt: & cum sint revera fæneratores, verbo tamen societatem prætexunt.* Qui lucri partem exigunt, pecuniam utique iis, qui ex eadem lucrantur, accomodant; ac propterea sermo est de mutuo, quod non pauperibus in consumtionis, sed mercatoribus in lucrandi usum traditur. Quam Balsamonis interpretationem ex Nicænorum Patrum mente approbat Salmasius de modo usurarum c. 8. p. 326. Recitatis enim Balsamonis verbis hæc subjicit: *Dant alicui pecuniam ad merces emendas, ea conditione, ut lucrum inde venturum participent, cum periculi pars nulla ad ipsos sit perventura. Non exigunt quidem usuras data sortis mutuo pecunia, quoniam verbis Synodi, id ne faciant, cavetur, sed quia partem lucri paciscuntur ex pecunia mutua sine suo periculo, contra Synodi mentem veniunt, licet socii velint dici mercatorum, non fœneratores.*

In eundem Can. Nicæn.

12. Non solum igitur Græci illi posteriores, sed & Nicæni Patres, ipso Salmasio fatente, usuram, quæ ex mutuo, etiam mercatoribus ad lucrum tradito, exigitur, illicitam crediderunt, atque ex ea divina lege illicitam, cujus plerosque *oblitos* ad memoriam, & officium revocandos duxere. Immo illi ipsi, qui ut hanc exploratam legem, pœnasque a Nicæno canone illatas

Communis fœneratorum etiam sensus propositum cōfirmat.

illatas declinarent, societatem pro mutuo cum negotiatoribus præferre studebant, eandem usuram, & divina lege, & Nicæno canone vetitam sciebant: neque enim opus fuisset ad eam simulatam societatem confugere, ut usuram tegerent, si usuram id genus licere judicatum fuisset. Ita etiam communem, atque omnibus notam hanc doctrinam fuisse liquet, quæ usuram, etiam a mercatoribus exactam, condemnat.

13. Præclare etiam Nicolaus Cabasilas in oratione contra usurarios: *Quid labis habet*, inquit, *usurarius, si a paupere nihil, a divite autem fænus exigamus? Multum profecto: hoc enim est contra leges venire, pecuniam commodatam cum auctario recipere: pauperem vero elidere, premere, vestibus spoliare, hoc jam non fænus, sed gravius quoddam scelus est... verum leviora crimina propter graviora pœnis non carebunt..... Sicut ergo lex*, Non occides, *non parricidam, nec fratricidam, aut quemcunque certum interfectorem, sed simpliciter homicidam persequitur; ita quoque & furem, & adulterum, & maleficum quemque; eodem modo illud*, Non fœneraberis fratri tuo, *non est usuram dividentis, & unam vetantis, alteram statuentis, sed omnem usuram exterminantis*. Quibus etsi expressam mercatoris mentionem non facit, nullam tamen usuram divina lege licitam diserte affirmat, etiamsi non a paupere, sed a divite exacta sit, quod ad mercatores ipsos ex mutuo ditescentes extenditur. Immo paullo ante, mercatorem, aut alium quempiam e mutuo lucrantem, idem auctor memorat his verbis: *Ille mutuo bene collato rem suam amplificavit, paupertatemque domo sua ejecit*; & nihilominus usuram ab hoc quoque exactam reprobat.

14. Quod si consideres Zonaram, Balsamonem, & Cabasilam, non tam Græcos, quam Schismaticos fuisse, qui a Scholasticis maxime dissentiebant, sicut a tota Ecclesia Latina; profecto cum iisdem consilia communicasse dici nequeunt, ut novitium dogma inveherent: adeo evidens est ex sola majorum traditione eam sententiam tam Græcos, quam Latinos suscepisse, cujus originem adversarii usurarum patroni Scholasticis perperam tribuunt. Ea quidem traditio non solum ex generalibus, sed ex peculiaribus etiam testimoniis hoc capite observatis manifesta est, cui ne unicum testimonium, nec generale, nec peculiare, ex tota antiquitate opponi potest; quod sane esset impossibile, si, ut adversarii præsumunt, alia apud Patres sententia obtinuisset. Num quis forte adversariis ne unum testimonium afferentibus citius credet, quam nobis, qui & generalia invicta documenta, & aliquot etiam specialia ex Patribus protulimus? Hanc autem Patrum auctoritatem repudiare nemo auserit, nisi qui traditionem cum sectariis repudiet.

15. Verum auctoritatem ejusmodi omni vel minimæ usuræ, etiam divitibus impositæ, apertissime infensam cum nonnemo inficiari non posset, alia ratione declinare nisus est. Itaque nonnullos excessus hac in materia Patribus impingere non dubitavit, in quibus si deferendæ, vel mollius interpretandæ sint eorum sententiæ, idipsum in doctrina omnem usuram damnante faciendum pariter dictitabat. Hæc objiciendi ratio, quæ Patribus errores, vel excessus tribuit, quondam eorum tantum hæreticorum propria erat, qui traditionem contemnunt. Nunc autem dicendum est, facilis doctrinæ studium, atque indolem plurimum posse, ut eadem via ab illis quoque ineatur, qui traditionem alias tuentur. Hanc autem objectionem gravissimam refellere oportet, tum quod præsenti causæ necessarium est, tum etiam ut Pa-

trum auctoritas, quæ traditionis catholicæ est fundamentum, vindicetur. Tres autem excessus Adversarius in præsenti caussa Patribus affixit. Primo quod illi in damnanda omni usura comprehenderint, aut non exceperint compensatoriam, quæ hodie a nemine condemnatur. Secundo quod non usuram solum, sed pignus etiam reprobarint in mutuo; cum tamen pignora innoxia omnes fateantur. Tandem quod nec sortem, aut restitutionem exigi sinant. Nihil vehementius objici poterat, si quod objicitur, probaretur. At vereor, ne qui hæc objicit ita præjudicio impediatur, ut vel non legerit Patres, quibus hæc imponit; vel si legit, eorum verba, & consilium non intellexerit. Expendamus singula.

16. Quoad usuram compensatoriam, primo testimoniis Patrum usuram generatim damnantium eam comprehendi falsissimum est: compensatoria enim, quæ ex posterioris ætatis locutione *usura* dicitur, proprie usura non est, sed *indemnitas*, seu (quod Latini veteres vocabant) *id quod interest*. Qui ergo usuræ nomine eam volunt comprehensam a Patribus, docere deberent eos usuræ nomine intellexisse quod proprie usura non est, nec usura eo tempore vulgo appellari solebat. Nonne vel hisce temporibus, cum usuræ compensatoriæ nomen in scholis obtinet, sacri Oratores, qui hanc licitam habent, usuram generatim damnant, ut ne tamen compensatoriam ea voce comprehendere intelligant? Addam & alterum, quod Patres usuram damnantes adeo non damnarunt *id quod interest*, ut aliquot testimoniis palam professi sint, se usuram damnare, quæ *ex pecunia otiosa*, & sine *ullo damno* credita percipitur, quorum alterum lucri cessantis, alterum damni emergentis titulum excludens, satis indicio est, eos usuræ nomine *id quod interest* non condemnasse. Hæc testimonia recitabimus lib. VI. c. 2., ubi de eo *quod interest* ex proposito agetur. Quod si nullibi hunc titulum expresse approbant, id ea de caussa evenisse videtur, quod cum ex eorum conditione temporum usura ascenderet ad duodecim in centum, haud facile erat tantundem peti posse titulo lucri cessantis. Prædia sex in centum circiter reddebant; ac idcirco usurarii præmallebant nummos collocare in fœnore, quod majus lucrum afferret. Eadem de caussa haud inductum fuit reales census emere, qui si fuissent in usu, prædiorum redditus non excessissent. Hinc pariter pecuniosi viri, mercaturæ sollicitudinem, ac periculum aufugientes, hoc usurario lucro contenti, nullam aliam negotiationem volebant exercere. Vides ergo usurariam plane mentem, & sine justo titulo lucri cessantis, cujus compensatio peteretur. Ita etiam in nautico fœnore, etsi ab iis, qui pecuniam credebant, assumeretur maris periculum, quod pretio æstimabile est, ut in cautionibus nauticis, usuram tamen id genus vituperarunt Patres, ut in S. Gregorio Nysseno observavimus; non quia hunc justissimum assumti periculi titulum sorti appositum nihil facerent, sed quod usura nautica haud taxata erat pro justa æstimatione periculi, eamque multo excedebat: unde quod supra æstimationem hujus tituli exigebatur, merum erat fœnus, quod corrumpebat totum lucrum; totum enim usuraria pariter mente, (videlicet uti usura) nihil autem uti periculi pretium in contractum cadebat.

17. Quoad pignora, nihil dubii est, quin specialia quædam pignora a pauperibus exigere culpabile foret; uti esset vestimentum pauperi induendo necessarium, aut artis instrumenta, quæ ad victum quærendum ipsis opus sunt. Hæc proinde pignora retineri vetatur expresse Exodi c. 22. v. 26., Deut. c. 24. v. 6. &

6. & 10., Job. c. 24. v. 3., immo & ipsis Romanis legibus interdicitur, uti constat ex L. 1. Cod. Theod. *De pignoribus*. Sicut de hisce pignoribus Ezechielis locus est interpretandus; ita de his testimonia Patrum, cum pignora vetant, accipienda sunt. Hinc Sulpicius Severus in Historia Sacra l. 1. c. 18., Mosaicam legem compendio exponens, scripsit: *Vestimentum pauperis pro pignore non accipiendum*. Et S. Ambrosius in libro de Tobia num. 84. *Ne vidua pignus recipiat. Grave & utrumque secundum literam, ut usum, instrumentumque vivendi egeno auferas, aut viduæ pignus detrahas*. Hinc S. Hieronymus in Ezechielem expresse monuit, præceptum restituendi pignoris non omnes debitores comprehendere: *Non omni debitori*, inquit (pignus reddendum) *alioquin multis occasio recipiendorum pignorum fiet divitiarum materia; sed ei debitori, de quo in lege scribitur, quod pauper sit, & proprium opposuerit vestimentum, & ante solis occasum operimentum recipere debeat*. Id ipsum in aliis Patribus observare licebit. En igitur de quibus pignoribus, atque debitoribus loquuntur. Quod si S. Ambrosius, cui Adversarius præcipue insistebat, libro memorato n. 57. & 70., objicienti non omnia pignora, sed *specialia* quædam in Scripturis tantum prohiberi, ita respondet, ut credere videatur, idem prorsus in omni pignore locum habere; id primo intelligendum est in persona *pauperis*, cujus meminit n. 57.; dein in exhortationis potius, quam præcepti rationem loqui videtur, ut indicant verba: *Generaliter omne pignus suadet esse reddendum*; unde pignoribus accomodat Evangelicum textum: *Mutuum date, nihil inde sperantes*; qui sicut quoad negligendam restitutionem sortis, ita & quoad pignus reddendum non semper in præcepto est. Præterea pignus reprehendit non per se, sed ob usuram, quæ eidem adjici solebat: id quod erat fœnus exigere valde turpius, ab iis scilicet, qui tradidere nobis suum; cumque ampliorisfere pretii pignora esse soleant, non tantundem solum, sed *amplius* quam acceperunt, tradidere. Hinc scripsit n. 13. *Accepistis aurum, argentumque pro pignore; & adhuc illum debitorem dicitis, qui vobis plus credidit, quam accepit a vobis? Vos creditores adseritis, qui amplius debetis; vos, inquam, dicitis creditores, qui non homini, sed pignori credidistis?* Forte etiam usus alicubi vigebat, ut pignora in commissum caderent, seu in dominium creditorum transirent, si debitores stato tempore non solverent & capitale, & usuram; quæ res in magnam pauperum perniciem vergebat. Adde quod n. 70. sermo est de pignoribus fructiferis, uti erant prædia Hebræis obligata Esdræ tempore, ubi fructus usuræ vices gerebant. Quis hæc fœnebria pignora non condemnabit? Quod si nihilominus idem S. Antistes nonnulla durius al quanto credatur locutus, nihil præjudicio erit ceteris, qui similiter locuti non sunt; & multo minus doctrinæ circa usuram, in qua ille consentit cum omnibus, & nulla, neque apud ipsum, neque apud ceteros exceptio est, uti in pignoribus reperitur.

18. Tandem quoad restitutionem capitalis, quis Sanctorum Patrum generatim uspiam affirmavit, eam peti, & exigi non posse? Nonnunquam id quidem præcipitur, cum de pauperrimis agitur, qui ob impotentiam solvendo non sunt, aut de iis, qui ab importuna exactione nimium opprimerentur; quo tamen casu, non justitia, sed charitas efflagitat, ne qui potest, proximo indigenti, & afflicto laqueum injiciat, & in majores angustias adducat. Ad omnino impotentes quod pertinet, hoc præsertim casu præceptum illud Evangelicum: *Mutuum date nihil*

[Margin notes: cap. 18. — pag. 619. — In Ezech. tom. 5. pag. 207. — pag. 595.]

*hil inde sperantes*, ad ipsam sortem remittendam porrigitur; & in hanc tantum sententiam in præceptum aliquot Patres interpretati sunt. Quod vero attinet ad exactionem nimis importunam, atque molestam eorum, qui sine maximis angustiis, ac gravi damno statim restituere non possent, *Premis, suffocas*, inquiebat Augustinus: *etsi tantum exigis, quantum dedisti, suffocando tamen, & angustias faciendo, non beneficium dedisti, sed potius majores angustias intulisti*. Ceterum si ab hisce circumstantiis præscinditur, Patrum sententia fuit, licere sortis restitutionem quærere, dum tamen nihil supra sortem usuræ nomine exigatur. Lactantius c. 18. Institut., postquam usuram tanquam alienæ rei rapinam inhibuit, *Abstineas te prorsus alieno*; de restitutione sortis subdidit: *In hoc genere officii debet suo esse contentus*. Similiter Sanctus Basilius Homil. in Psal. 14. n. 1. de ipso mutuo pauperibus credito loquens, reprehendit divitem, si *forte contentus non sit*; quibus verbis ipsam sortis restitutionem a pauperibus exactam generatim non damnat. S. Hilarius in eundem Psalmum n. 15. *Si Christianus es, non quæro ut largiaris; saltem debitum sic reposce, ne spolies*. Verba *ne spolies* ad usuram referuntur. Antiquus Auctor *Syntagmatis Doctrinæ ad Monachos* in Appendice Sancti Athanasii n. 3. *Si quis mutuum a te petierit, dato: & ab eo accipe sortem, cum habuerit, absque fœnore*. S. Ambrosius Ep. 19. ad Vigilium: *Vir Christianus, si habet, dat pecuniam quasi non recepturus, aut certe sortem, quam dedit, recepturus*. Restitutionem igitur sortis, ab iis, qui possunt reddere, Christiana lege prohibitam nequaquam credidit. Hinc etiam in libro de Tobia c. 21. eos coarguit, qui cum possent restituere, negligerent: *Quam deforme est, ut pro beneficio ei, qui te adjuvit, rependas molestiam? Cum istum fraudaveris, cui debes, postea in tempore necessitatis tua non invenies creditorem*. Aperte etiam S. Hieronymus in eum Isaiæ locum, ubi usuraria chyrographa dilacerari jubet, hæc adnotat: *Non ergo præcipit Propheta, ne exigat unusquisque quod debitum est, maxime quod juste dedit, & juste repetit*, (idest sortem) *alioquin tribunitiæ esset seditionis assertor; sed ubi iniqua est cautio*, (idest quoad usuram) *ubi opprimuntur pauperes calumnia, ibi fasciculi cautionum, & omnia iniquitatis vincula rumpenda sunt*. Tandem, ut alios omittam, Auctor Breviarii in Psalmos, quod Hieronymi operibus subjectum legitur: *Non peccat quis eo, quod quantum dedit, tantum recipit*. Hinc clerico etiam concedunt sacri canones, ut *si commodaverit pecuniam, pecuniam recipiat, si speciem, eandem speciem, quantum dederit, accipiat*. Verba *quantum dederit* meram sortem significant. Nemo ergo Patres rigoris, atque excessus accuset: & multo minus hoc nomine emolliendam, aut restringendam putet eorum doctrinam, qua omnes uno consensu omnem usuram nulla exceptione condemnant.

Serm. 239. n. 5.

## CAP. VI.

*Argumentum ex Scholasticis, & præsentis Ecclesiæ fide.*

### §. I.

*Scholasticorum consensus in usura quavis, etiam a divitibus, ac mercatoribus exacta, condemnanda quanta auctoritatis sit. Eos nihil innovasse demonstratur. Non ratione, sed traditione in eam sententiam descenderunt.*

1. Theologos, & Canonistas omnes, jam inde a Seculo duodecimo, & deinceps, communi sententia veluti certum do-

docuisse, usuram omnem a quocunque, etiam divite, ac negotiatore, exactam divina lege esse prohibitam, non soli prodiderunt Calvinistæ, quos lib. II. impugnavimus, sed & Jansenistæ usurarum patroni, quos nunc refutamus, consentiunt. Nimis aperta, & expressa sunt testimonia Petri Lombardi, S. Thomæ, S. Bonaventuræ, S. Raymundi, Gersonis, S. Antonini, & ceterorum: et cum eorum rationes ab injustitia ductæ æque percellunt usuram omnem, etiam a divitibus sumtam, qui lucrum majus ex mutuo capiunt; tum vero casus identidem afferunt mutui mercatoribus traditi, & lucrum inde perceptum usuræ condemnant. Testimonia singulorum afferrem, nisi vel adversarii hanc rem darent.

2. Hic porro Scholasticorum consensus quantam vim in rebus dogmaticis habeat, omnes Catholici norunt. Soli Hæretici, qui traditionem Ecclesiæ negant, eorum auctoritatem contemnere possunt. Qui enim omnes Scholasticos in aliqua doctrina consentientes accusat, eos accusat, qui Patribus in traditione suscipienda, ac ad posteros transmittenda successere; ac proinde ipsam traditionem per eosdem veluti traduces, ac testes transmissam repudiet necesse est. Si pauci ex illis aliquid doceant, vel alii aliis contraria ingerant, licebit resistere. At ubi omnes conspirent, cum in eos post Sanctos Patres devolutum traditionis depositum, ex ipsorum consensione colligatur; haud licet illis repugnare, sicut repugnare traditioni non licet.

3. Atqui Scholasticos Patrum traditionem deseruisse, novamque in hac re invexisse doctrinam adversarii contendunt. Sic Auctor *Tractatus brevis* part. 5., ubi sibi inquirendum proponit, quænam fuerit *origo*, *& series quorundam circa usuram errorum*, ejus sententiæ auctores Scholasticos traducit: & similiter Auctor tractatus *des prets de commerce*, ejusdem sententiæ, quæ omnes secum Theologos rapuit, epocham a seculo XIII. derivat. Ita ne se innovationis auctores prodant, novitatem in Scholasticos referre conantur, quorum deinde auctoritate ceteri omnes per inconsiderantiam abrepti sint. Hujus autem innovationis vitium ei caussæ vertunt, quod iidem Scholastici, Aristotelicis, potius ratiocinationibus, quam majorum auctoritate ducti, de quampluribus definierint, ac præsertim de usura, in qua ratiocinationes omnes imbecillimas vocant.

4. Hæc illi quidem dictitant, & inanibus etiam suspicionibus fovere, non tamen idoneis argumentis probare queunt. Similia a quibusve Novatoribus in aliis certissimis dogmatibus prætendi possunt, quæ si semel valeant, quis hæreticus damnari amplius poterit? Antiquam Patrum doctrinam se tradere profitebitur, a qua soli Scholastici recesserint. Verum quemadmodum hi satis refellentur, si novitatem, quam Scholasticis impingunt, probare nequeant; ita & nos, dum evidentia ab adversariis argumenta flagitamus, quibus eam novitatem a Scholasticis inductam probent; nihil firmum, ac legitimum audientes, sed omnia levia, futilia, vel calumniosa, eorum clamores nihil metuimus.

5. Quid porro, si Scholasticos nihil innovasse invictis argumentis liqueat? Quæ ex antiquis Patribus cap. 3. & 4. attulimus, cum demonstrant non aliam fuisse eorundem Patrum sententiam, tum novitatis calumniam Scholasticis impactam refellunt. Enimvero, qui hanc novitatem a Scholasticis in Ecclesiam inductam volunt, rem omnino incredibilem, ac plane impossibilem persuadere nituntur. Si enim demus, quod adversarii volunt; impossibile plane est hanc no-

Demonstratur Scholasticos nihil innovasse, sed traditionem antiquorum suscepisse in Doctrina de Usura.

novitatem maximas in Ecclesia turbas non statim excitasse. Si quis nunc adversus contractum aliquem ubique frequentem insurgat, eundemque uti usurarium traducere incipiat, qui vulgo licitus habeatur; quot clamores, & querelæ commoventur? Tumultus recentissimi, quos non solum in Belgio, sed & in aliquot Italiæ civitatibus in paribus casibus excitatos audivimus, aut vidimus, satis indicio sunt. Porro usura non solum e pauperibus, sed præsertim a divitibus, ac mercatoribus, qui cautiores sunt, exacta omni ævo viguit. Finge hanc ex Patrum doctrina ante Scholasticos licitam fuisse ab omnibus habitam; illos autem seculo XII., vel XIII. contrarium cœpisse docere, & hujusmodi lucrum ut injustum, omnino restituendum definire. Ad hanc novam, & molestissimam doctrinam, qui tumultus, quod scandalum, quæ perturbatio & privata, & publica ubique exoriri debuit? Cur tamen huic Scholasticorum doctrinæ nemo priorum seculorum, ac Patrum traditionem opposuit, si ei contraria fuisset? Cur nullæ civitates, nulli Principes, nullus Episcopus, nullus Presbyter reclamavit? Cur nemo ex Theologis, & Canonistis ipsis restitit, qui in aliis permultis acriter digladiantur inter se, atque dissentiunt? Nullo certo fato tam subita, & unanimis omnium mutatio, & conspiratio, in re præsertim, quæ cupiditati adversatur, nemine resistente, ac repugnante, contingere potuit. Hoc argumentum iis, qui vim ejus intelligent, demonstratio erit, qua Scholasticos nihil innovasse, sed id tantum, quod traditione susceperant, docuisse convincitur. Sola enim traditio, qua eandem doctrinam absque dubitatione certam transmisit, omnes in officio continuit, prohibuitque, ne quis contra Scholasticos posset, aut auderet reclamare.

6. Hinc ergo nihil est, quod ejus doctrinæ caussa Scholasticis ratiocinationibus tribuatur. Traditio enim majorum, non autem ratiocinatio, Theologos, & Canonistas in eam sententiam deduxit. Rationes solum in subsidium illis adscitæ, ut in aliis rebus facere solent, quæ cum non æque sint exploratæ, variæ apud varios afferuntur, ut S. Thomas observavit in 3. sent. dist. 35. art. 6. Una, & concors omnium sententia circa doctrinam de usura, fundamento tam ancipiti, ac vario inniti non potuit. Nisi suscepta, ac certa majorum traditio omnes ex universis locis, & ex accademiis, ac scholis sæpe dissidentibus coegisset in unum, & continuisset in eodem sensu, rationum imbecillitate, ac varietate disjecti, ac distracti fuissent, ut in aliis controversis capitibus accidit: & eo facilius in materia præsenti, in qua naturalis ratio non convincere nonnullis visa est, ut monuimus lib. II. c. 6. §. 8. Quot quæstiones a ratione agitantur circa contractus de usura vehementer accusatos, ab iis ipsis excitatæ, qui usuram illicitam credunt, idque cum credant de fide certissimum, malo ratiocinio iis in contractibus defendendis uti arguuntur? Quid itaque evenisset de ipso usuræ principio, si ex fide, ac traditione nequaquam susceptum, ratiocinationi permissum fuisset? Incredibile sane est potuisse propter subtilitates ratiocinationum arctari legem divinam, traditione relicta, cum ipsi adversarii rationum præsertim vi se a communi sententia in usurarum defensionem abductos fateantur. Idem profecto & aliquibus accidisset antiquorum, si nulla traditione, ac dogmate nullo cogente, suum cuique ingenium consulere licuisset. Quod si nemini accidit, non propterea non accidit, quia traditione majorum neglecta, Scholasticis ratiocinationibus omnes indulserunt, sed potius quia, ne his indul-

Non ob rationem, sed ex traditione in usuræ condemnationem omnes consentiunt.

indulgerent, explorata majorum traditio impedivit.

§. II.

*Tota Ecclesia idem cum Scholasticis docuit, ac docet in doctrina de usuris. Usura, etiam a negotiatoribus, ac divitibus exacta, damnatur.*

7. Quid porro si addatur, Summis Pontificibus, Episcopis, Conciliis, etiam Generalibus, ac proinde toti Ecclesiæ, eandem cum Scholasticis fuisse sententiam? Nisi quis Ecclesiam novum dogma aliquando suscipere, & a fide, ac traditione deficere posse credat; de novitate, ac errore in ea doctrina, quam jam inde a Scholasticorum ætate ad hæc usque tempora semper probavit Ecclesia, suspicari non poterit. Immo invictum hinc argumentum contra adversarios elicitur, cui cedere debent quicunque Romanorum Pontificum, Episcoporum, Conciliorumque omnium, idest totius præsentis non minus, quam antiquæ Ecclesiæ, auctoritati deferunt. Non minus enim Ecclesia præsens, quam antiqua, est Ecclesia Christi; nec illi minus, quam isti promissiones Christi, ne deficiat, præsto sunt. Porro præsentis Scholasticæ, ut ita dicam, ætatis Pontifices, Episcopos, Concilia, totamque Ecclesiam, in eandem convenisse sententiam, quam Scholastici uno consensu tradidere, illud argumento est, quod alias insurgenti Scholasticorum novitati obviam ivissent. Quomodo enim potuisset evenire, ut nemo illi sese objiceret, nisi novitatis auctores uno impetu Pontifices, & Episcopos omnes in suam sententiam pertraxissent? Hoc autem cum per se est impossibile, tum præsertim in Ecclesia, quæ in novitatem, & errorem induci nequit. Si vero plures in contraria (ut præsumitur) perstiterunt sententia, ne unum saltem inter tantos, qui a novitate dissentirent, inventum fuisse, qui resisteret, impossibile est, cum de iis præsertim agatur, qui ex pastorali officio insurgentibus erroribus non solum resistere debent, sed etiam restiterunt. Exploratum enim est, quæ nova dogmata sub idem tempus invehere studuerint Albigenses, Patareni, Valdenses, Abailardus, & alii; nec in iis detegendis, ac reprimendis, licet quidam elanculo errores suos spargerent, segnes Episcopi, ac Pontifices fuere. Si ergo ne unus quidem insurrexit adversus patentiorem Scholasticorum doctrinam, dum usuram omnem, etiam a divitibus exactam, condemnarunt; id non aliam potest habere caussam, nisi quia una eademque erat omnium Episcoporum, Pontificumque Romanorum sententia.

Ecclesiæ consensus cum Scholasticorum doctrina ex silentio probatus.

8. Id autem multo magis liquebit, si illos non solum non restitisse eidem doctrinæ, sed contrario potius errori illis ipsis in initiis, in quibus emerserunt Scholastici, naviter restitisse consideres. Ex abusu nimirum plurimorum, & ignorantia divinæ legis, opinio erat satis vulgata paulo ante Seculum XIII., cui Scholasticorum, & novitatis initia tribuuntur, usuram non esse peccatum; unde *in omnibus fere locis* usuræ *quasi licite exercebantur* a multis, uti traditur in Lateranensi Generali Concilio an. 1179. Hunc autem errorem quamplurium praxi adhærentem præcipue versatum circa usuram, quæ a negotiatoribus percipitur, Hugo Floreffiensis coævus Auctor vitæ B. Ivettæ sub idem tempus testatur. Sic enim de illa, & aliis permultis scribit c. 9. n. 26. *Metuens tam sibi, quam filiis cavere volens imposterum, de voluntate, & consilio patris consensit in hoc, ut pecunia, quæ sibi perveniebat e substantiola, sua publicis negotiatoribus accommodaretur, ut su-*

Ex reprobatione errorum circa usuram.

Error præsertim erat de usura a negotiatoribus exacta.

In Vit. c. 9. no. 26. apud Bollandum die 13. Januarii.

*pervenientis lucri negotiantium particeps esset ; sicut multi , & honesti secundum seculum viri idem facere consueverunt ...... Quod tamen peccatum, quamvis modo quam grave , & grande sit , evidenter appareat ; tunc tamen temporis , aut omnino veniale æstimabatur , aut nullum .* Cum ergo laudatum Concilium usuram damnans, practico plurimorum errori obviam ierit, in generali illa condemnatione hunc quoque errorem, qui & practicus, & plurimorum erat, condemnasse cognoscitur; unde ex hac quidem ejusdem Concilii damnatione factum fuit, ut (quod Hugo scribit) peccatum illud de usura, ex negotiatoribus quoque percepta, quod antea leve, vel nullum habebatur, *modo quam grave , & grande peccatum sit , evidenter appareat* : quod sane apparere non potuit, nisi de ejus quoque usuræ condemnatione idem Conciliare decretum vulgo acceptum fuisset. Ita ergo & cetera sequentium Conciliorum , ac Pontificum decreta , quæ generatim adversus usuram edita fuerunt, hanc quoque usuram similiter damnasse intelligenda sunt. Enimvero universim usuram damnantes, iis seculis, quibus ex omnium Magistrorum , Scholarum , Academiarum, librorumque sententia usura intelligebatur omne lucrum ex mutuo, sive a divite, sive a paupere proveniret ; si hoc non tam late intellexissent Conciliorum Patres, ne eorum decreta perperam, & cum animarum periculo acciperentur, explicare, & restringere ad pauperes usuræ notionem debuissent.

9. Sed ne dubium sit, quin illi cum Scholasticis senserint, aliquot peculiaria monumenta, quæ ad usuram a negotiatoribus exactam pertinent, proferamus. Pontificia in primis considerare juvat. Gregorius IX. an. 1236. in celebri Canone *Naviganti* de Usuris, hoc decretum tulit: *Naviganti , vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem , eo quod suscepit in se periculum , recepturus aliquid ultra sortem , usurarius est censendus .* Hic profecto sermo est de mutuo apud negotiatorem, qui vel maritimæ negotiationi dat operam, vel ad nundinas proficiscitur. Dubium quidem est, num pro *usurarius est censendus*, legendum sit *usurarius non est censendus* ; de quo late Prosper Fagnanus, & alii Canonistę. Atqueçunque lectio præferatur, usuræ damnari patet lucrum, quod ex hujusmodi mutuo perciperetur eo saltem casu, quo periculum in se a mutuante susceptum non sit, idest quo merus initus sit contractus mutui : ac propterea lucrum ex pecunia, etiam mercatoribus mero mutuo credita, perceptum, vi hujus Canonis, in quacunque lectione, aut interpretatione, usurarium definitum.

Ex documentis Romanorum Pontificum.

10. Pius V. in Bulla, quæ incipit *In eam , quæ nostro* an. 1571., cambia sicca, & deposita, quæ fere apud mercatores fieri solent, usuræ damnans, lucrum ex mutuo sub nomine cambii, aut depositi a mercatoribus exactum, pro illicito habuit, & habendum decrevit. Quin idipsum ibidem sanciens de ipsis cambiis realibus, in quibus lucrum ex producto solutionis termino exigitur, de usura a mercatoribus reali cambio ad nundinas exacta apertissime sanxit : *Primum igitur damnamus* , inquit , *ea omnia cambia , quæ sicca nominantur , & ita confinguntur , ut contrahentes ad certas nundinas , seu ad alia loca cambia celebrare simulent : ad quæ loca ii , qui pecuniam recipiunt , literas quidem suas cambii tradunt , sed non mittuntur , vel ita mittuntur , ut , transacto tempore , unde processerant , inanes referantur ; aut etiam , nullius ejusmodi literis traditis , pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus : nam inter dantes , & recipientes usque a principio ita convenerat , vel certe talis intentio erat ; neque quisquam*

est

*est, qui in nundinis, aut locis supradictis, hujusmodi literis receptis, solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cum pecunia, sive depositi, sive alio nomine ficti cambii traduntur, ut postea eodem in loco, vel alibi cum lucro restituantur. Sed & in ipsis cambiis, quæ realia appellantur, interdum, ut ad nos præfertur,* campsores *præstitum solutionis terminum, lucro ex tacita, vel expressa conventione recepto, seu etiam tantummodo promisso, differunt. Quæ omnia nos usuraria esse declaramus, & ne fiant, districtius prohibemus.*

11. Quid dicam de Bulla Sixti V., cujus initium *Detestabilis* an. 1586. edita adversus societates non tam animalium, quam pecuniæ, cum duplici capitalis, & lucri cautione; quæ sane societates in pecunia nonnisi cum *mercatoribus*, & *negotiatoribus* sub initium quidem Bullæ memoratis ineuntur? Si Summus ille Pontifex hos contractus damnavit ob usurariam, quam sapiunt, pravitatem; profecto usuram, quæ a *mercatoribus*, ac *negotiatoribus* exigitur, non tam damnavit, quam certissimo dogmate damnatam præsumsit.

12. Neque omittam Gregorii XIII. definitionem, qua a Duce Bavariæ rogatus, usuræ damnavit contractum, in quo pecunia promiscue omnibus, etiam negotiatoribus, credebatur, unde *fructificare* quandoque illa mutuatario in casu proposito traditur: & nihilominus hac circumstantia nequaquam excepta, illicitum Pontifex definivit lucrum illud, hac generali ratione, quia contractus id genus est mutuum, & lucrum inde perceptum est lucrum ex mutuo: *Contractus, modo, & forma prædictis celebratus, usurarius est, neque enim ad aliam speciem, quam mutui, cum conventione lucri ex eodem mutuo percepti reduci potest:* idque lucrum a Deo prohibitum subjicit: quæ ratio, atque prohibitio æque in omne usurarium lucrum, a

*Ineditum hoc monumentum edetur in fine operis.

negotiatoribus etiam exactum, ex mente Pontificis cadit. Simili ratione in omne id genus lucrum cadunt pleræque propositiones damnatæ circa usuram, quas cum Apostolica Sedes proscripsit, lucrum usurarium, iisdem palliis, ac titulis, etiam a mercatoribus exactum, proscripsit.

13. Infinitus porro essem, si Episcopalia documenta proferre vellem. Quæ enim, præsertim post memorata Pontificum decreta, usuræ illicitę damnant lucrativa apud mercatores deposita, cambia sicca, vel realia, sed vitiata, quæ item societates cum duplici memorata cautione condemnant in Edictis Episcopalibus, in Diœcesanis, vel Provincialibus etiam Conciliis, innumera sunt ex Belgis, Gallis, Hispanis, Germanis, Italis, ac toto Catholico Orbe. In magna Conciliorum collectione, quam Labeus procuravit, sola Provincialium Conciliorum decreta fere edita sunt: immensi enim operis fuisset omnes Synodales Constitutiones, ac decreta singulorum Episcopatuum peculiaria colligere. In his tamen, quę non minoris auctoritatis sunt, totiusque præsentis Ecclesiæ consensum exhibent, frequentia occurrunt contra memoratas usuras, e mercatoribus quoque perceptas, decreta, qualia in Provincialibus Conciliis apud Labeum legere licet.

Ex Episcopalibus documentis, ac Synodis.

14. Sane si Episcopi, una & Pontifices Romani, non credidissent usuram, etiam a mercatoribus exactam, illicitam esse, haud opus fuisset doctoribus, ut lucrum a mercatoribus perceptum excusarent, contractus quosdam cambiorum, quæ sicca appellantur, aut societates cum duplici cautione excogitare ad usuram tegendam: ipsam enim usuram moderatam ex mutuo mercatorum palam defendere potuissent, ut ne de condemnatione, ac censuris Episcoporum, vel Pontificum extimescerent: quod tamen factum non

fuit, quia Episcoporum, & Pontificum eadem erat contra quaslibet usuras sententia.

15. Sed quid plura referre opus est in hisce documentis, vel rationibus allegandis, si Episcopos, & Pontifices omnes in eandem cum Scholasticis sententiam jam inde Seculo XIII. convenire ipsi adversarii fatentur? Immo ut hanc tantam auctoritatem eludant, eosdem Scholasticorum principiis imbutos, atque abreptos, neque Scripturam, neque Traditionem consuluisse, ac propterea defecisse eos a traditione majorum criminari non dubitant, ut ex ipsorum testimoniis c. 1. indicatis audivimus. Maximum hinc adversus ipsos præjudicium elicitur. Quo enim impudentius novitatem, & errorem omnibus horum Seculorum Episcopis, ac Pontificibus, idest ipsi præsenti Ecclesiæ nituntur impingere, eo se vehementius ejus novitatis, & erroris accusant. Ecclesiæ enim auctoritatem, & indefectibilitatem scientibus, ut aliquorum auctorum error, ac novitas detegatur, haud opus est inquirere quid vetus Ecclesia primis decem, aut duodecim seculis tradiderit. Si exploratum sit, quid a XII. vel XIII. seculo posterior Ecclesia credidit, vel sola præsens credat Ecclesia, quæ a recta, & antiqua fide ex certis Christi pollicitationibus deficere nequit; simul scitur quidquid vetus Ecclesia prioribus seculis tradidit; ac propterea quidquid præsentis Ecclesiæ doctrinæ invenitur adversum, novum, & erroneum esse convincitur. Si quos antiquos novæ sententiæ testes adversarii proferrent, excusabilior eorum nisus videri fortassis posset. At adeo omni antiquitate deserti, nullum testem allegare queunt ante Calvinum, Molinæum, Salmasium, quos duces, & auctores suos vel nominare pudet, ut ad auctoritatem antiquorum provocati, solas (*) ratiocinationes obtrudant, iisque totam præsentem controversiam dijudicandam, ipsaque exinde antiquorum testimonia, quæ sibi obsunt, interpretanda contendant. Quis ergo adversariorum audaciam simul & novitatem non videat?

Ex adversariorum confessione.

Criminatio eorundem adversariorum Pontificibus, & Episcopis impacta diluitur.

Novitas ab adversariis inducta.

(*) Vide dicenda lib. 5. cap. 1.

16. Notanda etiam contradictio. Dum enim de Scholasticis agitur, indulsisse eos nimium rationibus, ac rationum Scholasticarum caussa a Traditione defecisse criminantur. Dum vero hujus criminationis probationes ex Traditione ab illis quæruntur, seu dum Traditionis opponuntur testimonia, quibus Scholasticorum sententia confirmetur luculenter, solas rationes e suo ingenio proferre, & ex his omnia explicare, ac interpretari nituntur. *Ecce mentita est iniquitas sibi*, telumque, quod adversus Scholasticos intorserunt, in ipsorum caput recidit. Jam satis detecta novitas est. Neque enim Scholasticos, qui non solum Episcopos, Pontifices, & totam Ecclesiam secum sentientes habent, sed antiquitatem, Traditionem, & Scripturas ipsas, ut superioribus capitibus probavimus; sed illos solos innovasse liquet, qui post tantam Seculorum omnium consensionem, nullis idoneis testibus, & solis ratiocinationibus, novas Scripturarum, ac Traditionis interpretationes novitio plane dogmate ingerere student. Ita sacra Scriptura, Traditio, Pontificum, Episcoporum, Conciliorum, Scholasticorum omnium, uno verbo totius Ecclesiæ fides in unum conspirat. Sola opponitur novitas, quæ Calvinum, & Molinæum duces, & paucos Jansenistas ab Ecclesia rebelles habet patronos.

Eorum contradictio.

17. Peculiares pro usura a ditioribus exacta, de qua nunc agimus, objectiones ab auctoritate nullæ sunt, quibus responderi opus sit; quæ autem a ratione, seu ab æquitate quadam, ut videtur, naturali ab adversariis in hanc rem maxime inculcantur, cum ad solum na-

De objectionibus a ratione.

naturale jus, non autem ad divinum pertineant; in librum sextum remissæ, ubi de naturali jure agetur, nec in præsentiarum refellendæ, ubi de solo jure divino sermo est, certo divino juri, & catholico dogmati cedere debent, ut sæpius ante diximus, & luculentius etiam statuemus. Desinat itaque novitas vetustati lacessere, & nemo, nisi Novator esse velit, proprio ingenio, aut Calvinistis, vel Jansenistis illis præfidens, exploratam, constantem, ac perpetuo traditam Ecclesiæ doctrinam abjiciat.


### §. III.

*Epilogus.*

18. HActenus de divino jure disferentes totum circa usuram dogma constituisse nobis videmur. Usuræ nomine non immoderatum solummodo, sed quodcunque lucrum ex mutuo perceptum, & in Scripturis, & in Ecclesia semper acceptum fuisse, omneque id genus lucri prohibitum, nec uti contrarium charitati tantum, sed etiam justitiæ, nec ex solis pauperibus, sed ex omnibus quantumvis locupletibus, ac mercatoribus, exactum prohibitum esse divino illo jure, cui Scriptura, Traditio, Pontifices, Episcopi, Concilia, tota denique Ecclesia calculos dant, adeo evidenter demonstratum credimus, ut nullum fortassis dogma sit, quod certiora, & constantiora documenta præferre possit. Ipsi adversarii, qui dum catholico dogmati omnes repugnant, alii aliis aliqua ex parte contradicunt, ejusdem rei testes aliquatenus sunt. Calvinus enim, Salmasius, & alii eorum asseclæ, divinum jus in veteri Testamento omnem usuram, æque a pauperibus, ac a divitibus exactam, interdixisse propugnant. Jansenistæ autem usurarum patroni, idem divinum jus in veteri, ac in novo Testamento confirmatum ex Traditione confitentur. Quæ duo si simul junguntur, integrum catholicum dogma, quod hactenus probavimus, ex ipsorum adversariorũ principiis resultat, cui qua ex parte alii, atque alii resistunt, refelluntur, ac revincuntur ab aliis, sive ex Scriptura, sive ex Traditione, & ita *inimici nostri sunt judices*; omnes autem simul ex Scriptura, ac ex Traditione confutantur ab ipsa Ecclesia Catholica, cui omnes Catholici parent, soli autem refractarii, ac pertinaces resistunt.

19. Quod si duobus sequentibus libris de naturali jure acturi, non æquali fortassis demonstratione uti videbimur, ac de divino jure hactenus usi sumus; sicut non idcirco incertum fiet divinum jus, quod tam luculenter constitutum est, ita nec catholicum dogma nutabit. Recolenda in hanc rem egregia illa Hugonis Grotii verba, quæ, licet heterodoxus, scripsit l. 2. De jure belli, & pacis. c. 12. §. 20., ubi postquam de naturali jure a ratione disseruisset, etsi nihil exinde efficax pro usura vetãda reperiri posse credidit, cum tamen rem hanc per se *honestam* videret, solum divinum jus nobis satis esse oportere his verbis confessus est: *Sed quidquid de hac re* (idest de naturali jure) *n... tire nobis libeat, sufficere m... bet lex a Deo Hebrais data, q... ...tat Hebraos Hebrais pecuniam dare fœnori. Est enim hujus legis materia, si non necessaria, certe honesta moraliter, unde & aliis maxime moralibus adnumeratur Psalmo, qui apud Hebraos est decimus quintus, apud Latinos decimus quartus; & apud Ezechielem cap. 18. Qua autem hujus generis sunt, Christianos quoque obligant, quippe vocatos ad majora virtutum specimina; & qua tunc homini Hebraeo, aut circumciso ...... prastari jubentur, ea nunc prastanda sunt homini cuivis, omni populorum discrimine per Evangelium sublato, latiusque extenso pre-*

*proximi intellectu*. O verissimam heterodoxi sententiam, quæ Jansenistis adversariis, qui se Catholicos præferunt, pudori sit! Deseruit quidem illam deinde Grotius, cum Salmasii Calvinistæ libris distractus in Calvinianum errorem, certissimæ Traditioni valedicens, certum divinum jus, non apud Hebræos quidem, sed apud nos tantummodo cœpit vocare in dubium. Sed qui idem jus & nobis, & Hebræis manere certum fatentur, ut fateri quidem debent omnes (1) Catholici, qui Traditioni, & Ecclesiæ credunt, nec ratiocinationes inanissimas auctoritati præferendas putant, ii repudiare profecto nequeunt Grotianum idem effatum, debere nobis hoc divinum jus sufficere, cujus quidem materia, etsi forte a ratione non videatur necessaria, licita tamen, & honesta est. Hoc quidem unum divinum jus Patres, Concilia, Pontifices satis esse putarunt, cum Christianis de usura vitanda præcipientes, Moysen, Prophetas, Evangelium, seu divinam legem tantum proposuere. Idem nobis si pro regula sit, nihil præterea a ratione, nihil a naturali jure quęrendum arbitrabimur; vel si quid inquirere placeat, eo tantum consilio quæretur, ut (quod majores nostri fecerunt) ratio divino juri subserviat, non vero eo, ut si ratio non convincat, divinum certum jus deserendum, aut extorquendum credatur. Impiorum, vel hæreticorum id proprium est, a quorum moribus Catholici longissime absunt. At de hoc plura mox initio libri sequentis, ubi ad jus naturale expendendum accedentes, cautionem in eo adhibendam proponemus. Hactenus de Catholico circa usuram dogmate.



LIBER

(1) Adde quod idem fatentur & adversarii, quos nunc impugnamus: hi enim solum divinum jus Hebræis datum ad pauperes restringunt. At hos hoc in capite ipse Calvinus, Molinæus, Salmasius, aliique plures refellunt, quod æque divites, ac pauperes complectitur.

# LIBER QUINTUS.

## *De jure naturali circa usuram.*

### CAPUT I.

*Qua cautione agendum sit de naturali jure circa usuram.*

### §. I.

*Systema eorum, qui usuræ quæstionem a ratione decidendam contendunt, ita ut inde divinum jus adstruatur, vel negetur.*

1. 
Ost constitutum divinum jus circa usuram ex divina revelatione, & Catholicę Ecclesię doctrina, quid de jure naturali a ratione sentiendum sit, exquirendum superest. Primo enim statuendum erat, quod ex Christiano dogmate certum est; dein quid præter dogma ex ratione elici possit, ea cautione videndum, ut ratio dogmati quidem famuletur, non autem dogma ex ratione detrimentum capiat. Id æquissimum, & justum ipsa ratio docet; neque de hac cautione agendum esset pluribus, nisi quidam usurarum patroni in hoc principio subvertendo novissime laborassent. Auctor enim tractatus *Des Prets de commerce* part. 2. art. 1., nec non Auctor Bibliothecæ Gallicæ tom. 27. part. 1. art. 5., ubi ejus tractatus specimen exhibet, ac tandem Auctor fusiori, Epistolæ de eodem argumento, quæ tom. 28. ejusdem Bibliothecæ part. 2. art. 10. inserta est, omnia morum præcepta a Christo vetita, adeo rationi, ac naturali juri niti oportere contendunt, ut quod ratione vetitum probari nequeat, neque divino jure vetitum dici possit. Hinc porro quæstionem de usura, sicut & alias morum, non ab auctoritate, sed a ratione in primis, dijudicari volunt, ita ut ex iis, quæ ratio prædocet, Scripturæ, & Traditionis testimonia explicanda sint, non autem contra. Cum porro a ratione usura demonstrari haud facile possit injusta, ut plures fatentur; cum divitibus autem, ac mercatoribus justa potius, & æqua satis a ratione ab iisdem præferatur; hanc jure divino vetitam dici non posse, caussamque totam finitam esse concludunt. In hanc absurdissimam sententiam, quæ non solum dicenda, sed constituta etiam everteret, nonnulla differenda sunt, antequam de naturali jure, ac ratione disputationem aggrediamur.

### §. II.

*Impugnatur, tum quia divina lex præcipere, aut vetare potuit, quæ naturali jure præcepta, ac vetita non sunt, tum quia in iis ipsis, quæ naturali jure continentur, divina revelatio rationi præferenda est, non autem contra. Error cujusdam adversarii impugnandus proponitur.*

2. ET primo, etsi quæcunque naturalis sunt juris, confirmata constet a Christo in lege Evangelica; num tamen nihil præter ea, quæ naturali jure præcepta, vel vetita sunt, ille confirmaverit, non ita certum, & exploratum est, ut adversarii contendunt. Certe matrimonii jam consummati dissolutio non omni casu interdicta est natu-

rali jure, cum dissolvi possit matrimonium ejus, qui altero conjuge infideli repugnante, ad fidem convertitur: & nihilominus hanc dissolutionem inter fideles a Christo vetitam Catholicum dogma tradit. Similiter polygamia simultanea ex Christi lege illicita est, quæ tamen est in antiquis Patribus damnari non possit, dubium exoritur, num Dei dispensatione, an ex naturali jure licita sit. Ita ergo etiam usura, etsi naturali jure non esset interdicta, ubi sane interdictam certissime credo; divino tamen non minus veteris, quam novæ legis jure vetari potuisset. Res enim per se satis honesta est, etsi naturali jure necessaria non præsumatur, usuram vetare, & gratuitum mutuum præcipere; quod cum ex divino certissimo jure factum constet, non idcirco negandum est, siquidem ex ratione, ac naturali jure nihil præceptum, aut interdictum præsumatur.

3. Sed hac hypothesi interim prætermissa, præsumtoque veluti certo eo S. Thomæ, ac plurium Scholasticorum principio, nihil ex veteri lege confirmatum a Christo in præceptis moralibus, nisi quod naturali jure præceptum, aut vetitum est; non idcirco naturalis ratio ad hanc naturalem legem adstruendam ita necessaria haberi debet, ut *Deus nihil præcepisse, aut vetasse dicendus sit, quod in naturali lege evidenter* (a ratione) *non contineatur. Les préceptes de Morale, que Dieu a donnès, ne commendent & ne defendent rien qui ne soit evidemment contenu dans la loi naturelle.* Hoc enim qui statuunt, non tam rationem naturalem in naturali jure requirunt, sed eam solam audire, & sequi volunt, ita ut ex ea ipsam divinam legem adstruant, vel negent. Ita in naturalibus præceptis nulla Scripturæ, nulla Traditionis, aut Ecclesiasticæ auctoritatis ratio habenda esset, nisi quatenus rationi consentanea judicetur: & divina lex ad mores pertinens, non a revelatione, sed a ratione esset repetenda, atque dijudicanda, & a ratione etiam, quæ cuique singillatim suadeatur, ut Auctor Epistolæ contendit: *Chacun doit trouver dans son propre fond les principes pour decider sur ce qui est permis ou defendu.* Id autem cum in privatum spiritum divini verbi judicem, & interpretem ex hæreticorum sententia statuendum recidit, tum vero divinam revelationem, ac legem rationi ita subjicit, ut ex ratione, quæ cuique videatur, divina lex, ac revelatio adstruenda, vel neganda sit; si modo divinæ revelationi locus relinquitur, ubi ex sola ratione totum negotium definiendum præfertur. Hinc ejusdem Epistolæ Auctor præsentem controversiam de usura, sicut & ceteras ad naturale jus pertinentes, nec divinæ revelationi subjici, nec ad dogma spectare posse contendit: *C'est que ce que la loi naturelle decide, ne peut jamais devenir un objet de foi.* In hæc absurda incurrant oportet, qui, ut usuræ patrocinentur, certissimum de usuris dogma humanis ratiocinationibus eludere nituntur. Pauca quædam ad confutationem sufficient.

Traité des prets de cōmerce p. 58.

Tom. 18. Bibliotheque Françoise part. 2. art. 10. p. 378.

## §. III.

### *Quanti facienda sit auctoritas sacra, & revelatio, in decidendis ipsis morum controversiis, præ ratione naturali: & quam necessaria.*

4. Catholicam fidem non sola speculativa, sed practica etiam dogmata complecti adeo certum est, uti certum est ad fidem pertinere quæcunque in sacris libris continentur, quorum pleraque præcepta cum ad regendos mores dirigantur, seu (ut inquit S. Paullus 2. Timoth. 3. v. 16.) *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia*; si hæc

hæc ab objecto fidei deberent excludi, potior Scripturarum pars a Catholica fide præcidenda esset. Catholica Ecclesia ab hoc principio alienissima semper fuit; & cum ex Scriptura, tum ex Traditione doctrinam morum semper exquisivit, cum ex iisdem dijudicavit morales controversias, dogmataque certa exinde proposuit, quibus qui adversaretur, hæreticus esset, non minus quam ille, qui speculativis dogmatibus obviam iret. Hinc jure Gallicanus Clerus in celebri decreto an. 1700. hoc principio usus est: *Religionem Christianam fide, & moribus constare, dogmatum autem tum fidei, tum morum eundem esse fontem, ac bene vivendi regulam ad ipsum fidei caput pertinere, Ecclesia Catholica semper intellexit*. Qui rationem privatam in morum controversiis præferunt, quod in controversiis fidei non auderent; ii animadvertant, rogo, Tridentinum Concilium sess. 4., ubi æquali freno coercendam putavit eorum temeritatem, qui *in rebus fidei, & morum* Scripturas ex proprio sensu potius, quam ex Patrum, ac Traditionis doctrina interpretari auserint. Si ea perfecta ratione uteremur, quæ errori non esset obnoxia, potior semper locus divinæ auctoritati dandus esset. Cum autem ea nobis in hoc seculo ratio sit, quæ & magnis ignorantiæ, & majoribus etiam cupiditatum tenebris impedita, atque obvoluta, in morum negotiis maxime cæcutit, quis hunc ducem satis tutum credat, ut divinam auctoritatem negligendam putet? Immo quis e contrario rationi, seu potius ignorantiæ propriæ non maxime diffidens, divinam auctoritatem consulendam non judicet, ut non minus fidem, quam legem perdiscat? Ita sane David in Psalmis, ac præsertim Psal. 118., legem *ex Dei verbo* exquirendam, doctrinamque ejus ab ipso Deo enixe petendam frequenter inculcat: filiusque ejus Salomon Sap. 9. v. 5. & seq., legis, ac præceptorum scientiam postulat a Deo, de ratione timens vehementer, propterea *quod corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum* &c. Ita Isaias c. 8. v. 20., Michæas c. 6. v. 8., aliique Prophetæ missi fuerunt ad instituendos in morum doctrina illos, qui a ratione veram doctrinam ignorabant: & Christus de præceptis morum interrogatus, nunquam ad rationem, semper ad legem divinam, aut doctores legis remisit: *In lege quid scriptum est? quomodo legis?* Luc. 10. 28. 29. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi* &c. Math. 23. 2. 3. Cum vero hi legis doctores ex propriis ratiocinationibus male, vel imperfecte legem explicarent, idem Christus adeo rationi in hoc negotio nihil permisit, ut monitione illa præmissa, se unum esse Magistrum, cui obaudire omnes discipuli debent, singulis mandatis legis veteris, quibus ex Pharisæorum doctrina aliquid deerat, ipse suo verbo, cui omnes nulla alia ratione quæsita obsequerentur, veram, & perfectam intelligentiam subjecit: *Dictum est antiquis* &c. *Ego autem dico vobis* &c. inter quæ mandatum de usura vitanda recensetur.

5. Enimvero si hunc divinum ducatum deseramus, nonne timendum est, ne cæci, ratione cæcutiente duce, in perniciosissimos errores labamur? Exempla insignium errorum, quibus apud Gentes sola ratione ductas licita putabantur multa, quæ ipso naturali jure nobis certissime illicita sunt, ejus veritatis invictum argumentum præbent. S. Paullus ad Ephesios scribens c. 4. v. 17. monet Gentes ambulasse *in vanitate sensus, sui tenebris obscuratum habentes intellectum*, alienatos *a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum*. Sed quid Gentes appello? Nonne Christianis etiam Theologis quampluri-

mis contigit, ut vel damnatos ante errores excitarent, vel novos in medium producerent, propter *summam luxuriantium ingeniorum licentiam*, qua ab Evangelicæ doctrinæ simplicitate, Sanctorumque Patrum Traditione declinantes, ratiocinationibus auscultare maluerunt? ut Alexander VII. observavit in Decreto diei 24. Septemb. an. 1665. In hac naturæ lapsæ corruptela nihil magis, quam de sola ratione metuendum est; non quod si vere ratio sit, contra naturalem legem pugnet; sed quod error, rationis, & veritatis imaginem sæpissime præfert, irrepitque facillime, ita ut bonum dicatur malum, & malum bonum: quod in ipsis exploratioribus præceptis accider, si, cupiditate præsertim impellente, ad examen singula revocemus, ut ipse Tacitus observavit l. 1. Hist. *Si ubi jubeatur, quærere singulis liceat, pereunte obsequio, etiam imperium intercidit*.

6. Hæc itaque errorum pericula ut evitentur, simulque ut brevior, omnibusque patens sit ad veritatem via, divinæ revelationis, & auctoritatis inquisitio, & cognitio præferenda est: in quam rem egregie admodum S. Thomas 1. part. quæst. 1. a. 1. *Ad ea etiam, quæ de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina: quia veritas de Deo per rationem investigata, a paucis, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum homini proveniret*. Stet igitur, in ipso naturali jure dignoscendo auctoritatis sacræ, ubi inveniri possit, primas partes esse oportere, rationis autem secundas: ita ut ubi ex sacra auctoritate certum sit aliquid esse licitum, vel interdictum, ratio consulatur, si placeat, ut confirmetur, quod ex dogmate constat, non autem ut ipsum dogma in dubitationem adducatur, vel ut (quod eodem recidit, & adversarii in præsentiarum contendunt, ne certum dogma videantur repellere) aliorsum explicanda, seu potius distrahenda dicantur, quæ certum dogma demonstrant.

### §. IV.

*Hactenus constituta ad quæstionem de usura applicantur, indeque cautio adhibenda statuitur.*

7. Ita fiet, ut cum de fœnore quæritur, quod a divitibus, ac mercatoribus exigitur, certa præferatur Scripturarum, ac Traditionis auctoritas, qua illud a Deo prohibitum proditur, ut superiori libro demonstratum est; nec rationes illæ, quæcunque secus videantur probare, quempiam movebunt. Hoc sane principium auctori *Tractatus de mutuo commercii* certissimum habitum est in prima tractatus parte, ubi de lucro a pauperibus exacto Theologum agens aliquanto rigidiorem, Scholasticos in invidiam vocare voluit, quod rationem potius, quam auctoritatem consulentes, exceptiones admiserint, quas nec Scriptura, nec Traditio suggerit; & inter cetera hæc quodam loco scribit: *S'ils eussent plus consulté la regle de la foi, que le raisonnement humain, ils auroient été facilement convaincus, que dans les prets, dont Dieu parle dans sa loi, & qu' il commande dans l' Evangile, tout le péril du sort principal doit tomber sur le preteur*. Et alibi. *La doctrine de l' Ecriture, & des Peres est de la plus grande simplicité .... & ce n' est point de ces sources pures, que les Scholastiques ont tiré les exceptions qu' ils admettent*. Ita adversarius de lucro a pauperibus exacto, cum Theologum agit adversus Scholasticos, qui nonnullas ejus lucri ab usura quandoque vindicandi exceptiones afferunt. Jurene, an injuria hæc de Scholasticis scripta sint, alterius loci erit cogno-

Traité pag. 1. 10. 25. 28. 31.

pag. 31.

gnoſcere. Interim jure, ut opinor, velim, ut idem auctor non alia methodo uteretur, dum de uſura adivitibus, ac mercatoribus exacta agitur. Si enim Scholaſtici juſtiſſimam reprehenſionem mererentur in ea controverſia, in qua rationes potius, quam Scripturam, ac Traditionem conſuluiſſent; quidni eandem reprehenſionem ipſe,& ceteri ejus defenſores ſubierint, qui in præſenti diſputatione ita rationem auctoritati præferunt, ut evidentiſſima Scripturarum, ac Traditionis documenta, ex ratiocinationibus, quæ ipſis graviſſime videntur, vel diſſimulare, & contemnere, vel per ſummam vim, quam illa non ferunt, interpretari nituntur?

8. Num Scripturæ, ac Traditionis teſtimonia, & argumenta, quæ ſuperioribus libris in ſtatuendum Catholicum dogma digeſſimus, explorata, ac certa per ſe ſint, quivis æquus lector judicabit. Adverſariis autem videndum etiam atque etiam erit, ne ratiocinationibus præpediti, atque impediti, ea aliorſum, ac ſenſus obvius poſtulat, intelligere, aut reſtringere velint: id enim eſſet non rationem auctoritati ſubſervire, quod unice faciendum eſt, ſed auctoritatem ſubſervire rationi; nec primas auctoritati partes, ſed rationi dare, quod ex hactenus dictis perverſum eſt, & ab ipſis adverſariis reprehenditur. Si porro omnem uſuram nulla exceptione a Deo vetitam ex Scriptura, ac Traditione liqueat; hocce Catholicum dogma immotum ſtare debet, quæcunque a ratiocinatione objiciantur: hocque principio præſumto, ad naturalis juris quæſtionem ſine periculo accedere licet, ut ſi a ratione naturali jus confirmari poſſit, bene vertat; ſin autem non poſſit, nihil a Catholico dogmate poſſit dimovere. Hæc eſt ea cautio, quam ad coercendam adverſariorum temeritatem hoc capite prædocere opus fuit.

## CAP. II.

*Duplici via de naturali jure circa uſuram agi poteſt, ab auctoritate ſacra, & a ratione. Quid ſacra auctoritas doceat, in primis ſtatuitur.*

1. De naturali jure in rebus moralibus duplici via cognoſcere licet. Primum a revelatione divina, vel auctoritate Eccleſiæ, quatenus revelatum, vel auctoritate Eccleſię definitum ſit, aliquid jure naturali vetitum, vel pręceptum eſſe; deinde a ratione, quatenus ipſa naturalis ratio aliquid vetitum, vel præceptum dictet. Nonnulla utraque via conſtant, alia autem alterutra. Ratio quidem naturalis, cum ex ipſo prodeat naturali jure, quod in ipſa recta ratione continetur, ubi quid ex ſe præceptum, vel interdictum probet, id juris naturalis eſſe certum eſt. At cum hominum ratio in hac corruptione naturæ multis tenebris involuta ſit, fieri aliquando poteſt, ut in ipſo naturali jure, quod ratio non definit, ſacra definiat auctoritas; hæcque ad naturale jus certiſſime cognoſcendum ſatis eſt: ut patet ex nonnullis, quæ a ratione in controverſiam adducta, ſolius Eccleſiæ auctoritate (ex. gr. in propoſitionum quarundam condemnatione) naturali jure illicita nihilominus credenda omnibus ſunt. De naturali porro jure circa uſuram ut plene cognoſcamus, utramque viam experiri juvat. Et primum ab auctoritate ſacra, quam in divina revelatione, ideſt in Scripturis, & Traditione, nec non in doctrina Eccleſiæ poſitam diximus.

2. Exordiamur a veteri Teſtamento, in quo vel per adverſarios certum eſt, ad naturale jus pertinere, quod de mutuo citra uſuram pauperibus tradendo, in Exodo, ac Levitico præcipitur. Solum oppo- *Argumentũ naturalis juris ex veteri Teſtamento*

nitur Deuteronomii locus, ubi usura cum alienis permittitur. At eum alienus ibidem intelligi possit etiam pauper, ut vidimus lib. IV. c. 2., cum id contra naturale jus ex ipsis adversariis pugnet, in usuræ approbationem, saltem generalem, hic locus afferi non potest. Cum porro varias interpretationes suscipiat, de quibus legendus est lib. II. c. 2., evidens inde argumentum elici nequit ad usuræ defensionem ex naturali jure, nihilque impedire nos debet, quominus exploratiora aliunde ex ipsa Scriptura inquiramus, ut quid circa naturale jus censendum sit, efficacius statuatur.

Ex Psalmis. 3. Primus autem sese offert Regius Psaltes, qui Psal. 14. edocturus omnes, quæ ad cœlestem patriam consequendam necessaria sunt, ut generalem, quæ omnes homines comprehendat regulam præstituat, nihil proponit, quod naturalis juris omnibus commune non sit; cumque inter cetera usuram interserat, eam perinde prohibens, ac falsum testimonium, perjurium &c., quis hanc unam ad morale jus non pertinere affirmet? Certe lex Moysis civilis, qua soli Judæi tenebantur, Gentes ligare non poterat. Naturalis igitur legis omnia esse dicenda sunt, quæ David hoc in Psalmo omnibus tam Hebræis, quam Gentibus necessaria proponit: neque enim ad solos Hebræos, sed ad omnes, hujus Psalmi verba dirigi ex toto contextu manifeste cognoscetur.

Ex Ezechiele. 4. Apertius Ezechiel c. 18., justi, & injusti proprietates describens, justitiam, ac injustitiam naturalis juris, seu moralem, non autem cæremonialem, vel legalem apertissime profert. Hine singula, quæ commemorat mandata, si attente consideres, omnia naturalis juris esse deprehendes. Neque enim difficultas ingerenda est de accessione ad menstruatam, ac si id legale fuerit, & non naturale, quod frequentissima, ac gravissima filiis, qui eo tempore concipiebantur, damna inferebat, ut in hunc locum observavit S. Hieronymus: *Dicuntur concepti fœtus vitium seminis trahere, ita ut leprosi, & elephantiaci* (idest elephantiasi, pessimo totius corporis cancro, laborantes) *ex hac conceptione nascantur*. Quæ damna si nunc non apparent, neganda idcirco non sunt de temporibus antiquis, in quibus ita morbi quidam grassabantur, qui sensim desiere, uti postremis hisce temporibus irrepserunt quidam morbi, quos antiqui ignorarunt. De lepra quidem apud veteres, Hebræos præsertim, frequenti, ac maxime odiosa dubitare non licet, quemadmodum in singulari dissertatione *de lepra Mosaica* ostendit Daniel Clericus. Inter has porro naturalis juris, ac justitiæ partes Ezechiel ponit usuram vitare, sicut non vitare inter naturalis injustitiæ crimina collocat. Quis ergo unam usuræ vitationem inter capita naturalis juris; ac moralis justitiæ relatam, ad legalem justitiam transferre æqua ratione possit?

Ex novo Testamento. 5. Quod si hæc ex Davide, & Ezechiele non videantur omnino evidentia, exploratius certe, & vehementius quiddam ex novo Testamento proferre licet, in quo veterem usuræ prohibitionem confirmatam a Christo ex Catholico dogmate inficiari nemo potest. Ex tribus præceptorum generibus, quæ in veteri Testamento distinguuntur, moralibus seu naturalibus, judicialibus, & cæremonialibus, sola moralia, quæ ad naturale jus pertinent, in Testamento novo custodita, confirmata, & ad perfectionis gradum perducta omnes post S. Thomam norunt. Licet enim Ecclesiæ sicut quædam judicialia ad tempus repetere, nonnullas item veteres sacrorum cæremonias ad ritus Ecclesiasticos transferre; hæc tamen non Christi, sed Ecclesiæ præscriptione facta fuerunt, cum omnium & cæremonialium, & judicialium legum vis sublata fuerit

Vide probationes digestas lib. I.

per

per Christum, qui dum *legem*, & *Prophetas usque ad Joannem* viguisse affirmavit Luc. 6., de his praeceptis intellexit, non autem de moralibus, seu naturalibus, quorum legem sibi non solvendam, sed perficiendam, ejusque justitiam apud nos abundare, idest perfici oportere palam testatus est. Hinc quidem Sanctus Irenaeus sola *naturalia legis*, quae scilicet ad naturalem legem pertinent, a Christo confirmata, ac perfecta commemorat l. 4. adversus haereses c. 27. *Dominus naturalia legis ...... non dissolvit, sed extendit, sed & implevit*. Et ad haec nominatim in sequentibus refert, quae Christus in sermone ad discipulos habito in Monte praecepit, ubi in praecepto mutui, quod ad perfectionem perduxit, usurae prohibitio confirmata fuit. Neque moveat, quod Christus nonnulla etiam praeter naturalem legem prohibuerit, veluti simultaneam polygamiam uxorum, atque divortium quoad vinculum, quae apud ipsos Hebraeos, saltem aliquo casu, erant permissa. Nam praeterquam quod haec in multorum sententia ad naturale (r) jus aliquo modo pertinent, a quo Hebraei speciali de caussa a Deo potuerant dispensari (neque enim omnia naturalis juris mandata aeque indispensabilia sunt) si tamen positivo juri haec tribuenda credantur; aliud est de iis, quae in veteri lege permissa, Christus novo jure prohibuit, aliud autem de iis, quae in lege veteri prohibita confirmavit. Plura sunt in novo Testamento, quae Christus praeter veteris Testamenti legem novo jure sanxit, uti patet praesertim in Sacramentis, ad quae cum polygamia, ac divortium pertineat, potuit in his nova lex condi, etiamsi nec naturale, nec positivum veteris Testamenti jus illa vetasse praesumatur. Cum autem dicitur nihil ex veteri lege Christus confirmasse, quod ad naturalem legem non spectet; non de praeceptis novo jure latis, sed de confirmatis, atque perfectis intelligitur. Cum itaque Christus veterem usurae prohibitionem confirmaverit, atque perfecerit; hanc ad naturale jus referendam manifestum est.

6. Addere nonnulla etiam possemus ex Traditione Patrum, qui etsi usuram ex divina lege saepius damnent; nonnulla tamen afferunt, quibus eam naturali jure damnatam se credidisse apertissime insinuant. Alii enim cum ipsum Moysen in prohibenda usura injustitiam ejus spectasse affirmant (ὡς ἄδικον *injustum censens, ut ex pecuniis usuras legamus*, inquit S. Clemens Alexandrinus l. 2. Stromat. c. 18.) usuram utique non ideo malam, & injustam credidere, quia per Moysis legem vetita fuit, sed ideo potius vetitam, quia per se mala, & injusta erat, hoc est ex ipsa lege naturae. Hinc etiam alii in damnatione usurae, injustitiam ejus non a lege divina, sed ab intrinseca inaequalitate derivarunt, qua minus datur, & magis exigitur: *Plus accipere, quam quis dederit, injustum est*, Lactantius ait l. 6. Institut. c. 18. Huc referuntur illa S. Joannis Chrysostomi Hom. 56. al 57. in Matth. *Hoc injustitia vinculum est; hac obligatio violentarum pactionum. Do*, inquit, *non ut accipias, sed ut plura reddas ... Tu plus quam dederis, exigis, & quod non dedisti, ut debitum tibi cogis numerare eum, qui non accepit*; nec non illa Cassiodo- Ex patribus.

(r) Quaedam scilicet, etsi per se universim mala non sunt, cum tamen plurimis periculis, & scandalis sint obnoxia, eo naturali jure universim vetantur, quod periculorum, & scandalorum caussas vetat. Vide dicenda cap. 6.

siodorii in Ps. 15. v. 10., ubi fœnus hac ratione prohibitum tradit, *quia vitium cupiditatis est exigere velle quod te nescias commodasse*. Paria habent S. Zeno Episcopus Veronensis tract. 9. c. 1. n. 4., S. Ambrosius de Tobia c. 3., S. Augustinus enarrat. 3. in Ps. 36. n. 6. & alibi sæpius, S. Leo Magnus serm. 16. de jejunio decimi Mensis, Beda in Ps. 14., & alii plures, quos recitare non vacat. Alii etiam usuræ injustitiam in eam caussam referunt, quod hoc lucrum sine ullo justo titulo perinde colligatur, ac qui ea, quæ ipse non seminavit, nec labore ullo excoluit, sibi colligeret. Hoc naturalis injustitiæ argumentum inculcatur a multis, nec ex ingenio eductum, sed ex ipso sumtum Evangelio videtur, ubi Christus in parabola servi desidiosi usuram designat veluti lucrum ei injusto domino congruum, qui *tollit quod non posuit, & metit quod non seminavit*, de quo plura attulimus l. II. c. 6. n. 4. Hinc ergo usuræ injustitiam reprehensurus S. Gregorius Nazianzenus orat. 15. in plagam grandinis, scribit: *Alius usuris, & fœnoribus terram contaminavit, colligens, ubi non seminaverat, & metens, ubi non sparserat*. Et S. Basilius in Ps. 14. usurarium alloquens, ait: *Sine terra plantas, sine satione metis*; & Sanctus Gregorius Nyssenus in orat. contra fœneratores: *Vult omnia sibi sine satu, & inarata progigni* &c. seu, ut S. Joannes Chrysostomus loquitur Hom. 56. al 57. in Matthæum, *sine terra, sine pluvia, sine aratro seminare* &c. Alii tandem sterilitatem pecuniæ inculcant, ex qua usuræ partum exigere contra ipsam naturam est. S. Gregorius Nyssenus *as, & aurum parere non solita*, incredibiles partus per usuram edere notat, at ita naturæ contrarios, ut Hom. 4. in Ecclesiasten exclamet: *O improbam conjunctionem, quam natura quidem non novit!* Et S. Joannes Chrysostomus loco nuper allegato non minus repugnare naturæ affirmat hunc usuræ fœtum, quam repugnet secundum mulieris uterum scorpiones parere: *Qui pecuniam justis partam laboribus sæpe reddit iniquam ob iniquos fœtus, ac si quis fœcundum uterum cogat scorpiones parere*. Legenda sunt, quæ de hoc partu naturæ contrario latius disserunt S. Basilius in Ps. 14., & S. Ambrosius de Tobia c. 12. & 13. Quidquid est de rationum istarum substantia, Patres certe, qui has rationes attulere, profecto crediderunt usuram adversari rationi, atque naturæ.

7. De Scholasticis nihil dicam, quos usuram non minus divino, quam naturali jure vetitam, certa, communique sententia expresse tradere notissimum est. Horum autem auctoritas quanti sit, cum communis est omnium, alibi ostendimus: neque tamen succenseri illis potest, ut nonnulli perperam succensent, quasi novam sententiam invexerint; ea enim, quæ Patres tradiderunt, suscepisse, ac docuisse ex dictis liquet. — *Ex Scholasticis.* — *lib. 4. c. 3.*

8. Si autem cum Scholasticis aliquot Concilia, atque Pontifices posteriorum temporum usuram naturali jure vetitam pronunciarunt; id non inconsideranter ex præjudicio scholastico excidisse, sed a Traditione Patrum, & ab ipsius Scripturæ fonte manasse dicendum est. E Pontificibus indicabo Gregorium XIII. in literis ad Bavariæ Ducem die 27. Maji an. 1581., ubi contractum, quem Dux proposuerat, usurarium definiens, eundem nulla consuetudine, vel humana lege purgari posse ait, *cum sit jure divino, & naturali prohibitus*. E Conciliis autem Synodus Provincialis Beneventana XIII. an. 1656. tit. 58. n. 1. de usura ait: *Judaismum redolet, ac juri naturali, tum positivo, seu divino, seu humano adversatur*. Plura si quæras, alibi invenies. Hæc Scripturarum, Traditionis, ac Ecclesiæ — *Ex Conciliis, & Romanis Pontificibus.*

ecclesiæ auctoritas utrum de naturali jure satis definiat, Catholicus lector judicet. Nunc ad alia naturalis juris argumenta transeamus.

## CAP. III.

*Jus naturale de usura inhonestate, atque injustitia ex nonnullis Gentilium indiciis, ac placitis colligitur.*

Objectio adversariorum ex legibus Gentium de Usura.

1. Cum usura apud omnes fere nationes legibus inducta fuerit jure quodam Gentium, quod a naturali plures derivant; eam jure naturæ licitam usurarum patroni probare solent. *Constat*, inquit Salmasius c. 10. de Usuris pag. 265., *a jure Gentium institutam fœneratitiam mutuationem, quod secundum jus naturale esse diximus, huic juri naturali non posse haberi contrariam. Nihil enim introductum jure Gentium, aut alio quolibet .... quod contra illud jus faciat, a quo primum fuit constitutum*. At cum leges de usura, quæ juri Gentium, ac naturali tribuuntur, usuras certo modo definitas indiscriminatim probarint, sive a divitibus, sive a pauperibus exigerentur, quod postremum contra naturale jus esse ipsi adversarii fatentur; quam malum hoc argumentum sit, nemo non videt. Multa alia per se mala Gentium leges permisisse inveniuntur, ut ne proinde ea naturali jure licita affirmare liceat; posseque legislatores civiles ex ipso jure, etiam naturali, minus malum permittere, ad majus evitandum, quod alia via impediri non possit, alibi ostendimus. Itaque nihil ex hisce Gentium legibus, & multo minus ex factis pro usuræ defensione elici potest. Potius si quæ nihilominus contra usuram apud ipsas Gentes inveniantur argumenta, cum hæc non aliunde, quam a naturali ratione, & jure originem ducant, ad naturale jus statuendum plurimum conferent. Eja igitur videamus, quæ fœneratitiæ pravitatis indicia apud Gentes extiterint.

Refellitur.

### §. I.

*De usuræ inhonestate Gentibus etiam vulgo cognita.*

1. Primo usuræ inhonestas, de qua egregium testimonium ponit (1) M. Cato, adeo per se lucet, ut apud ipsum vulgum Gentium cognita fuerit. Hinc enim fœneratitius quæstus inter illiberales, inhonestos, & sordidos vulgo habitus, fœneratores ipsos in odia hominum inducebat. Præclare Cicero ex Latinis lib. 1. de Officiis: *Primum improbantur ii quæstus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, & fœneratorum*. Ex Græcis autem Aristoteles l. 1. Politic. c. 7. *Optima ratione omnibus odio est ars fœneratrix, quod ab ipso mutuo quæstus fiat*. Quare Senatoribus, aliisque honestissimis viris hic quæstus aliquando vetitus fuit, ne eorum dignitas hoc lucro dehonestaretur: *Certe iis, qui dignitates occupant, quique Senatum magnum constituunt, non licet hujusmodi lucro dehonestari. Lex apud illos est, quæ id prohibet*. Verba sunt S. Joannis Chrysostomi Hom. 56. al 57. in Matth. Neque alia de caussa fœneratores quidam usuræ nomen fugiebant, pudebatque sese fœnerato-

res

(1) Lib. 1. de Re rustica, fœneratitio quæstu rem familiarem præ mercatura commode posse augeri ait, si esset honestus: *Et interdum præstare mercaturis rem quærere, ni tam periculosum siet, & item fœnerari, si tam honestum siet*, vel, ut legitur in ms. Wratislaviensi, *si tam inhonestum non siet*. Vide edit. Gesneri.

Ambros. de Tob. c. 14. Greg. Nyss. Orat. in fœneratores.

res prodere, ut S. Ambrosius, & S. Gregorius Nyssenus tradunt, nisi quia hanc inhonestatis notam, publicamque reprehensionem hominum incurrere displicebat: unde S. Augustinus Serm. 3. in Psal. 36. n. 6. palam edixit: *Quam detestabile sit, quam odiosum, quam execrandum, puto quia & ipsi fœneratores noverunt*.

Fatentur & adversarii.

3. Neque ipsi usurarum patroni hoc potuerunt inficiari. Audiendus inter ceteros Salmasius c. 18. de Usuris pag. 527. *Invisam esse fœnerationem Aristoteli assentior; inhonestam esse etiam concedo*. Et pag. 530. inter varias artes *invisa alia*, inquit, *& odio digna, ut fœneratoria*. Iterum c. 21. pag. 634. *Certe & Gentilium Philosophi usuram* ἐπονείδιστον καὶ μισητὸν χρηματισμὸν ..... *esse pronunciarunt invisum, & inhonestum quæstum*. Et in præfatione pag. 45. *Si satis illis* (Theologis, & Canonistis) *esset fœnerandi professionem, ut sordidam, & inhonestam vocare, huic non invitus & punctum, quo notaretur, adderem*.

Juris naturalis inhonestas colligitur.

4. Mihi vero hæc usuræ inhonestas ab ipsis Gentibus agnita, nec ab adversariis negata, primum naturalis malitiæ indicium, & argumentum est. Quid enim sordidus, turpis, & inhonestus hic quæstus est, nisi quia naturali honestati, atque justitiæ aliqua ex parte adversatur?

De usuris p. 529. Objectio dujecta.

5. Neque in defensionem alias artes inhonestas, quæ tamen illicitæ non sunt, Salmasius apponat, ex. gr. vespillonum, qui cadavera efferunt, foricariorum, qui cloacas publicas purgant, veteramentariorum, qui veteres calceos reficiunt, & aliorum ejusmodi, quorum artes ut inhonestas probro esse suis professoribus Aristides in prima Platonica pro Rethorica tradit. Aliud enim est de artibus, quæ ex materie, vel officio viles, aut etiam infames, honestoque homine indignæ habentur; aliud autem de iis, quæ cum materiam non habeant inhonestam, solum lucrum per se turpe, ac inhonestum habent. Cum primi generis artes ex sola materiei, vel officii vilitate inhonestatem habeant, lucrum inde perceptum per se honestum, ac licitum est: quæ autem ex ipso lucro inhonestæ sunt, in iis lucrum honestum, & licitum esse non potest. Quid autem in fœneratione turpe est, nisi ipsum lucrum?

Refellitur alia objectio.

6. Neque mercaturam objicias, quam etsi per se, ac ex materie honestam, Honorius tamen, atque Theodosius nobilibus interdixerunt tanquam inhonestam, nec propterea illicita dicetur. Ea enim Honorii, ac Theodosii lege, quam in suum Codicem Justinianus retulit tit. *De Commerciis, & Mercaturis*, non omnis mercatura vetita fuit, sed illud solum mercaturæ genus, (uti fatetur Salmasius pag. 536.) *quod perniciosum urbibus* est, nimirum *cocionatorium*, quo merces ab aliis mercatoribus emuntur, ut vendantur protinus pretio cariore. Hoc autem negotiationis genus cum Reipublicæ *nihil proficiat*, inquit Cicero, immo (1) perniciosum urbibus sit (unde quædam (2) bene moratæ civitates cociones olim repulerunt, atque hodie etiam repellunt)

(1) Similiter in præfat. de Usur. pag. 22. *Non de illa loquor mercatura, quam arrillatores, vel cociones olim Romanis dicti faciunt, qui ab aliis mercatoribus emunt, quod vendant carius. Nec enim illa utilis civitatibus censenda, nec ulla laude digna, quin potius & perniciosa judicanda est, & pro sordidissima habenda*.

(2) Vide Salmas. ibid. c. 19. pag. 555.

sunt ) non tam inter inhonesta, quam inter illicita avertendum est, ut ipse Salmasius non obscure subindicat pag. 95. & 336. Sicubi vero nobiles ab omni negotiatione etiam licita exclusi sunt, quod servilis, ac illiberalis haberetur: non tamen inhonesta habita, nec odiosa, nisi quæ inhonestum, ac perniciosum Reipublicæ lucrum quæreret. Hinc ergo cum fœneratio inhonesta, & odiosa ex solo lucro Gentibus fuerit; fœneratitium lucrum inhonestum, ac perniciosum Reipublicæ, ac proinde illicitum apud ipsas Gentes satis agnitum fuit. Hujus inhonestatis caussæ in sequentibus capitulis declarabuntur, ubi ex ratione agemus. Nunc satis est ex ipso communi Gentium etiam vulgarium sensu hujus inhonesti lucri testimonia protulisse.

### §. II.

*Sapientum Ethnicorum testimonia contra usuram.*

7. AD naturale autem jus illud maxime pertinere videtur, quod sapientissimi Gentium, cum Philosophi, tum Jurisconsulti, fœneratitium lucrum a natura abhorrere dixerunt. Aristoteles l. 1. de Republica c. 10. fœnebrem artem appellans, inquit: *Illa autem, quæ in permutatione nummi consistit, merito vituperetur (non enim naturæ consentanea est, sed in ea alter ab altero lucrum aucupatur) optima ratione omnibus in odio est ratio fœneratrix, quod ab ipso nummo quæstus fiat, & non ad quam rem paratus est, usurpent. Permutationis enim caussa natus est: fœnus autem eum auget, & multiplicat; unde etiam nomen hoc invenit. Similia enim sunt ea, quæ pariuntur, iis, quæ gignunt, & procreant. In fœnore autem pecunia pecuniæ partus, ac fœtus est. Quapropter maxime omnium quærendæ pecuniæ rationum* Philosophorum.

*abhorret hæc a natura*. Cur ex nummis, meræ commutationis usui per se inservientibus, usuram, seu pretium usus quærere ab ipsa *natura* nummorum *maxime abhorreat*, videbimus cap. 5.; nunc enim solam Aristotelis sententiam subjicere nobis propositum est. Nec absimiliter Seneca l. 7. de benefic. c. 10. *Quid fœnus, & Kalendarium, & usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina..... Quid sunt istæ tabulæ, quid computationes, & venale tempus, & sanguinolentæ centesimæ? Voluntaria mala ex constitutione nostra pendentia, in quibus nihil est, quod subjici oculis, quod teneri manu possit, inanis avaritiæ somnia*. Quod ait Seneca usuram *extra naturam* esse, eodem recidit ac quod dixit Aristoteles usurarium lucrum ex nummis quærere *maxime abhorrere* ab ipsa *natura* nummorum; unde hoc lucrum non ex ipsis nummis, nec ex usu ipsorum, qui post illorum consumtionem *nihil est*, ut cap. 5. fusius explicabimus, sed ex mera *constitutione nostra*, nullo naturali titulo, atque ratione percipi affirmat.

8. Quæ res ipsi fœneratorum vulgo persuasa fuisse videtur. Cum enim ii, Plutarcho teste in opusc. *de vitando ære alieno, irridebant Physicos, qui ex eo, quod non est, existere quidpiam posse negabant: nam apud ipsos ex eo, quod neque est, neque subsistit, nascitur fœnus*: idem fatebantur, quod Seneca fœnus ex eo nasci, quod *nihil est*, cum nec *sit*, nec *subsistat* amplius pecunia, aut pecuniæ usus, ex quo nasci dicitur, ac propterea nasci illud profitebantur *ex nihilo*: adeo *extra*, seu potius *contra* naturam hic fœtus est Fœneratorum Ethnicorum.

9. Hoc idem etiam Jurisconsulti aliquot in locis indicarunt, cum professi sunt usuram *in fructu non esse*, nimirum non esse fructum naturalem pecuniæ, quippe quæ nec *ex ipso corpore* nummorum, neque Jurisconsultorum.



*natura*

*natura* nascitur. Pomponius L. 121. D. de verb. signif. *Usura pecuniæ*, quam percipimus, *in fructu non est: quia non ex ipso corpore, sed ex alia caussa est, idest nova obligatione*. Et Papinianus L. 62. de rer. vindic. *Usura non natura provenit, sed jure*, idest ex constitutione Principis *persolvitur*. Si neque ex pecuniæ *corpore*, quod per se sterile est, neque *natura* fœnus provenit, unde in *fructu* pecuniæ *non est*; profecto contra naturam pecuniæ exigitur. Hinc etiam Justinianus l. 2. Institut. tit. 4. *usumfructum* nulla *naturali ratione* cadere affirmavit in res, *quæ ipso usu consumuntur*, uti sunt illæ, quæ mutuo dantur: *usumfructum* autem non recipere idem est, ac in *fructu non esse*.

Objectio refellitur. 10. Neque *obligationem*, vel *jus*, aut *constitutionem* Principis objicias, ex quibus usuræ pariuntur, ut laudati Jurisconsulti dixere; sicut & usumfructum pecuniæ Senatusconsultum constituit. Nam cum naturalis fructus, aut ususfructus pecuniæ nullus sit; quidquid vel obligatio, vel constitutio, seu Principis, seu Senatus, ad fructum eliciendum conetur, contra naturam ipsam pecuniæ profecto erit, ita ut si nihil aliunde justum accedat, hunc fructum exigere contra rationem naturalem maxime sit. Enimvero Senatus cum rerum consumtibilium usumfructum invexit, *non fecit quidem earum rerum usumfructum*, inquit Justinianus loco allegato, *nec enim poterat*: quod explicans Gerardus Noodt l. 1. de usufructu c. 20. *Non enim*, inquit, *potest Senatus pecuniæ naturam mutare*; uti in hanc quidem rem aperte traditur a Gajo L. 2. D. *de Usufructu earum rerum* &c. dum scribit: *Senatusconsulto non id effectum est, ut pecuniæ ususfructus proprie esset; nec enim naturalis ratio auctoritate Senatus commutari potest*. Solum per *cautionem*, addit Justinianus, *quasi usumfructum constituit Senatus*. Et Gajus: *Remedio introducto cœpit quasi ususfructus haberi*. Porro *quasi ususfructus*, qui nec *verus*, nec *proprius* ususfructus est, fictitium usumfructum significat fictione legis inductum, qui scilicet in pecuniæ jam consumtæ quantitatem fictione juris ficto item dominio præsumtam cadit, ut explicabimus c. 5. §. 3. Sicut autem Senatus fictitium usumfructum, ita & constitutio Principis, & obligatio, seu stipulatio fictitium tantummodo fructum parit, qui scilicet verus, & naturalis fructus pecuniæ non est; uterque autem *nulla naturali ratione*, & contra propriam pecuniæ naturam, quam nec Senatusconsultum, nec constitutio, nec obligatio ulla immutare potest. Qui autem fructus *nulla naturali ratione* ex pecuniæ *corpore*, neque *natura*, sed sola fictione, & mera, ut ait Seneca, *constitutione nostra*, idest nostro arbitrio provenire potest; contra naturam, & rationem proculdubio est, ita ut nisi alio justo titulo aliunde purgetur, iniquus, & injustus fructus sit, uti cap. 5. latius probabitur; hic enim solam Jurisperitorum, ac ipsarum Romanarum legum confessionem proponimus, qui æque ac Philosophi usuram a natura pecuniæ abhorrentem professi sunt.

## §. III.

*Ex ipsa praxi, & œconomia legum Romanarum usuræ pravitas colligitur. De legibus, quæ usuram vetuere. Cautiones, & conditiones legum, quæ usuram permiserunt, earumque ferendarum consilium. Historico-Chronologica earundem legum Synopsis.*

11. Quid quod ipsa Ethnicarum quoque legum circa usuram praxis, atque consilium, nonnulla hujus rei argumenta, vel

Leges usuram vetantes apud ipsas Gentes. vel indicia suppeditat? Primum usuræ nonnunquam legibus vetitæ. Id quidem in bene constituta republica lege cavendum Plato monuerat lib. 5. de legibus: *Nemini mutuum dare ad fœnus licito; ei qui secus faeit, neque fœnus, neque sors reddi tor*. Plures bene morati populi hac lege non indigebant, quandiu bonis moribus ipsam rationem, & naturam secuti, fœnus non tam ignorarunt, quam aversati sunt, ut de antiquis Germanis Cornelius Tacitus prodidit, inter quos *virtute præcipuos Batavos* recenset, quibus etsi barbaris *fœnus agitare, & in usuras extendere ignotum, ideoque magis servatur*, seu (ut corrigendum putat Salmasius) *aversantur, quam si vetitum esset*; scilicet ut idem Tacitus subdit: *Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges*. Idem de aliis nationibus proditum est, ac nunc etiam obtinet apud quosdam Orientis populos, qui solam naturam ducem, ac magistram agnoscunt. Ubi vero avaritia hoc lucri genus edocuit, atque invexit, leges non ad probandum, sed ad prohibendum, vel coercendum hoc malum latæ fuerunt: ita ut leges istæ nihil pro naturali jure usurarum, ut nonnulli contendunt, sed potius contra usuras faciant.

De morib. German. n. 8.

De usuris c. 2. p. 23. 24.

Ibid. nu. 9.

12. Equidem ut de legibus vetantibus in primis dicam, ad usuræ vetationem pertinet lex illa vetus Romana, cujus Appianus meminit lib. 1. de Bell. civil. p. 382. *Cum lex quadam vetusta vetaret fœnore dare*: sic enim reddendum, quod Græce legitur: Νόμυ τινὸς παλαιῦ προαγορεύοντος μὴ δανέιζειν ἐπὶ τόκοις. Nescio, utrum Appianus hoc loco respexerit legem Genuciam A. U. C. 411., de qua Livius lib. 7. n. 42. *Invenio apud quosdam L. Genucium tribunum plebis tulisse ad populum, ne fœnerare liceret*. Hanc certe Genucii legem appellat Tacitus l. 6. Annal. ad an. 786., scribens: *Postremo vetita usura, multisque plebiscitis obviam itum fraudibus*; inter quas insignis illa, quæ descripta a Livio lib. 35. n. 7. in caussa fuit, ut Genuciæ legis interdictum an. U. C. 560. lege Sempronia ad socios Latinos extenderetur, ut Gerardus Noodt observat lib. 2. de Usuris c. 4. Hic autem quæro, qui vetari omnino potuisset usura, si per se licita esset? Usura *pretium usus* definitur, & perinde defenditur licita, ut liceet pretium usus ceterarum rerum exigere. Nihil tale vetitum unquam fuit in rebus ceteris, quæ verum usus pretium suscipiunt. Cur vetaretur in sola pecunia, nisi quia hæc verum, & legitimum usus pretium non capiat? Si enim unus pretii excessus displicebat, modus pretii imponendus, ut in aliis rebus fieri mos est; non autem omnis usura vetanda, si qui pecuniæ usus pretium aliquod meretur.

13. Quod si aliæ subinde leges usuram permiserunt, non autem abstulerunt prorsus; id in coercitionem eo tempore factum est, cum fœneratorum avaritia aliud remedium non ferret. Alterutrum enim ex illorum malitia periculum imminere solet, vel ne mutuum negent indigentibus, si legum usuram prohibentium observantia exigatur; vel, si dissimuletur, ne usuras etiam gravissimas ex arbitrio extorqueant: quod utrumque in maximam inopum ruinam vergeret. Notæ etiam sunt turbæ, quas excitarunt fœneratores, cum de cohibendis usuris actum fuit. Vide Appianum de Bell. civil. l. 1. p. 382., & Tacitum l. 6. Annal. ad an. 786. Inter hæc pericula præstabat certum usuris modum imponere, ut sic & egentes mutuum invenirent, & fœneratorum avaritia freno aliquo coerceretur.

De legibus usuram permittentibus, & earum consilio.

14. Hoc itaque consilio, cum jam ex sola avaritia hominum sensim irrepsisset libera fœnoris licentia,

licentia, prima lex pro usuris lata inter duodecim tabulas id solum severissimis pœnis cavit, ne quid supra unciarium fœnus exigi posset: *Primo duodecim tabulis sanctum*, idest sancitum est, inquit Tacitus l. 6. Annal. ad an. 786., *ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletum agitaretur*. Lex autem cum pœna quadrupli his verbis exprimitur Tabula III. *Si quis unciario fœnore amplius fœneravit, quadruplione luito*. Quam pœnam respiciens Cato l. 1. de Re rustica: *Majores nostri*, inquit, *sic habuerunt, & legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem existimaverint fœneratorem, quam furem, hinc licet existimare*. De hoc unciario fœnore, quod forte non servabatur, *nova rogatio est perlata* an. 397., *& plebs aliquanto eam cupidius scivit, accepitque* ex Livio l. 7. c. 16. Etsi autem *unciario fœnore facto levata usura esset*, inquit idem Livius eodem l. 7. c. 19. (unciarium fœnus levis usura erat) anno tamen U. C. 406. *semiunciarium tantum ex unciario fœnus factum* ex eodem Livio n. 27.; ac tandem Lege Genucia omne fœnus vetitum anno, ut diximus, 411. *Ita legibus constricta avaritia est*, inquit idem Livius l. 35. n. 7., uti sane meræ coercitionis finem omnes textus exhibent; & *constricta* quidem non solum illis, quæ usuram vetarunt, sed illis etiam, quæ intra certos fines coercuerunt. Idem dicendum de posterioribus legibus, quibus legislatores nunquam probationem, sed coercitionem usuræ semper spectarunt, unde ipsam centesimam, quæ pluribus tandem legibus permissa fuerat, coerceri identidem studuere; ita tamen ut quidquid permitterent, non probarent leges, sed eatenus permitterent, quod sine majori publico damno prohibere non possent. Hinc aliquandiu, cum usura vulgo permittebatur, Senatoribus interdicta fuit, nimirum ante an. 405. ut ex S. Joanne Chrysostomo vidimus l. II. c. 7.; & quando eisdem permittenda visa est, non tota vulgaris usura, sed media tantum permissa: quod factum non fuisset, si hæc stipulatio habita fuisset licita. Nunquid enim Senatoribus illicitum esse debet, quod per se justum, & licitum est? Nunquid vetita fuisset ipsis exactio locationis domorum, & media locationis pensio iisdem præfinita? Patet igitur meram coercitionem avaritiæ factam, sive cum usura centesima vulgo, sive cum minor fœnatoribus fuit aliquando permissa. Hæc autem permissio, quæ solam coercitionem mali præfert, nonne reprobatio potius, quam vindicatio usuræ est?

15. Quid porro si in hac ipsa permissione notas adhuc illiciti, & non naturalis lucri ab ipsis legibus præfixas ostendam? Usuram, quam non ex *corpore*, nec *natura* prodire noscebant, *obligationi* permisere quidem; sed non omnis obligatio universim sufficiebat, nisi in stipulationem deducta fuisset. Hinc Africanus respondit, *pecuniæ creditæ usuras nisi in stipulationem deductas deberi*. Et Severus, atque Antoninus *usuras fœnebris pecuniæ citra vinculum stipulationis peti non posse*. Itaque ex nudo, aut simplici pacto, quod stipulatione certis præscriptis verbis addita non muniretur, usuræ non debebantur, nec exigi poterant. Quid ita? Si pactum simplex usurarum justum esset, sicuti in ceteris justis contractibus valet, quidni in usuris valuisset? Si usuræ essent fructus naturalis pecuniæ, quæ mutuo traditur, contracto mutuo, cujus obligatio absque stipulatione, aut etiam verbis, sed *re*, ut ajunt, contrahitur, statim ipsa re usuræ pariter contractæ fuissent. At ex re, quæ in mutuum cadit, sola restitutio sortis, non autem usuræ contrahuntur. Hinc usura

Notæ illiciti lucri in iisdem legibus. Tres restrictiones usuræ.

Usuræ exigi non poterant, nisi in stipulationem deductæ.

L. 24 D. de præscript. verb.

L. 3. C. de Usuris.

usura nec ex *corpore*, nec *natura* nasci dicta est, uti nascitur mutuum; ac propterea Ulpianus L. 11. D. *de rebus creditis*, Proculi auctoritatem allegans, etiamsi quid supra sortem pactum sit, ut in usura accidit, solam tamen sortem condici posse affirmavit: *Si decem dedero, ut undecim debeas, putat Proculus, amplius quam decem condici non posse*. Et rationem affert Paullus L. 17. D. *de pactis*: *Re enim non potest obligatio contrahi, nisi quatenus datum sit*; quod ipsum repetitur L. 9. C. *de non numerata pecunia*, & alibi. Si autem ex re, seu corpore mutuo usura non debetur, quia, ut diximus, *in fructu* naturali pecuniæ non est; cur, quæso, ex stipulatione, non autem ex pacto debeatur? Num stipulatio plus juris per se affert, quam simplex pactum? Certe sicut Senatusconsultum * naturam pecuniæ immutare non potuit, usumfructum dando, quem pecunia non fert; ita nec pactum, nec stipulatio. Quod ergo uni stipulationi permissum, negatum fuit pacto simplici, ad meram usurarum restrictionem pertinet: idque ne pacto negatum dicamus contra usurarum naturale jus (nihil enim pariter restrictum fuit in fructibus, qui in aliis contractibus jure naturali proveniunt) hæc restrictio usurarum peculiaris, hunc fructum a natura alienum indicat, quia scilicet pecunia, ut leges ipsæ testantur, *in fructu* non est.

(*) Vid. sup. nu. 10.

*Usuræ tamen in stipulationem deductæ non poterant exigi, si non erant definitæ.*

16. Hoc idem confirmant duæ aliæ usurarum conditiones, quibus ipsa quoque usurarum stipulatio iisdem Romanis legibus restricta fuit. Usuras incertas, seu non definitas, etsi in stipulationem deductas, non deberi certum jus est ex L. 51. D. *de Usuris*. *Quod in stipulatione sic adjectum est, & usuras, si qua competierint; nullius esse momenti, si modus non adjiciatur*. Et L. 41. D. eodem titulo, cum quidam in chirographo suo scripsisset, se mutuum redditurum Kalendis proximis, cum *suis usuris placitis* inter contrahentes; quæreretur que, an ex eo instrumento usuræ peti possent, & quæ, Modestinus respondit: *Si non appareat, de quibus usuris conventio facta sit, peti eas non posse*. Qua de re & Græci in Basilii lib. 23. tit. 3. tom. 3. pag. 441. in scholio lit. A. scribunt: *Si quis ita stipulatus sit, Spondes te mihi redditurum pecuniam tibi a me creditam, & usuras competentes; inutiliter stipulari videtur, si indefinite eas stipuletur; debuerat enim certum modum eis imponere, & exprimere quadrantes, aut semisses*. Quid certæ definiendæ quantitatis defectus, usurarum exactioni, saltem quantitatis infimæ, præjudicaret, si naturale, & justum esset in pecunia mutua usus pretium? Num qui locaret opera, vel domum, sub *competenti* non definita mercede, omnis saltem infimæ mercedis actione privari posset, nisi injuste?

*Nec poterant exigi, cum ad duplum sortis pervenissent*

17. Rursum usuræ, quamvis in stipulationem deductæ, cum ad æquandam sortem pervenissent, non amplius currebant. Id apud Ægyptios Bocchoridis lege cautum tradit Diodorus lib. 1. pag. 71. *Ultra duplum per usuram augeri sortem vetabat*. Apud Romanos vero notissima res est. Ulpianus L. 26. D. *de condictione indebiti*: *Supra duplum autem usura ...... nec in stipulatum deduci, nec exigi possunt*. Aliquando sane usuræ jam solutæ ad dupli computationem non proficiebant, sed tantum solvendæ, ut liquet ex Antonini L. 10. C. *de usuris*. At idem de solutis, ac de solvendis statuendum Justinianus censuit Novell. 121., & 138., ne melioris conditionis foret debitor propter frustrationem, quam si usuras suo tempore ex fide solvisset. Quid si in duplum sortis cresceret, sive soluta, sive solvenda, locatæ domus, prædii, aut equi pensio, juste ne interdiceretur unquam, ne amplius curreret?

ret? Sola injustę, & indebitę usurarum pensionis exactio id interdictum recepit non injuste, quod in aliis justis pensionibus injustum fuisset. Hinc forte Justinianus Novell. 160., ut ab hac generali usurarum limitatione exciperet contractum quendam Aphrodisiensium, in quo annua pensio sortem ęquaverat, illum ad fœneratitium contractum non pertinere prętulit, *siquidem*, inquiens, *magis annuo redditui, quam usurarum prastationi similis videtur;* quæ exceptionis ratio (vera ne in casu, an falsa fuerit lib. VI. c. 7. dicam) restrictionem illam, quæ in usura valet, in alio contractu non valuisse satis demonstrat.

De usuris, quæ etiam sine stipulatione in bonæ fidei judiciis exigebantur.

18. Successu porro temporis inductum fuit, ut quę olim usurę ex sola stipulatione poterant exigi, etiam sine stipulatione in bonę fidei judiciis exigerentur: ac tandem constitutio Principis accessit, quę omnibus in judiciis hanc exactionem pręscripsit. Hęc posterior legum praxis ad usurę approbationem magis conferre videri potest.

Nihil usura prodest, sed obest potius.

Ego autem si judicia bonę fidei in primis perpendo, nihil video, quod ex primęvo ejusmodi legum consilio decedens, usurę suffragetur. Hęc enim judicia non alia de caussa invecta ostendit Gerardus Noodt, usurarum ceteroquin patronus, nisi ut provideretur iis, qui ex mutuo damnum paterentur.

Lib. 1. de fœnore & usur. cap. 6. p. 241.

Olim nimirum *nusquam*, inquit ille, *apud Ciceronem, neque apud alium auctorem, qui libera floruit Republica, ullum vestigium usura officio judicis prastanda sine stipulatione. Ea vero mutata primus Labeo (sic enim lib. 2. c. 5. jam conjeci ex Pomponio) fiducia ingenii, atque eruditionis, qua fuit maxima, & multa innovavit veterum decreta, in bona fidei judiciis usuras sine stipulatione introduxit, sed non quasi usuras, sed quasi id, quod interest. Is enim placuit ei color, maxime si mora ex re esset.*

Solius damni resarciendi caussa inductæ.

L. 60. D. Pro Socio.

De initio hujus epochæ multa deinceps affert, ex quibus plures leges conciliantur; quæ enim usuras ex sola obligatione, aut stipulatione colligunt, ante Labeonis inventum scriptæ fuerunt; quæ autem officium etiam judicis in bonæ fidei judiciis addunt, posteriores inveniuntur. Porro *id, quod interest*, ad cujus æstimationem Labeo retulit bonæ fidei judicia, idcirco non proprie usura est, quia ejus *astimatio*, inquit laudatus Noodt, *pro ratione cessantis lucri, aut emergentis damni fit; ex utroque enim constat id, quod interest.* L. 13. D. *Ratam rem haberi*, L. unic. C. *de sententiis, qua pro eo, quod interest, proferuntur*. Hinc in judiciis id genus non usura proprie dicta approbatur, sed sola compensatio *ejus, quod interest* creditoris non caruisse pecunia. Agebatur enim in casu Labeonis de socio, qui cum ex societate pecuniam in communem utilitatem debebat negotiari, in proprium usum converterat, moramque adhibuerat; & hunc *usuras prastare debere Labeo ait*, inquit Pomponius loco citato, *sed non quasi usuras, sed quod socii intersit moram eum non adhibuisse*. Itaque in his usuris decernendis compensatio lucri cessantis ex mora alterius socii spectata fuit, quæ non est usura proprie dicta: non autem spectatum fuit lucrum ex usu pecuniæ a socio privatim adhibitæ, quod solum usura propria est, & habetur: unde usuras ejusmodi ex mora debitorum inflictas, pro eo scilicet, quod creditoris interest, *non in lucrum petentium* infligi Paullus respondit L. 17. D. *de Usuris*, quia scilicet non lucrum proprie ex pecunia sunt, sed restauratio ejus, quod interest. Igitur in bonæ fidei judiciis sola restauratio ejus, quod interest, approbata fuit, non autem usura. Immo cum probata sola æstimatione ejus, quod interest, nihil solvendum præsumtum fuerit, ubi nihil intersit; usura utique per se

Lib. 2. c. 6. p. 214.

Non usura proprie approbata, sed id, quod interest.

se injusta habita fuit: si enim justa fuisset habita, etiam præter id, quod interest, in bonæ fidei judiciis solvenda fuisset.

Cur judiciis bonæ fidei ea taxatio ad usurarum modum electa.

19. Solum cum æstimatio ejus, quod interest, non *in jure*, sed *in facto* consistat, ut monuit Paullus L. 24. *de Regulis juris*; hæc autem facta pro variis conditionibus variam, & difficilem æstimationem capiant; ne vel creditores paterentur dispendium, si etiam uti aliquid intersit, nihil solveretur, vel debitores nimium graverentur, si a creditoribus æstimatio ejus, quod interest, pro opinione, aut ex libito efferretur; cautum fuit, ut in judiciis bonæ fidei ex mora (1) fixum quoddam pretium ad usurarum modum solvendum judicaretur. Præclare in hanc rem Gerardus Noodt L. 2. de Fœnor. c. 6. pag. 115., postquam de difficili taxatione ejus, quod interest, scripsit: *Si creditori fiat jus, aut necessitas taxandi damnum, quod possit ex mora debita pecunia pati, quaro, quis fuerit exitus litium de ea nasciturarum tam frequente pecunia credito, in eoque difficili probatione ejus, quod interest. L. ult. D. de stipulationibus pratoriis*; & nonnullis in probationem allatis, concludit tandem: *Difficilis igitur est probatio ejus, quod interest .... & ideo consequens fuit utilitati expediendarum rerum, qua maxima est in civili societate, damnum ex pecunia non soluta natum magis usurarum modo finiri, quam mero judicis arbitrio*. Hoc itaque fixum, & certum pretium in judiciis bonæ fidei solvendum ad modum usurarum, ex legum mente pro æqua æstimatione ejus, quod interest, non autem pro usura habitum noscitur. Hinc constitutio Imperatoris, quæ hunc modum fixit, non aliud, nisi æquam æstimationem ejus, quod interest prospexit. Quod enim Labeo in suam societatem invexerat (neque enim de alio contractu ille, nec ex eo Pomponius loquuntur) Principes susceperunt, & ex eadem æquitate juris ad ceteros casus omnes, in quibus id, quod interest ex mora intervenire potest, & ad omnia bonæ fidei judicia, in quibus ex mora judicium fertur, nova constitutione extendendum censuere, ut laudatus Noodt pluribus probat. l. 3. c. 6. pag. 244., ubi et constitutionis auctorem paullo post Labeonis ætatem Imperatorem Antoninum Pium fuisse satis probabiliter conjicit. Eadem igitur constitutionis Principum, ac judiciorum bonæ fidei ratio, & consilium est, ut non usuram, sed tantum id, quod interest, approbetur. Solum divulgata hac generali lege, ad præcidendas, ut diximus, lites, fraudesque impediendas, ex abusu hominum, qui ex mora semper usuras petebant, etiamsi ipsorum nihil interesset, vel non tanti interesset, quanta erat usuræ præscriptio; ex hoc, inquam, practico abusu, non autem ex legum consilio factum est, ut vera, & propria usura passim exigeretur, judiciorum, ac legum præsidio, & sic etiam legibus, & judicibus probata

De constitutione Principis in usurarum taxatione, & de ejus consilio.

Unde nata opinio de probatis usuris.

(1) Hinc fixo semel pretio ejus, quod interest, in usurarum modum ad finiendas lites, & fraudes præcavendas provisum fuit, ut nihil supra eum modum exigeretur, ne in iis quidem casibus, in quibus majorem æstimationem ejus, quod interest, quipiam præferret, qui sola usurarum taxatione contentus esse debebat. Vide L. 10. D. *de periculo, & commodo rei vendita*, & L. 70. §. 1. D. *de Legatis, secundo*.

ta (1) crederetur. Recte autem cogitantibus, a vera legum, ac judiciorum institutione, & mente id alienissimum est.

Id autem quantum a legislatorum mente abfuerit etiam in usurarum stipulatione.

20. Cum tandem ex iisdem legibus eadem habeatur judiciorum bonæ fidei vis, & ratio, ac stipulationis in ipso mutuo appositæ, ut liquet ex L. 7. D. *de negotiis gestis*; profecto sicut in judiciis bonæ fidei non fuit ex legum mente probata, nisi sola æstimatio ejus, quod interest, ita nihil aliud in stipulationibus probatum dici debet. Et quemadmodum in illis, ob difficilem æstimationem ejus, quod interest, quæ ex facto, non ex jure pendet, taxatum fuit certum pretium; ita certum stipulationibus pretium præfinitum fuit: cum in praxi judicare, quid cujusque intersit, difficile sit, & pluribus etiam fraudibus obnoxium esse queat. Unde illa Venuleii L. 11. D. *de stipulat. prætoriis*. *In ejusmodi stipulationibus, quæ quanti res est, promissionem habent, commodius est certam summam comprehendere, quoniam plerunque difficilis probatio est, quanti cujusque intersit*. Hac, ut reor, una de caussa, usura, quæ antiquis temporibus ad frenandam fœneratorum avaritiam, majusque malum impediendum, intra fines coercita fuit, sequiori postea tempore probanda visa est, non pro iis, quorum nihil interesset, & in quibus vera esset usura, sed pro illis tantum, quorum interest aliquid, & in quibus non usura propria, sed damni compensatio est. Inter quos, cum discernere haud facile sit; ne repellerentur fortassis, qui justum titulum habent, satius judicatum est generali lege certum usuris modum præfigere, quam æstimationis ejus, quod interest, taxam, & arbitrium (2) cuivis permittere. Hac generali lege plures male usi, etiam ubi nihil interesset, usuram legum auctoritate probatam opinati sunt; cum tamen ex legum mente sola æstimatio ejus, quod interest, probata dici possit. Certe si per ipsas leges præter id, quod interest, in bonæ fidei judiciis probari nihil potuit; quid probari per easdem leges potuit in stipulationibus, ad quarum normam ipsa judicia bonæ fidei probata sunt? Hinc sane Molinæus ipse in tractatu de Usuris n. 75. non aliud spectasse affirmat legislatores Romanos *in legum omnium serie, nisi ut metam usuris præfigentes, his ipsis usuris duntaxat contraheretur, quod creditoris interest. Putasne Jureconsultos νομοθέτας juris civilis in hoc solum laborasse, ut metam præfigerent usuris ..... & non potius, immo duntaxat his, quæ in compensationem ejus, quod creditoris interest, vel, quoad sors reddatur, interesse poterit, stipulantur? Istud vero cum sensus communis*,

---

(1) Ex hac item opinione, & praxi illud etiam evenit, ut postea usura *veluti fructus* (L. 34. D. *de Usuris*) haberi cœperit ejus pecuniæ, quam *in fructu* non esse L. 121. *de verb. signif.* majores sanxerunt: aliaque nonnulla inducta fuerunt in ipsum jus posterioris ætatis, quæ a legibus antiquioribus longissime absunt.

(2) Gerardus Noodt l. 1. de Fœnor. & usur. c. 12. observat, ne liceret ex arbitrio æstimationem ejus, quod interest, nimium augere, certos fines a legibus fuisse positos, *quibus æstimatio ejus, quod interest, pecunia credita circumscriberetur*, laudatque in eandem sententiam Grotium introduct. ad jurisprudentiam Batav. p. 3. c. 10. ad fin., & Jo. a Sande lib. 3. decis. Fris. tit. 14. defin. 3. Consonat Pufendorfius de jure naturali, & Gentium l. 5. c. 7. §. 11., & in eundem Barbeyrachius not. 5.

*nis, tum rerum experientia, ipsa quoque legum omnium id genus series clamat..... Et generaliter sequitur, quod jureconsulti, & Justinianus nunquam statuerunt, nec approbaverunt veras, & meras usuras, sed moderatam, & aequabilem interusuris, seu promiscui interesse compensationem..... Ad hoc enim omnes leges collimasse constat.* Jam diserto adversarii simul, & Jurisconsulti praestantissimi testimonio nihil addendum est.

21. Haec omnia, quae ex ipsarum civilium legum oeconomia latius digessimus, si quis uno intuitu comprehendat, atque consideret, intelliget Romanis legibus alterutrum actâ; vel nempe coercitam fuisse foeneratorum avaritiam, ne nimium emungeret, ut in antiquis legibus ostensum est; vel probatum fuisse id tantum, quod creditoris interest, ut in posterioribus legibus evenit: nec nisi ex abusu, ac errore vulgari factum esse, ut usura ipsa per se probata judicetur, uti liquebit ex subjecta Romanarum legum Chronologica Synopsi, quae hactenus dicta brevius complectetur. A. U. C. 302. prima foeneb ris lex tabularum XII. foenus ad unciarium contraxit, cum ante nulla lege pro foeneratorum libidine agitaretur, idque rursum sancitum an. 307. An. 406. iterum constrictum foenus ad semiunciarium. An. 411. lege Genucia omne foenus inter Romanos vetitum. Plures huic legi fraudes pluribus plebiscitis repressae ex Tacito l. 6. Annal. ad an. 786. Celebris autem illa, quam Livius memorat l. 35. c. 7., *ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transcriberent*. Itaque haec fraus anno U. C. 560. Sempronia lege coercita fuit, sancitumque, ut Genuciae legis vetatio Romanis facta, socios etiam comprehenderet. Liv. ibid. Harum legum praesidio non pauci debitores, qui contra vetitum a foeneratoribus gravati fuerant, usuras in sortem computandam contendentes, differebant reddere, vel etiam legum multam sese exacturos minabantur. Hinc litium, inimicitiarumque materies, ac seditionum origo, quibus sedandis cum an. 664. Asellio Praetor, partes conciliare frustra nisus, permisisset debitoribus, ut legibus agerent, *foeneratores aegre ferentes renovari mentionem veteris legis, Praetorem tulerunt de medio* ex Appiano lib. 1. de Bell. Civil. pag. 382., qui ex his omnibus antiquis legibus, sive restringentibus, sive vetantibus usuram, priscos Romanos non probasse foenus, sed *abhorruisse a foenore* collegit. In tanta vero foeneratorum violentia evenire facile potuit, ut Praetores legum Genuciae, & Semproniae negligentia caperet, si praesertim debitores in contrahendo foenore earundem legum beneficio renunciarent, quod creditores nollent eis pecuniam credere, nisi se eis legibus nequaquam usuros promitterent: ut Gerardus Noodt suspicatur l. 1. de Foenore c. 4. pag. 211. Hinc usura sensim recepta. Ut frenum tamen aliquod foeneratorum libidini imponeretur, usura Praetorum edictis primum ad centesimam redacta fuit, tum Senatusconsulto firmata, ut ex Ciceronis epist. ult. lib. 5. ad Atticum, & ex Plutarcho in Luculli vita idem Auctor colligit. Ne quid vero Praetores, aut Senatus probasse credamus in foenoris, ac foeneratorum gratiam, necessitate quadam invitos permisisse illud insinuat, quod hujus ipsius usurae, quam permisere, modum, ut magis magisque coarctaretur, hisce conditionibus restrinxere. Primo ut exigi non posset, nisi in stipulationem deducta. Secundo ut ea ipsa, quae in stipulatum veniret, non deberetur, si definita non esset. Tertio ut cum aequasset sortem, non amplius curreret: quod postremum de foenore nondum soluto olim intellectum, etiam ad so-

Foenebrium Romanorum legum Synopsis.

lutum a Justiniano protractum meminimus. Sola stipulatio in usuris diutius obtinuit ad Labeonem usque, qui usuras, etiam in stipulationem non deductas, in peculiari societatis casu ex mora solvendas censuit, *sed non quasi usuras, sed quod socii intersit moram eum* (socium scilicet, qui communem pecuniam in proprios usus convertit, ac restituere distulit) *non adhibuisse* L. 60. D. *Pro socio*. Hoc initium usurarum in judiciis bonæ fidei ex mora, quod non usuram propriam, sed æstimationem ejus, quod interest, prospicit. Imperator Antoninus Pius hoc Labeonis consilium a societatis casu ad omnes moræ casus extendit. Licet vero id consilium solam æstimationem ejus, quod interest, probarit, non autem usuram proprie dictam; cum tamen difficile sit hanc æstimationem, quæ ex facto pendet, dijudicare in praxi, atque exacte taxare; ad finiendas lites, ac fraudes etiam impediendas, satius existimatum est, generali lege æstimationem, & pretium ejus, quod interest, ad modum usurarum, idest ad centesimam, revocare; ac proinde constitutio illa manavit, qua cautum fuit, *ut in bona fidei judiciis tantundem possit officium arbitri, quam stipulatio*. L. 24. D. *Depositi*, *vel contra*.

22. Hæc præcipua legum fœnebrium capita: in quibus nihil apparet, nisi vel repressam, atque restrictam fœneratorum avaritiam, vel probatam tantummodo æstimationem ejus, quod interest. Sola praxis fœneratorum, qui hoc legum consilium non attendentes, usuram legibus, ac judiciis exigebant quotidie, alienam ab iisdem legibus opinionem in populum induxit, ita ut fœnus legibus subinde crederetur probatum, quod, alia licet mente, auctoritate legum in ipsis judiciis exigeretur: quemadmodum non dissimili ratione nonnulli adhuc existimant ex ipsis Christianorum Principum legibus, qui a probanda usura alieni, solumquandoque usurarum modum, vel pro cohibenda avaritia, vel pro taxanda æstimatione ejus, quod interest, præfiniendum judicarunt. Quod si exceptiones earundem legum considerentur, quibus usuram exclusere a certis casibus, in quibus, si per se liceret, excludenda non fuisset; multo luculentior usuræ condemnatio ex iisdem legibus patebit.

23. Interim quot ex ipsis Gentibus observationes hactenus erutæ a nobis sunt adversus usuram, tot argumenta, aut indicia videntur suppetere naturalis ejus juris, quo solo illæ potuerunt ab usura abhorrere, nec non ejus inhonestatem, ac exactionem *a natura alienam*, *nullaque naturali ratione* purgandam cognoscere, ac tandem hujus inhonestatis, & injustitiæ semina in ipsis legibus, ac judiciorum praxi inspergere. Sed de ratione ipsa jam disserendum accuratius.

## CAP. IV.

*Quatenus usura contraria sit charitati. Mutui officium ex charitate debet esse gratuitum, & eatenus usura charitati repugnat.*

### §. I.

*Duo charitatis mandata, alterum de bono proximorum curando, alterum de malo non inferendo.*

1. Cum de naturali jure quæritur, de eo jure quæritur, quod charitas, cui totum naturale jus innititur, præscribit. Principia autem, & leges charitatis si consulantur, usuram eisdem adversari inveniemus. Duo autem

autem celebria charitatis principia sunt omnibus nota. Primum: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; quod Severus Imperator frequenter usurpasse traditur, legiturque aliis verbis in Appii Cæci oratione apud Dionysium Halicarnasseum, nec non Tobiæ c. 4. v. 16. Alterum positivum: *Quæcunque vultis faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim lex, & Prophetæ*, uti ipse Christus docuit apud Matthæum c. 7. v. 12., & Luc. 6. v. 31.; quod item naturalis esse juris patet ex simili Ethnicorum præcepto, Mecenatis apud Dionem, Isocratis ad Nicoclem, Aristotelis apud Laertium, & Simplicii in caput Epicteti trigesimum septimum. Primum illud ad mala proximi interdicenda pertinet, hoc vero alterum ad præcipienda bona. Utrumque autem charitas exigit, quæ proximum nos diligere jubet: dilectio autem cum non sit nuda amoris significatio, sed ea sinceræ cordis affectio, qua bonum alicui volumus; dilectionis officium erga proximum ejusmodi esse debet, primo ne velimus eidem malum, deinde ut bonum velimus. Primum de malo proximis non inferendo evidentius est, alterum autem de bono procurando satis liquet. In usura autem alterutra ex parte peccari nostrum erit demonstrare, ut usura, quantum charitati adversetur, exploratum fiat. De bono proximorum procurando in primis agamus.

Vide Grotium in hunc Matthæi locum.

§. II.

*Ex charitate gratis proximo præstanda sunt omnia bona, & officia, quibus eget, quæque eidem præstare nostra nihil interest. Ubi autem intersit aliquid, nihil supra id, quod nostra interest, exigendum est, nihilque ex eo, quod proximi interierit, exigere licet. Id valet, sive ex præcepto, sive ex consilio, bonum, & officium proximo præstemus.*

2. CHaritas, quæ proximum amare, idest bonum eidem velle jubet, ne inanem, sed verum amorem jubeat, exigit nos erga proximum ita affectos esse, ut omnia ei officia, ac bona ex charitate, seu gratis præstemus, quæcunque possumus, quando præsertim egeat, eaque præstare nostra nihil intersit. Neque vero ex hoc naturali charitatis præcepto ab omnibus, quibus aliquis humanitatis, atque charitatis sensus inest, ea solum, quæ levioris curæ sunt, officia, ac beneficia gratis præstanda noscuntur, uti sunt erranti viam ostendere, aquam, & ignem petentibus communicare, monere de periculo, quod in via a grassatoribus immineat, & id genus alia; sed illa pariter, quibus magnum proximo commodum afferimus, si hæc item præstare sine nostro dispendio sit. Non prohibet quidem charitas, ut si quid incurrendum sit damni in alienis bonis procurandis (lucrum etiam cessans ad damnum refertur) id quod nostra interest, damni resarciendi nomine, possimus quærere, nisi magna proximi necessitas, & inopia huic quoque juri renunciari velit. At si absque detrimento alios juvare possumus; quantumcunque sit bonum, quod nostra opera proximo procuremus,

sive ex præcepto, sive ex consilio procuretur, jubet charitas, id sine ullo quæstu gratis præstari. Ita si quis sua opera pacem conciliet, injustam litem impediat, negotii utilis suscipiendi auctor sit, officium utile proximo digno obtineat &c., homo honestus pretium non exiget ejus officii, quod alii prosit, sibi autem nihil noceat. Legenda in hanc rem, quę Pufendorfius, & Barbeyrachius ex juris naturalis principiis afferunt lib. 3. de Jure naturę, & gentium c. 3. §. 3., inter quę egregia plane illa Tullii ex Ennio lib. 1. Offic. c. 16. *Una e re satis præcipit, ut quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia, non prohibere aqua profluente, pati ab igne ignem capere, si quis velit, consilium fidele deliberanti dare; quæ sunt iis utilia, qui accipiunt, danti non molesta. Quare & his utendum est, & semper aliquid ad communem utilitatem afferendum.* Si hęc ex sola humanitate ab ipsis Ethnicis scripta fuerunt, quid ex Christiana charitate a Christianis dicendum? Ex ea charitate, inquam, quę cum proximum diligat sicut seipsum, proximi bona non ex proprio, sed ex proximi bono quęrenda, & curanda pręcipit, ac si sua essent: *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum;* quod alieni boni procurandi mercedem, si pręsertim nihil nobis sit damni, omnino excludit. Non omnia quidem bona ex charitatis pręcepto ęque procuranda omnibus sunt; sed aliqua tantum, & certis in casibus. Quoties tamen procurentur, sive ex pręcepto, sive ex consilio, aut voluntate procurentur; eatenus procuranda sunt, ut, si nihil nostra intersit, nihil exigamus ex eo charitatis officio: si quid autem intersit, nihil supra id, quod nostra interest, exigamus.

Philip. 2. v. 4.

3. Neque vero dicas, hæc valere quidem, ubi bonum proximo ex charitate procuretur: non semper autem ex charitate procurandum; tum autem licere ex proprio commodo procurare, & eatenus aliquid exigere, ita tamen, ut, si non ex eo, quod nostra interest, certe ex eo, quod intersit proximi, lucrum nostrum metiamur. Hæc enim qui dicunt, nondum charitatis jura intelligunt. Etsi in bono procurando, cum proximus non eget, charitatis mandatum non suppetat: quoties tamen bonum procuretur, si non semper ex charitate procurandum est, ex ea certe charitatis lege est procurandum, quę nihil, nisi quatenus nostra interest, jure exigi posse permittit. Neque vero, ubi nostra nihil intersit, ad aliquid pretii exigendum, spectanda est proximi utilitas. Sicut enim pretia rerum in omnibus contractibus æstimantur, non ex eo, quod interest accipientis, sed ex eo, quod interest dantis, ut ex ipsis Romanis legibus non solum S. Thomas 2. 2. q. 77. a. 1., sed et Grotius in Luc. c. 6. v. 35., aliique omnes de jure Gentium scribentes fatentur; ita procurare bonum proximo pretii æstimationem non meretur ex eo, quod proximi interest, sed ex eo solum, si quid ejus intersit, qui bonum procuret, ita ut si nihil hujus intersit, nihil pretii exigere juste possit.



§. III.

§. III.

*Ita in mutui officio exigere licet quantum creditoris interest, idest restitutionem capitalis, lucrum cessans, & damnum emergens, quorum vere creditoris interest: nisi peculiaris necessitas debitorum hoc quoque remittendum exigat. Ubi autem præter restitutionem capitalis nihil intersit creditoris, ex eo solum, quod debitoris interest mutuo uti, nihil supra capitalis æstimationem licet exigere. Hinc mutui officium ex charitate gratuitum est, & usura charitati adversatur. Grotii, Molinæi, & Salmasii testimonia in confirmationem afferuntur.*

4. PORRO ex præstituta charitatis regula, quæ æquissima est, & ex juris naturalis principiis satis notis promanat, patet quid statuendum sit de mutuo, quod sane inter charitatis officia censetur. Cum mutui officium proximo præstamus, licet exigere quantum interest mutuantis pecunia non carere, non vero quantum mutuatarii interest eadem uti, cui bonum, si nihil intersit, vel supra id, quod interest mutuantis, ex charitate gratis præstandum est, sive ex præcepto, sive ex consilio præstetur: & eatenus officium mutui ex charitatis lege debet esse gratuitum. Hæc propositio adeo ex dictis explorate sequitur, ut (quod mirum videatur) a nonnullis usurarum patronis concedenda fuerit. Grotius in ipso commentario in cap. 6. Luc. v. 35., ubi pro usura pugnat, primam partem satis expressit his verbis: *Ut autem sciatur quantum recipi æquitas permittat, non est spectandum, ut quidam censent, quantum lucrifaciat, qui pecuniam sumsit, sed quantum ei absit, qui pecuniam numeravit: sicut in emtione quoque, & aliis contractibus, nunquam æstimatio facienda est ex eo, quod intersit accipientis, sed ex eo, quod absit danti.* Eadem totidem fere verbis repetit Epist. 953. ad Claudium Salmasium, ubi suum illi circa usuræ defensionem calculum addit. Similem Molinæi sententiam recitabimus paullo post. Si ex eo, solum *quod abest danti*, seu *quod dantis interest*, ita mutui, sicut & aliorum contractuum *æstimatio facienda est*, & ex hac æstimatione definiendum, quantum in mutuo *recipi æquitas permittat*, capitale quidem, quod in omni mutuo mutuantis interest, semper exigendum est; at præter capitale licebit exigere si quid ejusdem mutuantis intersit, sive ex lucro cessante, sive ex damno emergente, præterea autem, ex sola mutuatarii utilitate, exigere nihil licebit. Hinc etiam Salmasius, aliique patroni usurarum, usuræ honestatem ut suadeant, eum fere titulum afferunt, quod *mutuantis semper aliquid intersit*, ut ex eorum testimoniis liquebit recitandis lib. VI. c. 2., ubi etsi hunc titulum ad usuram vindicandam in omnibus mutuationibus inaniter confictum ostendemus; id tamen nunc nob.s argumento est, vel ipsos adversarios agnoscere, non alio ex capite licere in mutuo aliquid supra fortem exigere, nisi quatenus aliquid mutuantis intersit; unde memoratus Salmasius c. 7. de Usuris p. 175. non alias usuras licere putat, nisi *compensativas, quæ in compensationem dantur ejus, quod creditoris intersit pecunia sua non caruisse*. Ubi ergo creditoris nihil intersit, nihil exigere licebit præter fortem. Ubi autem intersit aliquid, licebit id tantum, quod interest exigere, quod meram compensationem damni spectans, mutui pretium non est; & eatenus mutui officium, pro quo nihil

hil in utroque casu accipi potest, gratuitum esse debet, ut altera propositionis parte affirmavimus.

5. Hæc quidem propria, & vera mutui notio semper fuit, ut beneficium prestent, quicunque mutuum prestant. In mutuo enim *donationis speciem* contineri S. Gregorius Nyssenus observavit in orat. contra usurarios: *Altera donationis species est mutuum;* unde apud Grecos mutuatio nomine quodam *doni* appellatur δάνος δάνειον, idest, *dare ad tempus, quæ est vera mutui notio*, ut Salmasius notavit l. 2. de Usuris pag. 17. Hinc apud Nonnium honestas mutui ex eo commendatur, *quod sub amico affectu fiat meum tuum, usu temporis necessarii.* Immo Salmasius contendit mutuum Latinis appellatum *a Siculo* μοῖτον, *quod est* χάρις, *& gratia. Inde mutuum pecunia, usus gratuito commodatus, in quo reddendo nihil ultra accepti summam debetur, quam grati animi testatio, hoc est* χάρις. In Hebreo item mutuum exprimitur verbo לוה *Lava*, quo in Niphil significatur, aliquem sibi in amore arctius conjungere, uti sane per mutui beneficium efficitur. Adeo mutuum gratuitum beneficium est, ut vocibus gratiam, & beneficium significantibus, apud Latinos, Grecos, & Hebreos exprimatur. Beneficium autem non est, quod lucri animo fit, unde Cicero l. 2. de Finibus: *Nec enim si tuam ob caussam* (idest ob lucrum) *cuiquam commodes, beneficium hoc habendum est, sed fœneratio.* Usura ergo, que beneficii rationem excludit, mutui naturam pervertit, & inficit; adeo contra mutui naturam pugnat. Hinc jure Patres usuram gratuito, ac liberali mutui officio oppositam observantes, hoc mercature genere reprehenderunt *liberalitatem vendi fœnore*, & ea, *quæ liberaliter*, ac gratis *offerenda sunt*, *seu caupones fœnerari*, ut inter ceteros S. Joannes Chrysostomus loquitur Hom. 56. al 57. in Mattheum.

Pag. 35. de Usur.

6. Nec vero inhonestatem quandam late dictam in hoc lucro collo-ces, quatenus beneficii rationem tollit, non tamen culpam rationi contrariam, cum contrarium rationi non sit beneficium nolle largiri, quod indebitum est; illud cogita, inhonestatis hujus rationem non in negando indebito beneficio sitam esse, sed in exigenda mercede ejus, quod ex sua natura beneficium est, & ex quo, si nostra nihil intersit, mercedem exigere est contra rationem, ipso Salmasio fatente c. 7. de Usuris p. 175. *Nam parum sane officiosa est ista mutui datio, quæ lucrum ex officio facere postulat; & mercedem pro re, quæ gratuita esse debet, reponit.* Hoc autem loco plures fatebuntur usure crimen, cum mutuum tanquam beneficium confertur, & nihilominus lucrum queritur, vel cum mutui beneficium pauperibus conferendum est, ex quorum necessitatibus lucri occasionem aucupari non licet. At si mutuum non beneficii, sed lucri caussa detur iis, quibus beneficium ex charitate non debetur; etsi beneficium, ac officium excludatur, lucrum tamen honestum videri. Ita quidem laudato loco Salmasius usuram vindicat, si mutuum non uti officium, vel beneficium conferatur. At si natura mutui, quo aliis opem prestamus, per se officium, gratia, & beneficium est, quemadmodum non tam ex ratione, quam ex ipso Salmasio paullo ante probavimus; idque adeo ut hec opes, quantumcunque proximo utilis sit, nihili supra sortem estimetur, si creditoris nihil intersit; nonne hujus gratie, & opis mercedem exigere contra gratuiti officii naturam esse ex posito Salmasii principio concludendum est?

7. Hec omnia quidem confitetur Molineus adversariorum Corypheus in ipso de Usuris tractatu, ubi

ubi usuras propugnat. Primum enim n. 26. in eandem Grotii, quam posuimus, sententiam, hanc conclusionem ponit: *Ad hoc ut liceat aliquid exigere, vel stipulari supra sortem in mutuo, unica est caussa duntaxat* ( nota unica, & duntaxat ) *quae est verum, & justum interesse ipsius creditoris* ( idest quantum mutuantis interest ) *non autem ex parte debitoris, nec ex ejus necessitate, vel lucro*. Hujus autem rationem ex natura mutui subjiciens, alteram gratuiti partem asserit his verbis: *Quoniam cum mutuum debeat esse gratuitum, & in utilitatem recipientis, non credentis, quantumcunque constet debitorem superlucraturum ex mutuo, vel damnum maximum evasurum, non est justa caussa, ut quidquam exigere possit creditor ultra sortem. Fateor, quod est caussa justa, ut debitor obligetur ad antidora ....* ( idest gratitudinem ) *utque creditor a debitore spontanee beneficium remunerante, & liberaliter aliquid offerente, recipere possit. Sed non est justa caussa, ut quidquam tacite, vel expresse ultra sortem reddi, paciset possit; quia esset contra naturam, & substantiam mutui, usurarium, & sorti imputandum. Solam autem indemnitatem sibi servari pacisci potest*. Et num. 27. *Sed occurrit quaestio, an liceat obligationem illam antidoralem pacto deducere in civilem, & sic alio modo quam tacite inijt: & communis est sententia Theologorum, & nostrorum quod non*. Hinc pariter dixerat n. 25. *Moribus invaluit, ut mutuum debeat esse, & maneat gratuitum*, idque falsus est *justum, & rationabile, praesertim attenta natura mutui*.

8. Usura igitur pervertens mutui naturam, quam gratuitam praecipit charitas, contra naturam ipsam, & contra charitatem pugnat. Hinc idem Molinaeus n. 441. *In usura omnis ordo, & natura, & artis, vel instituti pervertitur*. Et n. 521. *Sordida foenoris negotiatione liberalem officiositatem mutui foedari, ac obliterari* fatetur: ac tandem n. 656., eam remotissimam statuens mutui speciem, *quando fit sub usuris*, rationem hanc a natura mutui sumtam in condemnationem usurae subdit: *Tunc enim omnium maxime degenerat a simplicitate, & substantia veri mutui, quae principaliter in officio, & liberalitate consistit. Immo mutuum proprie nihil aliud est, quam officium, & donatio usus pecuniae. Sed si fiat sub usuris, jam venditur officium, & sic desinit esse officium, & transit in negotium foeneratorium, quae est species opposita*. Text. L. *Interdictum, de Precariis*: quod tamen ita ponit, non ut usura naturam tollat mutui, sed ut mutuum vitiet, & inquinet: *Usura enim non est forma, & puritas, sed labes, & inquinatio mutui*. Hinc porro factum puto, ut *foeneratoria negotiatio male audierit, nec immerito lapidetur, odioque laboret*, ut ille etiam observavit n. 441., quod naturalis alicujus juris violati ex communi hominum sensu argumentum est: jureque idcirco Patres, cum usuram detestati, mutui beneficium sub foenore, & pretio positum reprehenderunt; tum ejus officii gratis, cum nihil interest, praestandi debitum commendantes, *Da pecuniam, si habes*, dicebant cum Ambrosio; *prosit aliis, quae tibi otiosa est*; ubi vox *otiosa* nihil creditoris interesse significat. Ita sane mutuum, ubi nihil interest, sine ullo pretio dandum ipsa humanitas (1) Gentes etiam foene- De Tob. c. 2. nu. 8.

(1) Constat id, tum de Graecis, tum de Latinis, ut variis in locis observavit Salmasius. Quin ipsos Trapezitas, qui foenus ex professione exercebant, amicis gratis mutuum dedisse constat ex Demosthenis Oratione adversus Timotheum.

fœnerantes edocuit, cum de mutuo amicis, vel fratribus, quos quis diligeret, credendo ageretur; a quibus si quid exegissent lucri, contra eam charitatem, qua fratres, vel amici diligendi sunt, se agere existimassent. Si vero eadem omnibus charitas exhibenda est ex naturæ institutione, quam docuit Christiana Religio, cum charitatis præcepta ad omnes extendenda docuit; idem gratuitum profecto officium mutui exhibendum est omnibus, quibus mutuum præstandum credatur: hujus enim institutionis, & officii ratio, non ex peculiari fratrum, aut amicorum conditione pendet, sed ex memorata officiorum natura, quæ omnibus communis in officiis ęstimandis, non quod accipientium, sed quod dantium interest, prospicit, ut nihil supra id, quod dantis interest, in quovis officio pręstando exigendum ipsa naturalis ratio dictet, quam & Gentes, & ipsos usurarum patronos novisse monstravimus.

§. IV.

*De malo proximis per usuram illato, quod a charitatis altero precepto vetatur.*

9. HÆc quoad primum illud charitatis mandatum, quod bonum proximis procurandum pręscribit. Eadem vero satis innuunt, quid censendum sit de altero mandato, vetante ne quid eidem inferamus mali. Mali enim species est id ex mutuo exigere, quod pręter ęstimationem ejus, quod nostra interest, exigendum non fuerat. Id autem non tam contra charitatem, quam contra justitiam est; unde usura ex ea parte, qua gratuitum mutui officium excludit, soli charitati opponitur; ex ea vero, qua aliquid pręter ęstimationem ejus, quod mutuantis interest, nullo justo titulo exigit, charitati simul, & justitię adversatur; quod sequenti capite de injustitia usurę disserturus pluribus statuam.

CAP. V.

*De usura injustitia, ex naturali jure.*

1. SI in antiquis Patrum, aut Conciliorum sanctionibus, quę adversus usuram latę fuerunt, nullum, vel rarum rationis indicium est; id non ea de caussa evenit, quod nullum illi de usurę injustitia naturale jus agnoverint, sed quod sola divina lex, & auctoritas iisdem satis fuit. Non ejus ingenii erant eo tempore Christiani, ut divinę legis rationem quęrerent. Ut parerent dictis, divino jure contenti erant. Id pariter hoc tempore sufficeret, nisi quidam hac in parte curiosius inquirentes, ipsum divinum jus ad rationis normam exigendum, & constringendum putarent. Hęc paucis pręmonui, ne quis forte rationes, quas sum allaturus in medium, eo solo nomine despiciat, quod in Patribus non inveniantur. Expendat ergo earum intrinsecam vim; & si ęqua ratione solvere non possit, manus det.

§. I.

*Injustitia argumentum ex disputatis superiori capite colligitur. Adversariorum fundamentum pro asserenda usura justitia proponitur.*

2. IN quocunque contractu pretium aliquod supra justam ęstimationem exigatur, justitiam lędi nemo inficiabitur: id enim, quod justam ęstimationem excedit, injustum est. Porro in mutuo, pręter ęstimationem sortis, & ejus, quod mutuantis interest, nihil ęstimabile est, ut superiori capite osten-

stendimus; mutuationis enim officium gratuitum sua natura esse debet; id autem, quod interest accipientis, ad pretii ęstimationem non pertinere, ex ipso Grotio, Molinęo, aliisque usurarum patronis accepimus. Usura ergo proprie dicta, quę in eo lucro sita est, quod ęstimationem sortis, & ejus, quod interest mutuantis, excedit; nulla justa ęstimatione, aut titulo proveniens, injusta cognoscitur.

3. Verum adversarii, ut justum lucri titulum in mutuo afferant, usum pecuniæ ingerunt, quem cum quis mutuatario concedit, ita justum usus pretium eum exigere posse ajunt, ut ex domorum, ac prædiorum usu justa pensio exigitur. Hinc *ex usu usura dicta*, ut tradit Varro l. 4. de Lingua Latina, *pretium usus* definiri solet. Id autem multo justius esse contendunt, si pecunia mutuatario fructum pariat, quippe qui eam non in necessitatem aliquam consumat, sed in prædia, vel negotiationem convertat, unde lucrum percipiat. Ita enim pecunia eidem non nudo usui, sed fructuosa est, ut pensionem ex re fructuosa alteri concessa exigere nihil sit honestius, & justius. Hinc porro eos irrident, qui pecuniæ sterilitatem tribuunt. Sterile enim dici nequit, quod, si cultura exerceatur, ingentes fructus parere potest; pecunia autem, si excolatur, maximos fructus parit. Quod ex fundo bene culto redit, fundi fructus est: quod ex pecunia bene collocata colligitur, fructus ejus censetur. Inter fructus enim pecuniæ usura est, adeo pecuniæ fecunditati tribuenda, ut ea Græcis τόκος, idest *partus* appelletur. Tum solum si otiosa domi teneatur, & nihil pariat, sterilis pecunia erit, ut ager, & mulier, quæ nihil parturit. Ubilibet collocatur, justum pariet fructum, & fecundissima erit. Vide de hoc plura apud Salmasium de Usuris c. 8. p. 198. Hæc autem omnia quam inania, & pusilla sint ut quisque intelligat, sigillatim expendenda sunt.



## §. II.

### *Usus pretium, & locatio in mutuo quam injusta sint.*

4. PRimo cum ad præferendam usuræ justitiam hæc vocatur *merces*, aut *pretium usus pecuniæ*, locationis species inducitur, qua ita juste pro pecuniæ usu, qui in mutuo traditur, solvatur annua merces, vel pensio, uti pro usu domus, equi, vel prædii in ceteris locationibus solvitur. Hanc eandem pecuniæ locationem ad fœnus defendendum olim pariter ingessisse legitur nescio quis, quem refellit antiquus Auctor commentarii in Matthæum inter Chrysostomi opera Hom. 38. *Adhuc dicit aliquis: qui agrum locat, ut agrariam recipiat, num est similis ei, qui pecuniam dat ad usuram?* Id ipsum quoque inculcarunt Patareni usurarum defensores, ex quibus unus pluries & pluries, & pluribus in locis *dixit, quod dare ad usuram non erat peccatum .... quia dicebat sic homines posse recipere denarios pro usuris, sicut pensionem pro locatione domus*; uti habetur in documento an. 1305., & ex Venerabili Moneta confirmari potest, cujus testimonium in præfatione recitavimus. Hoc idem argumentum Novatores recuderunt vehementius, inter quos Salmasius: *Locatur*, inquit, *pecunia quæ fœnore datur, non alio modo, quo ædes, aut ager, aut opera, pro quibus merces exigitur ab iis, qui ea conduxerunt.*

Olim quotque fœneratores locationem pecuniæ tribuerunt in mutuo.

Præfat. n. 1.

De Usuris c. 5. pag. 96.

5. Sed locationis naturam, & jura ignoret opus est, qui parem pecuniæ mutuo traditæ, ac domus, vel prædii locati rationem habendam existimat. Locatio, qua usus alicu-

Locatio definitur.

alicujus rei sub pretio traditur; definiri potest *usus venditio*, *rei dominio retento*, seu, ut alii loquuntur, *salva ejusdem rei substantia*. Dicitur *usus venditio*; neque enim in locatione res, sed rei usus venditur. Ubi autem solus usus, non autem res venditur, hujus dominium venditori manet; unde subjicitur *rei dominio retento*. Ex his porro ad locationis justitiam hæc requiruntur. Ex parte usus omnino oportet, ut aliquis verus usus sit, qui vendi, & emi possit; nemo enim conducit, quod nulli usui est: ac præterea tandiu durare debet usus, quandiu locatio obliget, in qua pro solo usu justa pensio solvitur: iniquum enim esset pro usu, qui amplius non est, quenquam cogi pensionem solvere. Ex parte autem rei, cujus usus locatur, hæc in dominio locatoris manere debet, non solum ut is rei suę merum usum locet, verum etiam (quod ad justitiam maxime pertinet) ut pretium usus eidem jure proveniat. *Nemo enim*, quemadmodum fateri debuit ipse Salmasius in Præfat. de modo Usurar., *pro suo usuras, nec pensiones præstat, sed pro alieno. Ita pensio exigitur pro domo locata, & pro aliis rebus, quæ domino suo manent, nec alienantur*. Hinc celebre illud Senecæ L. 7. de Benefic. c. 4. *Nemo usuras pro pecunia sua pendit*. Ratio est manifesta, & naturali juri maxime consona: unde hoc principium non solum omnibus Jurisperitis, sed & ipsi vulgo exploratum affirmavit idem Salmasius in disquisit. de mutuo pag. 324. *Non minus autem jurisperitorum, quam vulgi ea est regula, quæ dicitur, neminem pro re sua, sed pro aliena tantum mercedem solvere*. Et generalem quidem regulam nulli exceptioni obnoxiam ibidem posuerat pag. 320. *Generalis est regula, quæ nullam recipit exceptionem, neminem pro re sua pensionem cuiquam debere posse, aut præstare teneri*; adeo ut hęc item valeat in mutuo, in quo *si* (inquit in laudata præfat. De modo usur.) *res sua domino, qui dat, alienaretur, & illi acquireretur, qui accipit, usuras pro eo pendi nulla ratio permitteret: nemo enim pro suo usuras, nec pensionem præstat &c*. Unde concludere cum eodem liceat ex disquisit. de mutuo p. 334. *Immotum igitur, fixumque sedeat, ex immutabili juris doctrina, & constante doctorum auctoritate, non pendi a quoquam usuras, aut pensionem præstari pro re sua*. Sua itaque locatori res maneat oportet, cujus usum locet, ne si in locatarii dominium transeat, is pro re sua injustam pensionem locationis nomine solvat.

6. Alterutrum porro si in locatione deficiat, sive ex parte usus pensio exigatur pro usu, qui non est, sive ex parte rei pensio ab illo requiratur, qui rei dominium non habet, ad locationis injustitiam satis est. Quid si utroque ex capite locatio in mutuo laboret? Primo in mutuo, in quo rei mutuo traditę usus alius non est, quam ipsius rei consumtio, ut libro primo ostendimus; totus usus momento terminatur, uti momento terminatur ipsa consumtio. Si locationi locus non est, nisi quatenus usus, qui locatur, duret; nulla esse potest locatio in mutuo, in quo usus momento desinens, nihil dura. Hinc Ulpianus L. 3. D. *Commodati, vel contra*. §. 6. *non posse commodari, ait, id, quod usu consumitur*; quia quod usu consumitur, diuturniorem usum, qualis ad commodatum requiritur, nullum habet. Idem autem locati est, quod a commodato sola pensione discrepat. Locari igitur nequit id, quod usu consumitur (sicut nec *ulla naturali ratione* recipere potest usumfructum, qui locatione traditur) ac propterea iniqua in mutuo locatio est, vi cujus diuturna, & constans, usus, qui momento fuit, & am-

Non cadit in mutuum.

Prima ratio.

Lib. 2. Instit. tit. 4.

amplius (1) non est, pensio exigitur. Huc pertinet justissima illa Senecę reprehensio adversus usuram L. 7. de Benef. c. 10. *Quid sunt ista tabula? Quid computationes, & venale tempus, & sanguinolenta centesima? voluntaria mala ex constitutione nostra pendentia, ex quibus nihil est, quod subjici oculis, quod teneri manu possit, inanis avaritiæ somnia; percipitur enim,* ut explicat usurarum patronus Gerardus Noodt L. 1. de Fœnore c. 9., *pro usu ejus, quod non est, quia percipitur pro usu consumtæ pecuniæ.* Et similiter illa Plutarchi in Opusculo *de vitando are alieno: Ex eo, quod non est, neque subsistit, nascitur fœnus,* nempe ex usu pecunię, quę non est, nec usum pręstare potest. fœnus, pensionis, & locationis nomine exigitur, quo cum nihil inanius, ita injustius nihil cogitari potest.

Ratio altera. 7. Deinde cum in mutuo usus sit ipsa consumtio; usus separari nequit a dominio, sed ut detur usus, dominium item transferatur necesse est, uti pluribus ostensum nobis fuit L. I. c. 3. Ita fit, ut pecunię usus separatim a dominio vendi nequeat, quemadmodum locationi opus esset; & si quidem traducto dominio usus venderetur, usus rei non amplius suę venderetur inique, ac iniqua propterea hęc locatio esset, in qua mutuatarius pro usu rei suę pensionem solveret, contra illam certissimam regulam, quam ex Seneca, ipsis adversariis fatentibus, paullo ante digessimus. Lib. V. c. 3. §. 3.

8. Hinc pecunię ususfructus, quem nullum esse ex ipsis Romanis legibus didicimus, duplici ex capite nullus est, non solum quia res est consumtibilis, quę usum proprium ususfructus non recipit, sed etiam quia traducto ejusdem rei dominio, eum usumfructum non capit, qui sine proprietatis dominio distrahi possit: ac idcirco nec verę, ac justę locationis capax est pecunia, cum locatio vera non sit, nisi qua usus, vel ususfructus rei sine dominio venditur, unde justa etiam pro usu, vel usufructu, pensio domino solvatur. Quicunque justus pensionis annuę contractus invenitur, solum usum, vel usumfructum, reservato dominio, in alium traducit, ut patet in censu, emphytheusi, feudo, & similibus: & fatetur etiam Salmasius in disquisit. de mutuo pag. 337. Si cum usufructu dominium transferretur, iniqua esset quęvis pensio. Quid in solo mutuo secus dicatur, cujus pręterea materies usumfructum nullum recipit?

9. Minus vero opportunum hoc loco est, illud observandum ingerere, quod licet de usus pretio post translatum dominium solvendo contrahatur in mutuo; ante translationem tamen dominii hoc pactum initum fuit: quam in sententiam Salmasius cap. 8. de Usuris p. 201. ad diluendam injustitiam hujus pensionis, quę pro eo solvitur, quod, translato dominio, de meo tuum factum est, ait: *Non fit tuum, nisi hac lege, ut pro eo, quod accepisti utendum, certam mihi præstes mercedem, usura nomine, absque qua frustra tuum id esse cuperes. Non igitur tibi quod tuum est vendo, sed quod meum est ea conditione ad te transfero, ut pro usu ejus, quando te uti patiar, mihi, quod pactum inter nos est, persolvas.* Nihil ineptius, ubi dominium corporis translatum concedendum est, & non de translati dominii, sed de usus pretio agitur. Cum de pretio dominii sermo est, quoties dominium rei suę transfertur, justum hujus tran-

Ee 2

(1) Hac quidem ratione pecuniæ usumfructum nullum esse Justinianus affirmat Institut. lib. 2. tit. 4. *namque ipso usu assidua permutatione quodammodo extinguitur.* Vide, quæ superius innuimus lib. V. c. 3. §. 3

translationis pretium cum domino paciscitur, nihilque refert, utrum ante, an post translatum dominium solvatur, cum semper solvatur domino pro alienatione rei suę. At ubi agitur de usus pretio, quod non nisi pro usu rei alienę solvi juste potest; pactum ante translationem dominii initum nihil juvat, si pro solo usu, qui post translatum dominium erit, idest pro usu rei non amplius suę, pretium, vel pensio exigatur: unde Salmasium Salmasio opponens, ex disquisit. de mutuo p. 319. hęc percommode regeram: *Nihil refert plane, quando usura promissa sint, quas certum est ex eo tantum tempore deberi, & currere, quo res accipientis facta est, & in dominium ejus transiit. Non ex sola promissione pendet earum petitio, vel petendi jus, sed ex rei, quæ utenda data est mutuo, tractatione, & usu ... Nec respiciendum est tempus, quo sunt promissa, sed illud omne, quo usura currunt.* Nihil itaque refert, pactum initum fuisse eo tempore, quo res mutuantis erat, sed cum usurę pactæ sint pro usu ejus temporis, quo res mutuatarii effecta est; iniquum illud pactum dici debet, quo is pro suę rei usu usurarum pensionem solvere cogitur.

10. Neque dicas, quod cum in hisce rebus dominium simul, & usus tradantur, majus quiddam pretium exigi potest, quam si solus usus traderetur, nimirum dominii pretium, & pretium usus; ita ut in mutuo centum e. g. exigantur juste pro pretio pecunię, cujus dominium transfertur; annua autem pensio pro usu ejusdem pecunię, qui una cum dominio traditus negari nequit. Hoc enim quam iniquum sit, ut recte intelligatur, considerandum in primis est, pensionem annuam injuste exigi pro usu pecunię, qui non annuus, sed momentaneus, est; pro quo si ea exigi posset juste, tota posset exigi pro ipso unico consumtionis momento, non pro ratione anni, aut subsequentis temporis, quod nullum illius usum recipit, ut ex dictis liquet. Deinde usus hic momentaneus, qui una cum dominio traditur, ut recte ęstimetur, non separatim a dominio ęstimandus est. Quęcunque enim ęstimantur, sive ex dominio, sive ex usu, non aliam ęstimationem recipiunt, nisi pro usu. Pecunia si nulli usui esset, dominium ejus nihil valeret; uti nihil valent res, quę nulli sunt usui. Quidquid autem illa valet, ratione usus valet. Sic etiam cetere merces, ędes, ac prędia pro solo usu ęstimantur. Quando hę res venduntur, & venditione istarum dominium transfertur, pretium dominii venditione statutum, pro ratione usus statuitur, ac pretium quodammodo usus est: cum vero quędam ex his locantur, & locatione earum usus venditur, pretium locationis est item pretium usus. Pręter usum nihil in venditione, aut locatione ęstimabile pretio est. Hinc pacto, vel solutio pretio ex altero contractu, cum istud sit pretium pro usu, alterius contractus pretio locus amplius non est, ne pro usu semel divendito, novum pretium, alterius contractus nomine, injuste exigatur. Hac de causa res eadem vendi, & locari simul nequit, ne duplex venditionis, & locationis pretium pro eodem usu quęratur. Iniquus propterea esset, si quis ex re vendita pretium locationis, & usus, vel e re locata venditionis, & dominii pretium simul flagitaret. Id autem multo apertius valet in pecunia mutuo tradita, cujus usus momentaneus est. Centum enim e. g. quanti ęstimatur pecunię dominium, non pro alia re, nisi pro momentaneo illo consumtionis usu debentur in mutuo, nec nisi per summam iniquitatem aliud ejusdem usus pretium locationis nomine peteretur, annuum pręsertim, vel diuturnius pro usu,

usu, qui momento consumtus, annuam, & diuturnam locationem non recipit.

11. Neque excipias, hęc quidem valere, ubi traducto pecunię dominio, utrumque dominii, & usus pretium simul exigitur, non autem ubi exigitur solum pretium usus, quandiu dominii pretium solutum non sit. Inanis prorsus exceptio ad justitiam pretii usus adstruendam in mutuo, ubi & pecunię dominium pręsumitur traductum, & pecunię usus momento consumitur. Si de re, atque contractu ageretur, in quo, pacto licet rei pretio, ante solutionem tamen traductum nollemus ejus dominium, ejusque usus alteri interim traditus, per intermedium tempus duraret; is re aliena vere uteretur hoc tempore, justumque usus pretium domino solveret; non quod pretium rei nondum solutum non sit, sed quod usus hujus temporis, & rei alienę usus hanc pensionem, aut mercedem meretur. At in mutuo, ubi & alienata res est, & momentaneus est rei usus, licet nondum solutum sit pecuniæ alienatę pretium, quod ex momentaneo illo usu ęstimationem habet; pretium tamen separatum usus nullum est, cum ex solutione dilata nec res sua creditori maneat, nec dilati temporis usum recipiat.

12. Hinc porro explorate etiam cognoscitur imbecillitas ejus objectionis, qua quidam dicere solent: *Ergone nihil erit mutuantem sua pecunia tandiu carere, ut nihil eo spatio exigere pretii possit?* Ex dictis enim patet, solum privationis tempus (si nihil mutuantis intersit) ad pecunię elocationem, de qua nunc sermo est, nihil conferre, cum & pecunia fuerit alienata, & pecunię usum id privationis tempus non ferat. Si quid autem intersit mutuantis non carere pecunia; id, quod interest, ęstimabile quidem, (ut alibi dictum est) ad compensationem damni, non autem ad locationis jura pertinet. Stet igitur nihil esse in mutuo, unde locationis, aut quocunque alio nomine quidquam pretii pro pecunię usu, qui traditur, juste exigi possit: id, quod ex ipsorum confessione adversariorum evidentius fiet paragrapho sequenti, ubi in pecunię corpus, quod in mutuo alienatum est, ut consumatur, nondum licet soluto dominii pretio, locationem non cadere, ipsos quoque ultro dare nunc jam visuri sumus.

## §. III.

*Evertitur adversariorum effugium, quo corpus pecuniæ mutuo traditæ a quantitate ejusdem restituenda distinguentes, solum dominium corporis in debitorem traductum professi, quantitatem in mutuantis dominio adstruunt, justamque hujus locationem comminiscuntur.*

13. CUm adversarii probe intelligerent, ad locationis, & pensionis justitiam omnino opus esse, ut res locata in locatoris dominio maneat, ut illa probant, quæ ex Salmasio superius attulimus; ne æquissimus locationis titulus, quem ad usuræ injustitiam purgandam maxime aptum, ne dicam unicum, viderunt, sibi eriperetur, alienationem in mutuo aliqua ex parte non fieri, multis, non tam argumentis, quam * libris, probare, & evincere conati sunt. At huic propositioni obstabat primo omnium Jurisconsultorum etiam peritissimorum auctoritas, qui ex ipso Romano jure dominium transferri in mutuo, & alienationem fieri semper docuere: dein ipsa etiam mutui natura, ac ratio obstabat, in quo cum ad consumtionis usum pecunia tradatur, ut ad priorem dominum redire non possit; alienari profecto debet, & alienatione quidem,

* Vid. Præfat. num. 17.

dem, ut idem Salmasius confessus est, perfecta, atque totali, qua ipsum corpus, quod creditor mutuo dat, sibi restitui amplius nolit. Vide Salmasii textus lib. I. c. 3. Quid igitur? Ne hæc, quæ & communia, & evidentia sunt, vocarentur in dubium; & simul ut cuidam dominio, & locationi locus inveniretur; idem Salmasius ad distinctionem corporis, & quantitatis in mutuo confugiens, corpus quidem pecuniæ, quod consumendum, ac nunquam restituendum datur, alienari concessit; at simul contendit, quantitatem, quæ ex dato corpore vi mutui debetur, ac restituenda est, non alienari, ut libro memorato pluribus vidimus. Ad usuram vero quod attinet, cum hæc, quæ pensio, seu pretium usus est, solo locationis nomine, ac jure provenire juste possit; locatio autem vera, & justa non sit, nisi ubi dominium retinetur; corporis quidem mutuo traditi, & alienati locationem nullam, aut injustam fatetur; quantitatem autem, quæ non alienatur, & toto etiam spatio ad restitutionem usque debetur, locari ait, justumque pretium hujus locationis, & usuram idcirco justam præfert. Ita L. 15. D. *de actionibus emti, & venditi*, ubi de usura sermo est in re vendita, & alienata, cujus pretium velut quantitas debetur, usura non pro ipsa re alienata, quod iniquum esset, sed pro pretio non alienato pensitata dicitur (1) *usuras pretii pendere*: id, quod aliis legibus Salmasius confirmat Disquisit. de mutuo pag. 340., qui propterea hoc unum pluribus in locis statuit, usuras similiter pendi in mutuo pro sola quantitate, quæ alienata non est. Audiatur inter cetera insignis ejusdem Salmasii locus ex opusculo adversus Joannem Otthonem Tabor Lugd. Batav. 1644. n. 8. p. 335. *Obligatio*, quæ scilicet ex mutui contractu in debitore exurgit, *non potest contracta videri ad illam ipsam rem, quam numeravit creditor, & consumsit debitor. Nam reddi ea ipsa deberet ex obligatione; non potest autem reddi, qua sic consumta est. Nec ergo in obligatione est, nec ergo sua creditoris dici potest. Quid ergo est creditoris? Quid illi debet debitor? Propter quid usuram ei præstat? Quid postremo illi solvet, ut liberetur? Quantitatem eandem. Decem dedit creditor, ut decem reciperet. Hæc non alienata est, hæc mansit creditoris, hæc nunquam in potestate fuit debitoris. Propter eam obligatus est, propter eam usuras solvit, non ex corpore ipso nummorum, sed ex obligata quantitate, sive ex obligatione quantitatis, & sic pro re aliena, non pro sua usuras pendit.* Itaque ad usuræ injustitiam cognoscendam videndum est, cujusmodi sit hoc quantitatis dominium, atque locatio.

*Quantitatis, quæ debetur in mutuo locationem adversarii adstruunt.*

14. Et primo quantitatis restituendæ dominium, quod mutuanti tribuitur, improprium admodum, & fictione quadam juris inductum dominium est, quod non verum dominium, sed meram actionem, & jus in tantundem præstituto tempore recipiendum significat, ut Lib. I. c. 3. pluribus statutum fuit. Hoc autem merum quantitatis dominium, quod meram actionem innuit, non autem rem, quæ actu nostra sit, quis locationi idoneum præferre possit? si meræ actiones justum locationis pretium susciperent; quot mercenarii, vel mercatores justum pretium efflagitare possent ex mercedibus, & creditis non solutis, in quę verum jus, & actionem habent? Etsi enim actiones, & jura possint vendi; nemo tamen illa conduxit unquam, atque

*Refellitur hæc locatio.*

(1) Adde L. 5. C. *de pactis inter emt. & vendit.*, ubi similiter Gordianus *pretii tardius exsoluti usuras* pensitari scripsit.

atque conducet. Ratio discriminis est aperta, quia quæ emuntur actiones, & jura, non a præsenti, sed a futuro, quod speratur, dominio æstimantur; at nihil serviunt usui, qui in locatione quæsitus, non imaginariam, sed realem quantitatem, ac dominium requirit.

Alia efficacior ratio.

15. Hinc etiam qualecunque hoc quantitatis dominium sit, cum tamen in locatione non dominium per se, sed usus, pro quo pensio solvitur, ad pensionis justitiam spectetur; quid, quæso, est, quod debitori in mutuo usui, & commodo sit, pro quo pensio ab eo juste petatur? Num pecuniæ corpus, quod alienatum conceditur, an quantitas, quæ debetur, nec alienata prædicatur? Corpus quidem pecuniæ, quod in usum, etsi momentaneum, mutuo datur, non autem quantitas non alienata, sed reddenda, quæ debitori nihil proficit, immo illum potius gravat; unde vulgatum illud: *ære alieno premitur*, aut *gravatur*; ubi *alienum æs* pro quantitate non alienata ab ipsis adversariis accipitur. Itaque cum nullæ res locentur, justamque locationis pensionem flagitent, nisi quæ locatario usum, & commodum afferre queunt; si quid in mutuo locationem, & locationis pensionem suscipere posset, corpus alienatum potius, quam reddenda quantitas susciperet. Sic etiam in venditione prædii nondum soluto pretio, æquius multo usuræ penderentur pro prædio, quod alienatum fructus parit, quam pro pretio, seu quantitate, quæ non alienata nullum commodum affert. Si vero ex dominio corporis traducto, pensio pro eodem corpore, etsi fructuoso, exigi juste nequit, cum nemo ex re aliena, seu (quod idem est) alienata pensionem quærere possit, ut ex ipsis adversariis vidimus; minus juste poterit exigi pro quantitate, quæ etsi non alienata, nulli tamen usui, aut commodo est, immo est potius incommodo. Hinc Gerardus Noodt, etsi usurarum defensor, lib. 1. de Fœnore c. 2. fateri debuit, locationem ejusmodi, quæ quantitatem respicit, ignotam Romanis fuisse, propterea quod sola corpora usui sunt, non autem quantitates, quæ nullum usum recipiunt, locationis leges ferant: *Neque fœnus*, inquit p. 179., *locationi, & conductioni annumerarunt, quippe quam intra usum corporum coercuerunt, neque ad quantitates porrexerunt ...... At quanquam post non displiceret usus fœnoris ...... non potuit tamen locatione, aut ejus regulis coerceri, resistente contractus substantia jure civili jam recepta, & privatis pactionibus non mutanda. Ita factum fuit, ut corporum mercedes, vel pensiones, vel redditus locatione perciperentur: quantitatum vero incrementa sub appellatione fœnoris, mox etiam usuræ... stipulari deberent*; quę adversarii confessio ad id, quod volumus, confirmandum satis est.

Confessio adversarii: ex ipso Romano, ac naturali jure.

Epilogus de injustitia naturali usuræ, seu pretii pro usu pecuniæ.

16. Itaque ex hactenus dictis liquet, nihil esse in mutuo, unde justa locatio, & pensio defendi possit. Duo nimirum ibidem tantummodo considerari queunt, corpus, quod traditur, & quantitas, quæ restituenda est. Si cogitetur quantitas, iniquum est locari, & locationis pensionem ex eo petere, quod, etsi non alienatum, fictitii tamen dominii, ac nullius usus est. Si autem consideretur ipsum corpus, quod solum est utile; cum tamen usus ejus nullus sit, nisi post traductum dominium, iniqua pariter nius rei jam suę locatio, & pensio a mutuatario exigitur, ubi præsertim usus momentaneus est, qui locationis, ac pensionis durationem, & modum nequaquam patitur.

## §. IV.

*Non minus injusta ostenditur merces usus pecuniæ, quæ in lucrum mutua accipitur. Pecuniæ sterilitas demonstratur. Tituli lucrandi in negotiatione: industria ex parte eorum, qui operantur, ex parte autem capitalis solum periculum, ita ut cujus sit periculum negotiationis, ejus sit totum jus in lucrum ex parte capitalis. Id statuitur Romanis legibus.*

17. Dicent fortassis ad hæc adversariorum quidam, ex hactenus dictis optime probari, locum non esse locationi pecuniæ, ubi tradatur ad consumtionis usum, qui momento finitur; & idcirco inique pensio exigitur a pauperibus, vel aliis, quicunque in necessitatis subsidium, non autem in lucrum pecuniam mutuam postulent. Ubi autem hæc non in consumtionem, sed ad lucrum petatur, uti si petatur in emtionem prædii, vel in negotium, quorum usus diuturnus, & utilis est, commode locationis contractus locum habet; ac proinde justa usus tam diuturni, & utilis pensio ab hujusmodi hominibus, qui ex mutuo lucrantur, exigitur. Hæc ab illis forte dicentur, qui solam usuram a mercatoribus, aliisque ditioribus ex mutuo lucrantibus exactam defendunt, eam vero, quæ a ceteris, præsertim pauperibus, quæritur, universim condemnant. Ita sane Auctor *Discussionis* pag. 3., ubi duos rei mutuo traditæ usus distinguit, quorum alterum consumtionis, alterum negotiationis, & incrementi usum appellat, usuram reprobat in mutuo ad usum consumtionis inito, quod *propterea*, inquit, *sterile est, & mutuanti, & mutuatario. Sed contra, si res detur ad usum incrementi .... ex quo lucrum captare nefas non est.*

18. At primo momentaneum consumtionis usum habet pecunia, non minus cum a negotiatoribus, ac ditioribus in lucrum, quam cum a pauperibus in necessitatis subsidium quæritur; æque enim momento consumitur pecunia in emtione prædii, vel mercium, aut alio negotio, quod momento conficitur, ac in quovis alio pauperis usu; id quod luculentius patebit ex dicendis paullo post, ubi nullum alium, etiam in emtione prædiorum, ac negotiationibus, videbimus esse proprium pecuniæ usum, nisi commutationis, qui momento perficitur. Neque vero in pauperibus illicita pecuniæ locatio est, quia pauperes sunt; nam si veræ, ac justæ locationi locus esset, uti locus est in domibus; præcisо peculiari charitatis præcepto ex peculiari necessitate pauperis, æque liceret pauperi pecuniam, ac domum locare: unde non abs re Salmasius lib. 2. de Fœnore Trapez. pag. 437. non fore licitum innuit locare pretio domum pauperi, si pecuniam illi, quia pauper est, locare pretio non liceat. Ratio autem vera, cur non ita licet pecuniam mutuam, uti domum locare, præter alienationem pecuniæ in mutuo, quæ in domus locatione non fit, est, quia usus pecuniæ, non diuturnus, ut in domo, sed momentaneus, locationem non suscipit, quod æque in divite, ac in paupere valet, cum æque in utroque usus ille momentaneus fit.

19. Quod autem dicitur de lucro, in eum, qui prędia emit, vel negotiatur, ex pecunia, non autem in pauperem redeunte, si hoc lucrum vere ex pecunia gigneretur, probabilis videretur objectio. At si lucrum ejusmodi non ex pecunia, sed alia ex caussa fit, quæ non ad mutuantem, sed ad mutuatarium pertinet; quis non videat, omnino injuste ratione pecunię exigi a mutuante lucrum, quod fructus pecunię non est? Hoc ad eam pervul- *De sterilitate pecuniæ.*

vulgatam sententiam spectat, qua pecunia sterilis dici solet. Ne id autem adversarii, ut solent, tanquam novum Scholasticorum inventum irrideant, haud hoc loco repetam, quæ in hanc rem statuendam, non tam ex Evangelio, & Patribus, quam ex ipsis Gentilium libris superius attulimus. Ratione utar evidentissima, cui, si recte intelligatur, nemo jure resistere possit. Rem enim attente considerantibus patebit, pecuniam per se proprie nihil, ne obolum quidem, ullo vel longissimo tempore parere posse; neque enim est animalibus similis, quæ filios gignunt, nutriunt &c., neque terræ, quæ a Deo fœcunditatem accepit; nec arboribus, qui fructus suapte natura producunt; nec tandem frugibus, quæ satæ, eo quoque dormiente, qui seminavit, ut Christus monuit Marc. 4. v. 27., sua pariter vi in terræ sinu germinant, & increscunt. Pecunia scilicet per se mortua, & infœcunda, uti sunt metalla, ex quibus compacta est, nihil sua vi ullo vel longissimo tempore edere potest; sed ut aliquid lucri quæratur, distrahenda, & convertenda est in (1) aliquid utile, atque fructiferum, quod lucrum reddere possit, e. g. in emtionem prædii, aut in negotiationem.

Cap. 2. & 3.

20. Ne autem fructus, qui hinc redeunt, tribuantur pecuniæ, quæ emtioni prædii, vel negotiationi necessaria est, considerare oportet, pecuniam ad commutationem inventam, ut expeditior esset commutandi via (quemadmodum late probat Salmasius de Usuris c. 12.) nullum alium usum, nisi commutationis habere. Sive enim emantur prædia, sive merces in negotiationem comparentur, aut aliquid aliud, pecunia meræ commutationi servit; prædia enim, vel merces ex æqua singulorum æstimatione pecunia emere, nihil aliud est, quam pecuniam cum prædiis, aut mercibus commutare. In sola autem commutatione, quæ ex æqua æstimatione fieri debet, quatenus tantum solvitur pecuniæ, quanti prædia, vel merces æstimantur, nullum lucrum paritur; cumque pecunia per se soli



(1) Hac una ratione pecunia fœcunda dici potest, non quia per se fœcunda est, sed quia per ipsam fœcunda quævis comparantur. Ita etiam omnia per pecuniam fiunt, quia omnia comparantur pecunia. Quod si quis hoc loco colligat, fœcundam oportere esse pecuniam, quæ cum campis fœcundis commutatur: secus inæqualis, & injusta esset commutatio, qua sterile pro fœcundo traderetur; is non animadvertit hoc principio licere tantum commutare campum cum campo, qui fructum pariat, non autem cum gemmis, cum cibo, cum vestibus infœcundis, nec posse in solutum tradi pro debito, quod nihil parit. Ob æqualitatem contractuum non id spectatur, num natura, & proprietates rerum commutandarum æquales sint (alias panem, qui comedi potest, non liceret emere obolo, qui comedi nequit) sed id spectatur tantummodo, num æstimatio earundem rerum sit æqualis. Æstimatio autem, in aliis a fœcunditate, in aliis ab usu, a voluptate, a raritate petitur. In campis tota æstimatio a fœcunditate est, ita ut si nihil parerent, nihil æstimarentur. Pecuniæ vero æstimatio non est a fœcunditate, quæ illi non competit, sed ab usu, quem illi homines præfinierunt. quippe per pecuniam omnia facile inveniuntur, & acquiruntur. Si in emtione campi tanta pecunia solvatur, ut ejus æstimatio ob usum prædictum æqualis sit æstimationi campi fructiferi; ad æqualitatem, & justitiam contractus nihil desiderabitur.

soli commutationi utilis sit, nullum ex proprio pecuniæ usu lucrum redit; sed quidquid redit fructus, aliunde est, & quidem ex caussa, quæ nullam vim a pecunia, nec a mutuante accepit, unde nullum ipsi lucrum provenire debet.

21. Enimvero ut de prædiis, & de negotiatione singillatim agamus, in prædiorum, domorum, aliorumque utilium, ac fructiferarum rerum emtionibus, non pecunia, qua eæ res emtæ fuerunt, quæque jam in vendentis dominium transiit, sed prædia ipsa &c., vi sua, & colonorum industria fructum pariunt; ac proinde hic fructus inter colonos, qui industriam ponunt, & inter prædii dominum jure dispertiendus est; quęlibet enim res, quę fructificat, domino jure fructificat. Neque refert, quod is sine pecunia prædia non emisset; cum enim fructus non pecuniæ vi, sed ex ipsis prædiis, ac industria redierit, non pecuniæ, sed prædiorum, & industriæ fructus est; unde in dijudicando, cui fructus debeatur, nihil attenditur, cujus fuerit pecunia, qua emti fuerunt campi, sed cujus ipsi campi, & industria sint. Si pecunia Petro e. g. in emtionem prædii tradita, cavisses, ut ex ea campi tibi emerentur, quoad pecuniam tibi Petrus solvisset; jure fructus, non pecuniæ, sed tui prædii ad te pertinerent. At cum illi campi ex eadem pecunia mutuo tradita emti fuerint Petro; licet is pecunia a te mutuo accepta emerit; non tu, sed Petrus camporum dominus est, nec nisi inique fructus rei suæ, aut eorum pensionem tibi solvere cogitur; nemo enim pro re sua pensionem solvere ex certa juris regula sępius diximus. Neque pretermittenda hoc loco est quędam objectio, qua, ut usura probetur justa, dici posset, pecuniam, etsi emtione consumtam, perseverare tamen per quandam ęquivalentiam in fundo, vel officio emto; & eatenus in eodem officio, vel fundo quoddam creditoris dominium quispiam adstruens, justum eidem lucrum, aut fructum usuræ nomine vindicandum putabit, tanquam e re fructifera, quę ad creditorem pertineat. Nihil absurdius, & falsum magis. Quis enim fundi, vel officii, aliena licet pecunia comparati, dominium creditori vindicare possit? Nonne reclamant emtionis tabulę, quę illud emtori, non autem creditori asserunt? Nonne ille suo, & non creditoris nomine ita vere emit, ut novo instrumento ad rem sibi emtionis jure vindicandam eidem opus non sit, cum pecuniam creditori restituet? Nonne creditori ex tradita pecunia jus est ad tantundem exigendum, non autem ad (1) vindicandum sibi fundum, vel officium, quod est debitori quæsitum?

---

(1) Gordianus Imperator L. 6. C. *De rei vindicatione* sanxit, possessiones aliena pecunia, quæ deposita fuerat, a depositario emtas, a deponente citra injuriam peti non posse: *Si ex pecunia, quam deposueras, is, apud quem collocata fuerat, sibi possessiones comparavit, ipsique traditæ sunt; tibi vel omnes tradi, vel quasdam ex his, compensationis caussa, ab invito eo in te transferri, injuriosum est*. Si hoc valet in pecunia deposita, cujus dominium in depositarium non transfertur, quanto magis valebit in mutuo, ubi pecuniæ dominium in mutuatarium transit? Huc pariter referri potest Lex 1. C. *Si quis alteri, vel sibi*, ubi actio in pecuniam, non autem in fundum aliena pecunia emtum tribuitur: *Si pecunia patris fundus, mancipiaque comparata sunt; tamen cum emtiones matris tuæ nomine factas esse proponas, ignorare non debes*,

tum? Nonne is fundum poteſt pro arbitrio alienare, ac donare, niſi quid aliunde impediat, ut nihil creditori juris detrahatur? Quid, ſi fundus paullo poſt venditoris mortem, fideicommiſſo detecto, a venditoris filiis nullo ſoluto pretio repetatur? Quid ſi officium in filii perſona emtum, inopinata hujus morte, amittatur a patre? Quid pecuniæ æquivalens ſupererit, in quo creditor dominium retineat, & lucrum quærat? Nonne hiſce caſibus nihil creditori peribit, ſemperque reſtituendæ ſortis debitum conſtabit? Hæc omnia manifeſta ſunt argumenta, nullum jus, ac dominium in officio, vel fundo creditori eſſe, ſed hæc ad debitorem pertinere. Enimvero ſi quod jus, ac dominium in æquivalens, quod re aliena acquiritur, hujus rei domino competeret; certe competeret in pecuniam, quæ ex re furtiva redacta eſt. Id tamen falſum deciditur L. 48. D. *De furtis* n. 7. *Cum fur rem furtivam vendidiſſet, eique nummos pretii dominus rei per vim extorſerit, furtum eum nummorum feciſſe recte reſponſum eſt. Idem etiam vi bonorum raptorum actione tenebitur; quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non eſſe nemini dubium eſt.* Nummus ergo hic, qui redactus eſt ex pretio rei furtivæ, *non eſt furtivus*, ac proinde ad dominum rei non pertinet. Similiter igitur nec ad creditorem ullo modo pertinet fundus, aut officium, quod ejus pecunia emtum fuit (cum præſertim pecunia mutua furtiva non ſit) ſed in unius debitoris dominio continetur. Inique ergo creditor ex fundo, vel officio non ſuo lucrum, & penſionem exiget. Quod ſi ex laudata lege furti reus eſſet, ſi ipſum fundum, vel officium loco pecuniæ ſibi uſurparet, etiamſi exinde creditum extingueret: quanto magis reus habendus erit, dum alienæ rei penſionem exigens, de pecuniæ credito nihil remittit?

Jus lucrandi in negotiatione ex parte capitalis eſt iis tantum periculum, cui capitale exponitur.

22. Idipſum multo evidentius patebit in negotiatione, in qua ex ſola pecunia nihil lucri redit. Pecunia enim emuntur merces; ſola autem mercium emtione nihil lucri paritur. Ad lucrum pariendum mercis emtæ venditione opus eſt, qua pluris vendatur, quod minoris emtum fuit: neque enim alia ratione in commercio pecunia augeri poteſt. Ut autem hæc venditio proſpere, & cum lucro cedat, non vi pecuniæ mutuo acceptæ efficitur, quæ in emtione mercium jam alienata fuit, ſed vi induſtriæ, & ſortis; induſtriæ quidem, cujus eſt cogitare, ac dignoſcere, quæ expeditiorem exitum, & lucrum habitura ſunt, eademque commodo pretio emere, caute cuſtodire, & cum honeſto lucro vendere, ac bonos emtores invenire; ſortis autem, qua fiat, ut induſtriæ facta reſpondeant: ſi enim ſecus caſus ferat, evenire poteſt, ut quæcunque fuerit induſtria, pro lucro damnum redeat. Duplex itaque lucri jus in negotio eſt, alterum iis, qui induſtriam, alterum iis, qui capitalis ſortem, & periculum ſubeunt. De induſtria nulla difficultas eſt. De capitali autem, quod in negotiationem con-

 fer-

---

*debes, traditione matrem tuam dominam fuiſſe conſtitutam. Plane ſi pecuniæ petitionem competere tibi propter numerationem pretii exiſtimas, civiliter contende.* Nec omittenda Lex 8. ejuſdem tituli: *Qui aliena pecunia comparat, non ei cujus nummi fuerunt, ſed ſibi tam actionem emti, quam dominium, ſi ei fuerit tradita poſſeſſio, quærit. Cum itaque de rebus communibus fratrem patruelem tuum quadam comparaſſe contendas, de tua pecunia bene conveniendo facies conſultius. Nam in rem de rebus ab eo comparatis, tibi contra eum petitio non competit.*

fertur, si quis difficultatem promoveat, utrum ex mera sorte, & periculis jus lucri afferat, is, quæso, cogitet, capitale, seu pecuniam in capitale collatam, per se soli emtioni mercium proficientem, vi sua nihil lucrari, unde perire negotiando potest; sed quidquid lucri percipitur, præter industriam ex sorte percipi, quæ ad capitale, & capitalistam nullo alio jure pertinet, nisi quatenus æquum est ei lucrum cedere, qui negotiationis periculis, ac damno pecuniam exposuit. Negotiatorum rationes, & jura lucri scrutetur quicunque velit; nec aliquem alium justum lucri titulum ex parte capitalis inveniet, quam pericula, ex quibus tota sicuti damni, ita & lucri ratio proficiscitur. Hinc jure S. Thomas 2. 2. q. 75. a. 2. ad 5., lucri rationem in eo, qui *committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis*, præter dominium pecuniæ in illud potissimum refert, *quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur*.

Confirmatur ex Romano Jure. 23. Id autem adeo ex naturali jure certum est, ut ipso etiam Romano jure non uno in loco constanter definiatur, idque ita præcise, ut ubi agitur etiam de pecunia aliena negotiationi exposita, Romani juris auctores nihil attendi voluerint, cujus esset pecunia, sed cui periculum pecuniæ immineret: adeo sola periculi ratio, non autem pecunia capitalis nomine justum lucri titulum præbet. Ita lucrum rediens ex aliena pecunia, quam procurator rerum alienarum *suo periculo credidit*, si proprietarii nihil aliunde intersit, non ad proprietarium, cujus erat pecunia, sed ad procuratorem, cujus periculum fuit, spectare ex Labeonis testimonio colligitur, quod Ulpianus recitat, ac probat L. 10. n. 8. D. *Mandati*. Si quis item communem, suam scilicet, & socii pecuniam, at *suo nomine*, idest periculo suo, utiliter collocet, totum lucrum etiam ex socii pecunia rediens, eidem vindicandum Paullus respondit L. 68. D. *Pro socio*, hac ratione, *quoniam sortis periculum ad eum pertinuerit*. Locuti illi quidem sint de negotiatione, ac lucro fœneratitio; quippe qui ex errore Gentium fœnus negotiationis speciem habebant. At nihil dubium est, quin si de alia quavis negotiatione incidisset dicendi occasio, idem judicium tulissent, cum præsertim majus aliarum negotiationum, quam fœnoris periculum sit; majusque proinde jus sit in lucrum, quod majori periculo subest. Idem certe palam fit in aliena pecunia, quam quis custodiendam accepit. Si enim hanc præter depositi fidem negotietur, quod suo periculo negotiatus fuerit, (ni civiles leges aliter in pœnam decernant) lucrum ipsi cedet, nec per se ad hujus restitutionem quisquam illum coget. Id autem si valet in pecunia certo aliena, quam quis, inscio domino, suo periculo negotiatus sit; multo magis valebit in ea, quæ mutuo accepta, in accipientis dominium transiit: sic enim lucrum, quod ex ea negotiationi exposita redit, illi debet attribui, qui pecuniam jam suam suo periculo negotiatus est: nec nisi inique vindicaretur pars aliqua mutuanti, cujus pecunia, nunc jam aliena, a ieno item periculo negotiationi, idest lucro, & damno, exposita fuit. L. 13. D. *Commodati*, ubi sermo est de animalibus ad experiendum datis, si is, qui ea experienda accepit, sub lucro alteri locet, debere eum non tam animalia, quam lucrum domino præstare hac ratione decernitur, *neque enim ante ea res cuiquam quæstui esse potest, quam periculo ejus sit*, ubi periculum cum dominio conjunctum est. Idem valet in pecunia mutua, ex qua nemini quæstum facere oportet, postquam in mutuatarii dominium, & periculum dilapsa, nec sua mutuanti, nec periculo ejus est.

Con-

§. V.

*Concluditur ratione, & exemplo evidenti, cui ipsi adversarii suffragari coguntur. Tota de usuræ injustitia controversia hac ratione, & exemplo definiri omni ex parte potest.*

Comparatio pecuniæ mutuo acceptæ, & furto sublatæ.

24. SEd ut exemplo, ac ratione plane evidenti, quam ex ipsis etiam adversariis exprimam, totum hoc argumentum concludam, pecuniam mutuo acceptam cum pecunia rapta conferre juvat. Pecunia, quam quis mutuo accepit, non magis fructuosa, & fœcunda dici potest, quam pecunia, quæ a fure subrepta fuit. Utraque igitur in negotiationem, vel camporum emtionem collata a mutuatario, & fure, æque per se sterilis, vel fœcunda haberi debet. Et si quidem ad dijudicandum fructus percipiendi jus aliqua dominii consideratio habenda sit, magis tribuendum est pecuniæ raptæ, cujus dominium in furem non transivit, quam pecuniæ mutuo traditæ, quæ in mutuatarii dominium abiit. Pone igitur furem ex rapta pecunia prædium emisse, vel negotiatum esse, lucrumque ex prædio, vel negotio fecisse: cui, quæso, lucrum hoc vindicandum? Omnes juris naturalis, ac Gentium expositores, inter quos etiam adversarii usurarum patroni recenseri queunt, de restitutione ex furto agentes, hanc constantem regulam figunt, neminem ex furto pecuniæ teneri, nisi de pecunia rapta, & de damnis: de fructibus enim, quos quis ex ea pecunia quacunque via percepit, non teneri consentiunt.

Lucrum ex pecunia sublata a fure perceptum restitui per se non debet ex ipsorum adversariorum concessione.

Vide Pufendorfium l. 1 de Jure Gentium c. 1. §. 11.

Confirmatur ex Romanis legibus.

25. Id Romanis quoque legibus, ac juri maxime congruit. Duæ quidem legum species inveniuntur, quarum aliæ in duplum, vel quadruplum actionem furti constituunt, aliæ vero ad rei sublatæ, ac ejus, quod interest, restitutionem, eandem actionem porrigunt. Sed priores leges ad injuriæ actionem ex furto, ac ad vindicativam justitiam pertinent, quæ crimini pœnam præstituit; secundæ autem restitutionem ex commutativa justitia debitam exhibent, quæ quidem præter dupli, vel quadrupli pœnam sarta tecta servatur L. 54. D. *de Furtis* §. 3. Igitur ex commutativa justitia, de qua solum hic agimus, fur de sola pecuniæ, quam sustulit, & ejus, si quid domini interfuit, restitutionem obligatur; & si quidem nihil domini interfuit, in solam rapti corporis æstimationem tenetur, ut indicat Lex 80. *De Furtis* §. 1. Itaque de eo, quod ipsius furis interfuit rapta pecunia uti, seu de lucro, quod ex eadem pecunia percepit, nihil obligatur. Ita etiam Theologi, & Confessarii omnes, ne uno quidem excepto, si fur ad pœnitentiam accedat, cogent quidem eum ad restitutionem pecuniæ, & damnorum, etiam si nihil lucratus fuerit: ad restitutionem autem ejus, quod aut ex campis ea pecunia emtis, aut ex negotio lucri cepit, nequaquam cogent.

Ex omnium Theologorum, atque Confessariorum consensu.

Ratione statuitur.

Vid. L. 13. § 1. D. Commodati.

26. Ratio autem alia non est, nisi quod hi fructus non pecuniæ raptæ, etsi alienæ, naturales fructus sunt, qui soli sunt restituendi, uti essent fructus, vel animalium quæ quis surripuisset, vel camporum, quos quis occupasset; sed alii sunt naturales fructus prædii, quod licet pecunia furtiva emtum, furtivum tamen non est, ut ex L. 48. D. *de Furtis* §. 7. colligere licet; unde iidem naturales prædii fructus ei debent cedere, qui prædii dominus est: alii autem industriæ, & periculi fructus sunt, inter eos solos dividendi, qui negotiandæ pecuniæ industriam, & periculum subierunt. Non alia quidem ratio eximédi furem a restitutione horum fructuum affertur a Theologis, nec alia ab ipsis adversariis afferri potest. Hinc probatur omnibus quod statuit Sanctus

ctus Thomas 2. 2. q. 78. a. 3., ubi acquisita furto, aut rapina habens ea, quæ quis per usuram acquisivit, quæstione proposita, utrum quidquid ex usura quis lucratus fuerit restituendum sit; cum restituendum agnoscit lucrum ex iis rebus, quæ naturalem fructum pariunt, tum pecuniæ, & aliarum ejusdem generis rerum fructus restituendos negat, quia harum rerum naturales fructus non sunt: *Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, res quadam sunt, quarum usus est ipsa earum rerum consumtio, qua non habent usumfructum secundum Jura. Et ideo si talia fuerint per usuram extorta (puta denarii, triticum, vinum, aut aliquid hujusmodi) non tenetur homo ad restituendum, nisi id, quod accepit: quia id, quod de tali re est acquisitum, non est fructus hujusmodi rei, sed humana industria, nisi forte per detentionem talis rei alter sit damnificatus, amittendo aliquid de bonis suis; tunc enim tenetur ad recompensationem nocumenti. Quadam vero res sunt, quarum usus non est earum consumtio: & talia habent usumfructum; sicut domus, & ager, & alia ejusmodi. Et ideo si quis domum alterius, vel agrum per usuram extorsisset, non solum teneretur restituere domum, vel agrum, sed etiam fructus perceptos; quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus; & ideo ei debentur.* Quod S. Thomas, omnibus probantibus, hoc loco tradit de fructibus rei, quæ rapta est per usuram, æque verum est per omnes de fructibus rei, quocunque alio modo, ac nomine rapta sit: ac propterea fructus pecuniæ raptæ non alia ratione domino, etiamsi illi uti domino maneat, nequaquam debentur, uti deberentur agri rapti fructus, nisi quia fructus pecuniæ fructus naturales non sunt.

27. Si autem hæc naturalis juris ratio valet in pecunia rapta, quidni in mutuo tradita valeat? Num fructus, qui pecuniæ naturales non sunt in pecunia rapta, in mutuo tradita sunt naturales? Si autem nullum hac in parte discrimen est, nec nisi soli naturales fructus domino debentur; cur fructus pecuniæ raptæ adjudicantur furi, mutuatario autem pecuniæ mutuæ fructus non adjudicantur? mutuatario, inquam, cui illud insuper præ fure accedit, quod cum in mutuo traductum sit pecuniæ dominium, non traductum in furto; multo æquius mutuatario, quam furi fructus non naturales pecuniæ comparantur. Si fur campos aliena pecunia emtos suos facit, jureque fructus eorum acquirit, non minus mutuatarius suos facit campos, quos ex pecunia mutuo accepta sibi acquisivit, jureque eorum sibi fructus vindicat. Et similiter si fur alienam pecuniam negotiatus industria, & periculo suo, lucrum facit suum, quippe quod non alienæ pecuniæ, sed industriæ, & periculi proprii fructus est; eodem jure suos facit fructus negotiationis mutuatarius, qui sua quoque industria, suoque periculo mutuam pecuniam negotiationi tradidit. Neque peculiare furis asseras, non teneri eum fructus restituere neque negotiationis, neque camporum, quia concessione, & mandato domini caruit; sic enim invito domino usus pecunia, favorem exinde caperet, unde pœnam potius, & damnum meretur. Quod si contractum mutuantis cum mutuatario opponas, quo cum fur careat, liberatur, nihil proficies: ubi enim de justo, ac naturali fructu, aut solutione per se debita agitur, stipulatio necessaria non est in fure, qui ad omnes naturales fructus, & damna, citra omnem contractum, tenetur ex culpa, ad quæ mutuatarius nisi ex contractu non tenetur. Si ergo fur ad fructus illos reddendos jure naturali non obligatur, illi fructus naturales pecuniæ non sunt; & si in furto non sunt naturales, nec in mutuo erunt; ut

Idem valere ostenditur in pecunia mutuo accepta.

Objectiunculæ rejectæ.

ut nullibi exigi juste possint. Mandatum vero, stipulatio, contractus, si spectent fructus, qui cum naturales pecuniæ non sint, ad aliorum jus pertinent, palam injusti sunt. Opponent hoc loco quidam: Lucrabitur igitur mutuatarius ex campis mea pecunia emtis, vel ex mercibus mea pecunia comparatis, ego autem nihil lucrabor? Id si valeat, & in fure valebit, qui ex prædiis pecunia aliena emtis, vel ex mercibus similiter comparatis lucrum faciat: si vero id in fure non valet, unde ad restitutionem horum fructuum nemo illum coget; nec in mutuatario valere potest. Ratio utroque in casu est eadem, quia hi fructus, nec raptæ, nec mutuo traditæ pecuniæ naturales fructus sunt, sed alterius caussæ, quæ sicut ad pecuniæ dominum non pertinet, ita nec ad eum fructus, & lucrum pertinere debet. Plura de hac objectione libro sequenti cap. 6.

Eadem cōparatio inter furem & mutuatarium instauratur & extenditur.

28. Tandem hæc furis alienæ pecunia utentis comparatio, quacunque ex parte cum mutuatario conferatur, ad usuræ injustitiam undequaque detegendam efficacissima est, si quis eam recte instituat, atque intelligat. Ad id enim, quod in usu pecuniç justum, vel injustum est, illud solum discrimen inter furem, & mutuatarium aliena pecunia utentes intercedit, quod fur, ex culpa obligatus, prçter sortis restitutionem quævis justa prçstare debet, etiam sine contractu, quç mutuatarius sine contractu prçstare non debet, qui non ex culpa, sed ex solo contractu tenetur. Hinc quçcunque justa sunt in fure, non necessario in mutuatario justa sunt; potest enim is non teneri de justo titulo, si in contractum non venit, de quo fur, etiam absque contractu tenetur. At quæ in fure injusta sunt, ita ut ad ea solvenda non nisi injuste obligetur, justa esse nequeunt in mutuatario, ne deterior ejus sit, quam furis conditio. Hçc çquissima, & aperta ratio est, de qua si quis ambigat, ut usurç patrocinetur, is fateatur necesse est, hominem, qui pecuniam in negotiationem, & lucrum quçrat, si eam furto potius, quam mutuo ab illo quçrat, cujus nihil intersit pecunia carere, hac via se liberaturum a solvenda usus pensione, quam in adversariorum sententia juste solvere deberet ex mutuo; & ita ex furto, & crimine beneficium, ac favor expeteretur, quod sane cap. *Si vir, de cognatione spirituali*, & L. 134. D. *de regulis juris*, omni juri repugnat. Idem omnino de omni pecuniæ usu, atque omni usura valet. Quemcunque enim in usum fur pecuniam rapiat, ne eam mutuam sub annua mercede sumere cogatur; si quando ex pecuniæ privatione dominus nihil detrimenti capit, ille ex furto, nullo, sive locationis, sive alterius tituli, nomine tenetur solvere usus pensionem, quam ex mutuo juste solvisset in adversariorum hypothesi: sua ipsi culpa, & fraus, contra notissimam juris regulam, beneficium præstaret. Itaque vel æque in fure justa est hæc usus pensio, si in mutuatario justa habenda sit: vel si in fure non est justa, ut ad eam solvendam juste obligari nequeat, neque in mutuatario justa haberi potest. Ex his ergo æque infœcunda per sese est domino pecunia in manu furis, ac mutuanti in mutuatarii manu; unde pecuniæ sterilitas, quam Patres, & Philosophi ipsi noverunt, plane demonstratur. Exigere autem ex re per se sterili fructum, iniquitas est; hunc enim qui exigit, non proprium pecuniæ, sed alienum fructum exigit.

29. Ex eo autem, quod diximus, solvendum esse a fure, præter sortem, si quid domino interfuit pecunia carere; si nihil autem interfuit, nihil præter sortem exigi ab eo posse, etiamsi aliquid ipsius furis interfuisset aliena pecunia uti; ex hoc, inquam, quod ipso Roma-

De injustitia usuræ concluditur.

no jure confirmante docuimus, redit mirifice illud, quod initio hujus capitis ad usuræ injustitiam probandam attulimus; nimirum præter æstimationem sortis, & ejus, quod mutuantis interest, nihil æstimabile esse in pecunia mutua, quod mutuanti jure repetendum sit: quidquid enim mutuatarii intersit, ad æstimationem, & auctionem pretii non pertinere, ex adversariis ipsis juris naturalis doctoribus, & usurarum patronis vidimus. Ex his itaque omnis usuræ purgatione disjecta, injustitia ejus proditur. Cum enim usura sit quidquid præter sortis, vel ejus, si quod mutuantis interfit, æstimationem exigitur; quodcunque lucrum præter justam hanc æstimationem exactum justum esse non potest. Pretium vero usus, quod ad præferendam aliquam justitiæ speciem locationis nomine prætexitur, quam sit commentitium, & iniquum in mutuo, sive corpus pecuniæ, sive quantitas spectetur, demonstratum arbitror, non solum si usus in consumtionem, & necessitatem, verum etiam si in commutationem, & lucrum allegetur. Fructus enim, si quos mutuatarius capiat, quos sine pecunia mutua non percepisset, non proprios, ac naturales alienæ pecuniæ fructus esse, quorum pars aliqua, tanquam dominica, debeatur mutuanti, quasi pecuniæ domino, sed alterius esse caussæ, quæ mutuantem non tangit, & Romanis legibus, & certissimis exemplis, & evidenti ratione, ex ipsis adversariorum de jure naturali differentium principiis educta, constitutum est. Hæc omnia, si recte considerentur, ac intelligantur, usuram ex ipso naturali jure repugnare justitiæ plane convincent. Ubi enim nullum usus pretium in pecunia, ac mutuo justum est; merces, quæ *pretium*, seu *merces usus* definitur, justa esse non potest.

Sup. c. 4. n. 4 & 7. Confer lib. VI. c. 6. n. 13.

30. Objectiones aliquot, quæ hoc loco a nonnullis forte obtrudentur, ad justitiæ speciem aliquam præferendam, libro sequenti rejicientur.

## CAP. VI.

*Etiamsi usura universim non esset mala jure naturæ, ex ipsis tamen naturalis juris principiis potuit, ac debuit universim prohiberi.*

1. Quanquam ea, quæ de naturali jure, sive ex charitatis, sive ex justitiæ principiis hactenus disserui- mus, explorata sint; non deerunt tamen fortassis aliqui, quibus non æque aperta videbuntur. Plus apud hos vulgaris ratio potest, quam subtilis quævis ratiocinatio, quæ cum longius quæsita judicetur, ei rationi vulgo inculcatæ prævalere non posse creditur, qua ii saltem casus videntur excipiendi, in quibus mutuum sub usura, tam dantibus, quam accipientibus utile, juri naturali, ut inquiunt, contrarium esse non potest. De hac objectione ab utilitate utriusque partis ducta nunc non agemus (in * librum enim sequentem objectiones rejecimus) sed in horum hominum gratiam seposita interim generali usuræ malitia, atque injustitia, illud demonstrandum suscepimus, quod etiamsi usura non esset ita universim mala, & injusta, ut quibusdam in casibus ejus malitiam, ac injustitiam probare non facile sit; non injusta tamen, immo justissima habenda esset divina prohibitio, qua illa universim nulla exceptione interdicitur. Id in abundantiorem divini juris defensionem conferet, quo omnem usuram prohibitam vidimus; cumque hæc defensio ex ipsis naturalis juris principiis constituenda nobis sit, jure huic libro inserta est, ubi de naturali jure disputatio agitur. De divina itaque prohibitione potissimum locuturus, quæ ex

* Vid. cap. 6. lib. VI.

ex catholico certissimo dogmate superius demonstrato in dubium vocari non potest, ut propositum demonstrem, justissimas fuisse caussas ostendam, quibus Deus præsertim omnem usuram, tametsi non omni casu esset injusta, universim tamen prohibere non solum potuit, sed quodammodò etiam debuit.

### §. I.

*Ex sola honestate usura vetari a Deo potuit, sicut & alia non necessario mala eadem de caussa interdicta fuerunt.*

2. DE potestate si quis contenderet, non solum refutaretur ex iis, quæ diximus cap. 1., ubi posse Deum vetare quæ vetita jure naturæ non sunt, & nonnulla etiam ejusmodi in novo quoque Testamento vetasse aliquot exemplis ostensum est; sed satis convinci deberet ex illo naturali principio, quod expressit Grotius lib. 2. de jure belli, & pacis c. 2. §. 10. n. 2. *Deus, qui ita auctor est naturæ, ut & supra naturam agat libere, jus habet nobis leges præscribendi, etiam de his rebus, quæ natura sua liberæ, infinitaque sunt; multoque magis ut debeatur id, quod natura honestum est, etsi non debitum*. Ex hoc principio, quod naturali ratione manifestum est, idem auctor, qui nonnulla circa mores minus recte sensit, etsi cum quibusdam laxioribus Theologis per se a ratione licere putaret honoratiori viro alapam homicidio repellere, si alia via non suppetat; id tamen Christi prohibitione illicitum fatetur, sicut & alia nonnulla, quæ cum honestum certe fuerit vetare, satis id est, ne inficiari, aut interpretari possimus eam divinam legem, quæ in iis edita patet, sufficitque hac nos lege teneri, ut ne de naturali jure prætera disputemus. Idipsum porro dicendum censuit de usura, cujus prohibendæ honestatem in dubium vocare non potuit. Postquam enim de naturali jure circa usuram a ratione ambigendum putavit; divinam tamen legem *sufficere nobis debere* hac ratione prodidit lib. 2. c. 10. §. 20. *Est enim hujus loci materia, si non necessaria, certe honesta naturaliter &c.* Honestum certe id maxime habitum inter ipsas Gentes, quæ idcirco usuram inter inhonestas artes censuerunt, ut cap. 3. latius ostendimus. Charitati præterea id congruum est, ex qua amici amicis, & fratres fratribus gratis mutuum dare etiam inter Romanos solebant. Tandem, ut alia honestatis capita omittam, cum avaritiæ, & cupiditati usura deserviat, ut vel ex ipso Plinio liquet l. 33. Hist. natural. n. 14; ita honestum est ab usura abstinere, uti cupiditati, ac avaritiæ obviam ire plurimum honestatis habet. Christus ergo, qui in nova Lege charitatem perficere, cupiditati autem, & avaritiæ omnium malorum radici maxime resistere potissimum instituit, si de usura vetanda cogitavit, nihil sit mirum.

### §. II.

*Ea in politico regimine prohiberi solent, ac debent, quæ etsi per se mala universim non sunt, plerunque tamen in abusum, scandalum, aut damnum publicum vergunt, si universim non prohibeantur.*

3. SEd potiora erunt, quæ legis hujus non tam honestatem, potestatemque, quam debitum quoddam, ea quoque in hypothesi suadebunt, qua fœnus, & usura non universim per se mala præsumatur, sed solum ex abusu. Esto ita sit, uti nonnullis placet. Quid porro? Nonne in statu etiam politico, præter ea, quæ mala, & injusta sunt jure natu-

naturæ, illa quoque universim prohiberi solent, & debent, quæ etsi non universim sint mala, plerunque tamen mala sunt, & in abusum, scandalum, ac periculum vergunt? Quæ per se non sunt mala, sed potius bona, raros autem abusus suscipiunt, permitti solent, ne rarus eventus malus frequentiorem usum bonum impediat. At quæ per se mala non sunt, ita tamen ut si non prohibeantur universim, frequentiores abusus ferant, prohibenda omnino esse a Legislatore ipsa ratio dictat. Legislator enim cum bono publico debeat providere; publicum autem, quod universos complectitur, non ex paucioribus, sed ex pluribus metiendum fit; in legibus ferendis, non ea, quæ paucioribus, sed ea, quæ plerisque contingunt, spectare debet. Hæc principia adeo naturali lumine nota sunt, ut ex Pomponio, Celso, & Paullo in Digestis inferantur tit. 3. Lib. 1. L. 3. *Jura constitui oportet, ut dicit Theophrastus, in his, quæ* ἐπὶ τὸ πλεῖστον, *idest ut plurimum accidunt, non quæ* ἐκ παραλόγου, *idest ex inopinato*. L. 4. *Ex his forte, quæ uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur*. L. 5. *Nam ad ea debet potius aptari jus, quæ & frequenter, & facile, quam ad ea, quæ perraro eveniunt*. Et L. 6. τὰ γὰρ ἅπαξ ἢ δίς, *idest: quod enim semel, aut bis existit, ut ait Theophrastus*, παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται, *idest, prætereunt Legislatores*. Plures ex his principiis leges justissimæ, & omnino ferendæ habentur in civili republica, quæ res per se non universim illicitas ex frequentioribus abusibus universim prohibuerunt.

4. Idem & divina lege potuisse effici quis neget? Immo non alia ratione generatim vetita a nonnullis creduntur divortium quoad thorum, & plurium uxorum simultanea conjunctio, nisi ob frequentiora mala, quæ exinde sequi solent. Fuerunt etiam auctores, qui simplicem fornicationem per se, si citra abusum, & periculum omne caute fieret, jure naturæ malam non esse putarunt; sicut de homicidio ad impediendam injuriam, vel calumniam alii docuere: at hæc nihilominus, ob pericula abusuum frequentiora, jure universim vetita ultro tradidere. Immo quidam nonnulla, quę naturali jure vetita credenda sunt, non ex eo vetita putant, quod per se semper mala sint, sed quod in faciles abusus declinent; quod abusus periculum cum practice semper immineat, semper ab eo naturali jure prohibenda fuerunt, quod averti id genus pericula jubet. In hoc genere accensent quidam simplicis fornicationis prohibitionem, quam ex solis practicis periculis, & scandalo derivant: ita ut quę speculative, ut ajunt, separatis omnibus scandalo, & periculis, aliquando liceret, practice nunquam liceat, & jure ipso naturæ vetita sit. Si hæc singularia exempla non satisfaciant, id tamen principium in dubium vocari non potest; nimirum quædam per se non universim illicita jure naturæ, ob scandala, & difficilem exitum, seu frequentiores practicos abusus, vetanda fuisse.

## §. III.

*Quot perniciosa mala nascerentur ex usura, si universim prohibita non esset. Primo de scandalo in Christianam Religionem.*

5. Inter ea porro, quæ plures abusus, & scandala secum afferunt, usuram proculdubio accensendam, quanquam in se mala universim non esset, jamdiu ante docuit Innocentius IV. Cum enim nonnulli dubitationem ingererent

de

de naturali jure circa usuram in se, & universim firmetur, ipse omnem dubitationem tollens de medio, ex practicis periculis eam exinde jure a Deo universim vetitam prodidit in Rubrica de usuris: *Nam licet inveniri forte posset casus, ubi jure naturali, quod natura hujusmodi indidit, non esset peccatum usura, tamen propter mala, & pericula, quæ sequerentur, in omni casu prohibita est.* Ne id gratis dictum credatur, tria sunt potiora mala, quæ ex ea doctrina consequerentur, si Christus usuram licitam fecisset; scandalum Religioni perniciosum, frequentissimi abusus contra ipsam legem naturæ, & reipublicæ damnum.

6. De scandalo in Religionem Christianam, cui maxime consultum voluit Paullus 1. Cor. 10. v. 32., ne quis offensioni esset, sive Gentibus, sive Judæis; quæ, rogo, Hebræorum fuisset offensio, si Evangelium, quod perfecisse legem prædicabatur, non destruxisse, Moysis legi cedere hac in parte vidissent? Æcqua isthæc perfectio, dixissent, ut quod ex Moyse inter fratres vetitum est, & cum solis alienigenis permissum, ex Evangelio inter ipsos fratres liceat? Ista ne charitas illa fraterna, quam Evangelium tantopere inculcat, cui ipsa charitas inter Gentes gratuitum mutuum fratribus, & amicis largientes præstaret? Quæ tandem isthæc potest esse Christianorum justitia, si Ezechiel usurarium, & injustum pro eodem habet? Hæc, & similia quanto scandalo, & impedimento apud Judæos forent, nemo non videt. Idem de Mahometanis, & nonnullis aliis Gentibus est, quibus assuetis prohibitioni usuræ ex Alcorano, vel philosophorum suorum placitis, magno esset scandalo videre Evangelium Alcorano, ac philosophorum institutionibus cedere; incredibileque hoc exemplo foret, si quis cum Augustino persuadere niteretur, *non esse honestiorem philosophiam Gentium, quam nostram Christianam, quæ est vera philosophia.* Lib. 4. in Julian., c. 15. n. 74. Quod si usuræ inter Christianos non desunt, ex quibus Christianorum nomen blasphematur inter Judæos, & inter Gentes; deerit ne hæc, quæ in ceteris criminibus præsto est, Christianæ Religionis defensio, usuram quidem admitti a malis, at Evangelium vel per eosdem malos Christianos eam reprobare, & usurarios repellere, quoad, vere pœnitentes, aliam praxim Evangelicæ doctrinæ respondentem amplectantur?

## §. IV.

*Secundo de oppressione pauperum contra legem naturalem.*

7. Sed hæc leviora videbuntur præ abusibus, qui contra ipsam naturalem legem frequentissimi sequerentur, si usura universim non vetaretur. Naturalis lex vel per ipsos adversarios (ut in Præfatione ostendimus) usuram damnat, quæ a pauperibus exprimitur. Immo plures, præsertim recentiorum, eodem jure interdictam etiam concedunt usuram, quæ divites in paupertatem deducit, eum perinde molestum, & charitati inimicum sit pauperem gravare, ac divitem in paupertatem conjicere; Vide Traitè des prets de commerce pag. 13. 14. & 176. nisi hoc sit multo molestius. Quin & eum quoque casum complectuntur, quo prædia, & alia bona possidens, iis in angustiis positus sit, in quibus, nisi pecuniam mutuam inveniat, grave rerum suarum dispendium subiturus est, vilius alienando res suas &c.; cui damno gratuito mutuo, si nihil mutuantis intersit, occurrendum ex charitatis lege probant. Hinc eam solam usuram licere defendunt, quæ ab iis quæritur, qui mutuum in negotiationem, & lucrum petunt: alia enim quævis exacta ex mutuo, quod in neces-

necessitatis subsidium, & meram consumtionem quæsitum sit, ad merum gravamen, & pauperiem inducendam pertinere contendunt, vel certe ad damnum grave ipsorum ditiorum vitandum, ac proinde lucrum esse, quod ex necessitatibus hominum, etsi ditiorum, aucupari non licet: cum præsertim divites, si quando egeant, pauperibus æquiparentur, ut ipse notavit Salmasius de Fœnore Trapez. lib. 3. p. 623., & 626. Legatur pars prima operis inscripti: *Traité des Prets de commerce*.

8. Sed ne quid dubii a quopiam ingeratur, pauperum usura jure naturali certissime interdicta in præsentiarum sufficiet. Si enim hæc sola usura præsumatur jure naturali prohibita, nec lex accedat, quæ omnem universim usuram vetet, nihil frequentius accidet, quam ut usura ab ipsis pauperibus exigatur, quod in ipsam naturalem legem recideret. Ratio manifesta est, quia frequentiores sunt casus pauperum, quam divitum, qui mutuo egent, & plerique in necessitatem, pauciores in lucrum mutuum quærunt. Porro in praxi discernere alterutros non ita facile fuerit, primum ex parte mutuantium, qui sibi in res alienas curiosius inquirendum non putant; vel etiam ut pacatius, & sine scrupulo lucrentur, eam curam, ac solicitudinem refugiunt: *Non est porro mei muneris*, inquit Salmasius de Usuris c. 8. p. 196., *inquirere scrupulosius, an ille, qui mutuum sibi dari petit, ad caussam quæstuosam id expetat, an ad alium usum necessarium*. Et Lib. 3. de Fœnore Trapezitico p. 605. ab ea inquisitione deterret, num dives, an pauper sit, qui mutuum petit. Deinde etiam ex ipsis petentibus mutuum, qui, ne repellantur, pauperes se nunquam fatebuntur, vel ex honestate status etiam verebuntur. Neque deerunt, qui etsi maxime egeant, ditiores se judicari gaudebunt, atque studebunt, ne officio huc solis pauperibus debito indigere videantur, & quasi eleemosynam quærere; ex eo enim, quod mutuum gratuitum, velut eleemosyna solis pauperibus debita, a nonnullis tradatur, eo adducti sunt honestioris conditionis homines, ut pudori sibi ducant, gratis mutuum accipere. Adde quod tituli, qui ab usurarum patronis pro vindicanda usura allegantur, communes sunt omni mutuo, quod sive divitibus, sive pauperibus creditur, ut ex libro sequenti patebit: unde si ex iis usura liceat, non minus ex paupere, quam ex divite licebit. Hinc Salmasius fœnus perinde habens, ac pensionem pro locatione domus, ita fœnus exigi posse ait a paupere, ut pensio pro locatione domus ab eodem exigi potest. Idem etiam l. 3. de Fœnore Trapezitico pag. 635. & sequentibus, quæstione proposita quis vere habendus sit pauper; ea affert, ex quibus casus pauperis, cui gratuitum mutuum dandum sit, non tam ad difficilem cognitionem, quam ad nihilum redigitur: & tantum abest, si ipsi credamus, quod necessitas usuram illicitam efficiat, ut cum *majus sit ex aliqua necessitate exurgere, quam lucrari*, ejus mutui pretium æstimabilius, & justius subindicet pag. 621. In hæc portenta incurrant oportet, qui rationi propriæ indulgentes, usuram per se licitam volunt. Ex his ergo nullus, vel rarus casus erit, quo usura illicita practice habebitur; & ita in praxi pauperes ipsi passim opprimentur, & usura, quam naturale quoque jus prohibet, palam grassabitur. Ut igitur huic naturali juri ex æquo prospiceretur, & frequentes hi resecarentur abusus, non satis fuit usuræ prohibitionem naturalis juris limitibus, quos homines facillime transgrederentur, permittere; sed ne ex naturali jure graventur pauperes, qui in praxi non facile discernuntur a divitibus, usura

Lib. 2. de Fœnore Trapez. p. 437.

Vide etiam l. 1. de Fœnore p. 90.

ra universim, nulla exceptione, interdicenda fuit.

9. Neque dicas haud æquum esse vetare usuram quæ liceat, ut tollatur quæ non licet. Id enim ad summum valeret, ubi alteram ab altera distinguere facile sit. Ubi autem in praxi hoc fit difficillimum; satius multo est tollere quod licet, quam quod non licet permittere, si præsertim id, quod non licet, frequentiori periculo expositum sit. Plus enim publico, idest plurimorum, quam privato, idest pauciorum bono a Legislatore prospiciendum est; & malum impedire magis præstat, quam rem non malam liberam sinere. Ita quidem Legislatores se gerunt in ipsa civili republica, cum de prohibendis malis agitur, quæ sine aliquarum rerum etiam non injustarum, nec malarum vetatione impediri non possunt; nec ii, qui se ab actione alias licita prohibitos vident, de Legislatore conqueri juste queunt: ac propterea ubi arma ob pericula vetantur, nemo, etsi se a periculis tutum credat, posset illa deferre, nec querelas adversus Legislatorem spargere: is enim publicum periculum, & malum privatæ, ut debuit, non malæ facultati antetulit, quæ si libera sineretur, ex plurimorum abusu multa in praxi mala sequerentur. Eadem de caussa Deum recte interdixisse universim polygamiam, & alia quædam, in iis quoque circumstantiis, ubi nihil timendum esset mali, plures tradunt; ut non proinde ii, qui ex peculiaribus sui casus cautionibus nihil periculi metuunt, sese ab ea lege dispensatos credere possint. Nisi hæc universalis prohibitio omnes casus excluderet, omnesque ea prohibitione tenerentur, quisque facile sibi suaderet ex peculiaribus sui casus circumstantiis, atque cautionibus, prohibitionem ad se non pertinere. Idem omnino in usura accideret, si universim non vetaretur: pauperem enim non esse eum, qui petit, quisque fere semper judicaret; & ita naturalis lex in frequentissimas offensiones caderet. Vetanda igitur universim fuit, ut hisce periculis caveretur; & quando universim vetita est, nemo de lege conqueri, nemo suum casum, ac circumstantias, quæ iis periculis certissime careant, excipere potest.

10. Frustra igitur adversarii casus objiciunt iis circumstantiis definitos, in quibus non solum nihil mali, sed bonum potius, ut præferunt, utrinque sequitur. Etiamsi per se hisce in circumstantiis res mala non esset; ex periculis tamen, & abusibus plurimorum adversus ipsam naturalem legem, vetari jure omnis casus potuit, nec privatis ab ejusmodi lege hunc, vel illum casum quacunque cautione circumscriptum subducere licet. Non alia de caussa post prohibitionem polygamiæ nulli exceptioni locus est, etiamsi peculiaris cautio ab omni periculo tutum præstaret. Neque damnum suum ii, quibus omne etiam per se honestum lucrum intercluditur, huic legi objiciant: in damno enim hinc suo, sed mere temporali, hinc pauperum, & naturalis legis, æquius fuit pauperibus, & naturali legi, quam ditioribus in merum temporale bonum consulere; idque tanto æquius in Christo, quam in alio quovis Legislatore civili, quod is externo civili regimini, non autem conscientiæ præfectus, in ferendis legibus nonnulla ipsi naturali legi contraria aliquando permittere potest, ob majus malum vitandum; at ille perfecturus totam legem, unde homines ad cœlestem patriam tute dirigerentur, nihil mali ullo casu permittendum, totiusque naturalis legis observantiam cuique temporali bono præferendam ratus, plura ejusmodi impedimenta, ac pericula præcidenda judicavit. Quod si nonnulli ex ipsis Legislatoribus civilibus, ex frequentibus permissæ u-

ſurę periculis eam nonnunquam interdicendam putarunt in ipſa ſocietate civili, quæ ſolum publicum bonum reipublicæ reſpicit; (ut de legibus Genucia, & Sempronia dictum eſt Cap. 3. §. 3. & pluribus dicetur libro ſeq. c. 1. §. 4.) quanto magis prohibenda fuit a Chriſto in republica Chriſtiana, quæ præter bonum civile, divinæ legis bonum potiſſimum ſpectat?

11. Salmaſius in Lib. de Uſuris c. 20. conſiderans periculum oppreſſionis pauperum, ſi uſura univerſim non interdicatur, ut hæc in pauperum gratiam a Deo Hebręis ex *naturalis juris* (quemadmodum loquitur) *æquitate* vetaretur (1) univerſim, nulla divitum exceptione fuiſſe interdicendam fatetur pag. 611. *Ab omnibus ſane accipi uſuram fuit vetandum, ut tanto magis ab indigente non acciperetur. Si enim a ſolo indigente eam peti lex prohibuiſſet, ſemper ea difficultas occurriſſet, quis indigens eſſet intelligendus? Avaritia fœneratorum neminem facile paſſa eſſet eo nomine cenſeri: quo uſuras ſibi deberi ab omnibus facilius prætenderet. Nemo certe indigens viſus fuiſſet ei, qui pecuniam dediſſet mutuam, ut uſuras liceret exigere.* Si eadem *naturalis juris æquitas* pro pauperibus in Evangelio manet, ex pari periculo par generale interdictum a Chriſto ferendum, ſeu verius confirmandum fuit. In hunc eundem finem res non ad ſolos charitatis, ſed ad juſtitiæ etiam terminos redigenda. Quæ enim ex neceſſitate contra charitatem ſunt, non ſolum in divitibus omni neceſſitate carentibus locum habere non poſſunt, verum etiam in pauperibus facillime prætermittuntur, ut in multis charitatis præceptis accidit; unde etſi Chriſtus Matth. 25. v. 38. grave hoſpitalitatis præceptum erga pauperes hoſpites iis verbis urgeat: *Hoſpes eram, & non collegiſtis me*, vix tamen eſt ullus, qui in eo ſibi ſcrupulum ullo caſu faciat, penſionemque domus etiam a miſerrimis, ac impotentibus duriter non exigat, aut gratis ſibi haudquaquam locandum arbitretur. Idem accideret in mutuo, ſi per ſe juſte cum uſura in locationis ſpeciem tradi poſſe crederetur. Hinc quidem Salmaſium opponentem memoravimus, æque pauperi locari poſſe pecuniam, ac domum. Solius charitatis mandatum, cum ex certis conditionibus pendeat, faciles exceptiones ſuſcipere poteſt: at ubi ex juſtitia aliquid vetitum ſit, quę ęque divitem, ac pauperem reſpiciens, nullas conditiones ferat; etſi qui Deum, ac divinam legem nihili faciunt, ſed cupiditati magis, ac avaritiæ ſtudent, hæc quoque præcepta præterire, & eludere inanibus commentis poſſint; qui tamen & Deum, & divinam legem cuique cupiditati præferunt, rem ipſam univerſim vetitam intelligentes, non ita facilibus in praxi deceptionibus obnoxii erunt; & ita hac via divinæ naturali legi facilius proſpicietur. Sup. n. 8.

12. Quanquam ergo uſura contra naturalem legem univerſim non eſſet; ex iis tamen frequentiſſimis abuſibus, quibus ea naturali juri permiſſa, contra ipſam naturalem legem uſurpata paſſim fuiſſet, jure vetari a Deo univerſim potuit; & ad juſtitiæ etiam terminos revocari: idque ex *naturalis* quoque *juris æquitate faciendum*, cum hac in re ex certo dogmate factum liqueat, nihil eſt, cur de aliis rebus, in quibus eodem forte jure idem effici pote-

(1) Id ipſum teſtatur etiam Gerardus Noodt l. 1. de Fœnore c. 10. p. 195. *Etſi pauperum meminit* Exodi 22. §. 25., *tamen generaliter loquitur* Deut. c. 23. §. 19., *quia omnibus prohibendum erat, quo non debebant premi pauperes, tam obſcura diſtinctione pauperis, & divitis.*

poterat, & factum tamen non est, quæstionem, aut difficultatem moveas, nisi illud colligere placeat, in sola usura id factum, quia usura reapte non libera, sed per se mala, & injusta est.

§. V.

*Tertio de malis in ipsam civilem rempublicam.*

13. SI usuræ permissionem, quam & religioni, & pauperibus perniciosam hactenus vidimus, publicæ quoque rei, statuique politico infestam addamus; mirum, & incredibile illis videbitur, qui nihil ea re utilius, ac magis necessarium reipublicæ prædicant. Sed de prætensa usuræ necessitate fusius cognituri libro sequenti cap. 1., publicam, ac veram ejus perniciem hoc loco facile est aperire. Qui publicum reipublicæ bonum ex usura deprædicant, vel in solis fœneratoribus, quibus usura unice prodest, ipsam rempublicam statuunt; vel mutuum ab usura nequaquam distinguentes, usuræ tribuunt, quod soli mutuo vertendum est; cum e contrario usuræ, qua gravantur homines, non autem juvantur, nonnisi malum, & damnum tribui possit. Hinc Nicolaus Cabasillas, quantumvis Schismaticus, objicientibus mutuatariis etiam pauperis utilitatem ex fœnore, respondit: *Certe quatenus commodasti, non quatenus eum fraudasti, profuisti: nec accusaris a nobis, quod das mutuum, neque quod sortem repetis, sed quod insuper usuram exigis. Hoc non profligat paupertatem, sed inducit, nec aliquid tuorum in pauperem confert, sed ejus rebus manus tuas implet.* Usuram quidem *Neschech*, idest *morsum* in veteri Testamento dictam observavit Salmasius *ex parte debitoris, quia veluti quodam morsu deterat, atque oblimet ejus facultates*, quod sane damnum est; nec *Tarbith*, idest, *accessio*, & incrementum, vel lucrum appellata, nisi *quantum ad creditorem, quia ad sortem ei accedit, & opes ejus amplificat.* Cum autem plures longe sint debitores, qui egentes eo morsu deteruntur, quam creditores, qui abundant, & usura augentur; publica autem res e pluribus, non autem e paucioribus nuncupanda sit; usuram *publicæ rei morsum*, & idcirco damnosam publico agnoscere licet. Sed peculiaria de singulis, qui usuras solvunt.

*Æquivocatio adversariorum.*

*Tom. 26. Bibl. Patrū pag. 170.*

*C. 7. de Usur. pag. 181.*

14. Et primo quæ de frequentissimis abusibus in pauperes superiori paragrapho diximus, cum eorum oppressionem respiciant, qui plures in republica sunt, nonne ad publicum malum pertinent? Gaudent illi quidem initio de mutuo, quo necessitati providetur, & eorum, qui provident, beneficium commendant: & eatenus fœneratores (1) indigentibus utiles affirmari potuerunt. Quando vero sortis cum fœnore restituendæ tempus accedit, tum maleficium miseri, & dam-

*De malo in pauperes ex usura.*

(1) Justinianus Novel. 136. c. 4. hanc publicæ rei utilitatem fœneratoribus tribuit, quod per mutuum *omnibus propemodum indigentibus opem ferre parati sunt.* Hinc etiam Sextus Cæcilius Jurisconsultus apud A. Gellium l. 20. c. 1. mutuum *temporariæ inopiæ subsidium* appellavit; & Cloatius Verus l. 4. *verborum a Græcis tractorum* ex Hypsicrate de fœneratoribus ait: *Id genus hominum speciem ostentant humanitatis, & commodi esse videntur inopibus nummos desiderantibus*; ut videre est apud eundem Gellium l. 16. c. 12. Adeo plerique ex iis, qui mutuum petebant, inopes fuere. *Ostentant* vero *& videri*, ait, quia beneficium ex mutuo præfertur, quod ex usura maleficium est.

damnum agnoscunt, ac deflent; ut SS. Basilius, & Gregorius Nyssenus in Homiliis contra usurarios, aliique Patres observarunt: unde vulgatum proverbium refert Salmasius c. 18. pag. 531. de Usuris, *in accipiendo mutuo homines amicos existere, in reddendo inimicos: invisaque fœneratio illis, ut scribit Columella, quibus succurrere videtur.*

De prætenso usurarii contractus beneficio.

15. Frustra igitur memoratus Salmasius l. 3. de Fœnore Trapezit. pag. 586., utilitatis testimonium ex ipsis pauperibus inculcans, *Credamus*, inquit, *potius pauperibus de utilitate, quam ex fœneratore percipiunt, quam iis, quibus ad eum recurrere ...... nunquam necesse sit*: id enim ad mutui beneficium pertinet, non ad usuram, in qua nihil utilitatis, nihil beneficii est, sed merum damnum, ac maleficium. Velim Salmasius revocaret in mentem quod lib. 2. scripserat p. 235., ubi contractum quendam iniquissimæ venditionis, qua quis ex necessitate, vel cupiditate emtoris augendi supra modum pretii occasionem sumsit, iniquitatis condemnat, licet ii, qui *emebant, etiam beneficium se accepisse testarentur, & gratiam haberent*. Potior est pauperum ratio, quos potior necessitas ad mutuum sub usura sumendum compellit. Optime S. Joannes Chrysostomus Hom. 56. al 57. in Matth. *Noli mihi dicere, quæso, quia gaudet, & gratiam habet, quod sibi fœnore pecuniam collocet; id enim crudelitate tua coactus fecit. Nam ut Abraham cum uxorem barbaris traderet, ipse modum invenit, quo facilius susciperetur, non libenter autem, sed metu Pharaonis impulsus; sic & pauper, postquam & ea re tu dignum non putas,* (nisi usuram solvat) *cogitur crudelitati gratias agere.* Quod si beneficii loco collocandum est, prædonis, ac grassatoris est beneficium, qui viatori nonnisi per solutionem pecuniæ vitam concedit. At de pauperibus satis.

De usuræ malo in honestiores familias.

16. Quid dicam de honestioribus familiis, quæ fortunæ bonis, ac prædiis paratæ, ditiores habentur? Quot ex his in necessitatem aliquam pecunia indigentes, ne bona, aut prædium aliquod distraherent, ad mutuum confugerunt; qui postea currente sensim usura, in hanc simul cum sorte solvendam, duplum, vel triplum distrahere coacti sunt, & viliori sæpe pretio, quam si quid initio alienassent? Adde quod ex facilitate mutui, ex quo, dum petitur, commodum, non autem futurum detrimentum cogitatur, multi in voluptuosos, ac splendidos sumtus alliciuntur, a quibus alias abstinerent; unde postea in rerum suarum perniciem miserrime incidunt. Non alia de caussa prædia quotidie veneunt, partim sub hasta, partim ex contractu; & plures olim honestæ familiæ ad paupertatem dilapsæ sunt. Hujusmodi casus suo quoque ævo frequentes laudati Patres commemorant, & S. Ambrosius in libro de Tobia plura affert, quibus idipsum semper evenisse probatur. Hinc etiam Plutarchi opusculum *De non contrahendo are alieno*, non in pauperum, qui mutuum, & fidem, ut ille notavit, non inveniunt, sed in ditiorum hominum gratiam lucubravit, ut ex frequentissimis usuræ damnis eosdem a mutuo deterreret. Eadem legere est apud S. Basilium, & Damascenum, qui propterea satius esse monent necessitatem pati, vel in necessitatis, si urgeat, subsidium aliquid vendere, quam alienum æs sub fœnore accipere, unde plura deinceps damna redeunt. Non negant quosdam hac via rebus suis consuluisse, at *plures* maxima passos ad inopiam decidisse testantur. Adeo contra experientiam pugnet necesse est, qui usuram ditioribus mutuum in necessitate sumentibus perniciosam inficiari audeat.

17. Neque vero ad fœnus purgandum mutuatariorum imprudentiam,

tiam, aut malam sortem cum Salmasio accuses. Quantumcunque enim imprudentia, aut mala fors in hanc ruinam a fœnore illatam conspiret, potissima tamen hujus ruinæ caussa fœnus est, sine quo tanta pernicies nulla imprudentia, vel fato malo proveniret; unde antiqui omnes id malum fœnori dederunt. Certe si de alienatione, aut venditione, a qua homines magis abhorrent, actum fuisset; ipsum alienationis, aut venditionis nomen imprudentiam repressisset, quam usura contractu facilior nequaquam cohibet: mala autem sors si ad præsentem alienationem, vel venditionem in necessitate compellat, minorem, quæ meræ necessitati medeatur, jacturam affert, nec usuræ, quæ cetera devoret, aditus patefiet, quod majus, & frequentius sæpe malum honestis familiis parere solet.

De usuræ malis in negotiationē & commercium.

18. De solis mercatoribus, qui negotiationis, & lucri caussa alienum æs contrahunt, dubitari potest, num his pariter usura, detrimento sit. At primo si usura, & pauperibus, & aliis honestioribus familiis, quæ in necessitate mutuo indigent, perniciei est; quis ex solis mercatoribus, parte Reipublicæ minima, bonum publicum derivet? Certe hoc minimum, & rarius, si quod esset, mercatorum bonum, nullus Legislator frequentiori ceterorum quamplurium malo præferet, ut ex eo publicum malum negandum existimet. Quid porro, si usuram, mercatoribus etiam, & commercio plurimum exitii afferre demonstrem? Quot negotiatores ære alieno gravati, suum in usuras solvendas consumsere? Multi quidem casus in negotiationem incidere possunt, ex quibus hæc damna proveniant. At frequentius id evenit ex alieno ære, quod cum usura restituendum est. Usura enim cum supra æs alienum mutuo acceptum sit omnino solvenda, sive negotium bene cedat, sive male: satis est non bene cedere, ut ex proprio ære solvenda, æs proprium cum alieno corrodat. Nihil porro negotiationi, & commercio perniciosius accidere potest, quam decoctiones, & cessiones bonorum. Hoc enim malum non illis solis, qui bonis cedunt, perniciem affert, sed aliis pluribus, qui ejusdem damni participes sunt. Harum autem decoctionum caussa frequentior æs alienum est, quod sane qui decoquunt, restituere non possunt. In hanc autem conditionem antequam veniant, jacturam fecisse præsumendi sunt æris proprii, quod sæpius in usurarum solutionem consumserint. Quod si hæ decoctiones maximum mercaturæ malum sunt; usuram, quæ harum decoctionum frequentior caussa, & origo est, maximam mercaturæ perniciem afferre negari non potest. Majus profecto ex ejusmodi decoctionibus, quæ ex usura prodeunt, damnum in negotiationem redit, quam ex lucro, quod aliis nonnullis ex fœneratitio mutuo paritur; unde in Batavia (1) a celebri viro negotiationis, & commercii peritissimo nuperrime dictum proditur, ad decoctiones magna ex parte tollendas, usuram tolli oportere.

Vide Jacobi Savary *Le parfait negotiant* l. 1. c. 3. & l. 3. c. 4. Tom. 1.

19. Dices fortassis, non semper hæc mala extrema ex usura manare. Esto. At ad prohibendum jure aliquid ex malis, quæ inde pro-



(1) Lettre Theolog. 17. contre la Traité des prêts de commerce n. 18. hæc habentur. *J' ai appris de feu M. Barchmanes qu' un de premiers hommes de l' état s' entretenant avec lui sur ce qui faisoit des lors le sujet de la contestation, lui dit, qu' on rendroit un grand service a la Republique, si on prendroit a derrier les contracts usuraires; & que si on les abolisoit, on ne verroit point tant de languerottes.*

proficiscuntur, haud opus est ea semper contingere, sed sufficit, ut identidem eveniant. Quod si aliorum mercatorum lucrum obtrudatur, præterquamquod hoc lucrum non redit ex usura, quam solvunt, sed ex pecunia mutua, quam sine usura aliis justis contractibus æque potuissent negotiari, ut mox dicam: si hujus lucri, & damnorum rationes accurate ineantur, & subducantur; haud dubito, quin publicæ rei longe majora sint damna, quam lucra. Cum enim lucra illorum tantum sint, qui præter usuram solvendam aliquid ex mutuo lucrantur; id sane pauciorum est præ illis, qui non tantum lucrati, jacturam potius faciunt, sibique lucro deputare solent, non majorem jacturam, ac damnum mutuo opitulante fecisse: quibus autem hoc tantum lucrum contingit, si peculiari ipsorum negotiatorum industriæ, ac sorti non sit adjudicandum, quæ a mutuo nihil pendent, non sine enormi (1), ac gravi fere mercium pretio id obtinebunt, ut & usuram solvant, & sibi lucrum præterea supersit; quod in publicum sine carius ementium damnum recidit. Itaque si hoc, vel illud pauciorum lucrum cum plurimorum damnis conferatur, certiora, & plura invenientur fœneratitii mutui damna, quam lucra, ita ut mercatoriæ, ac publicæ rei fœneratitia nundinatio perniciosa sit.

Quanto florentius esset commercium sine usura.

20. Neque negotia florentia exaggeres, ubi usura permittitur: nam æque, vel etiam magis florere posse reponam, si vetetur, certe autem minori cum damno. Si enim pecuniam fœnore exercere non liceat, qui lucrum appetunt, vel aliis viis justarum societatum pecuniam in negotiationem conferent, quod negotiatoribus damno non erit, & plerasque decoctiones impediet; vel ipsi per se negotiationi vacabunt, quod ex collata plurium alias otiosorum opera, atque industria, maximum publicæ rei, & commercio beneficium, atque augmentum præstabit. Sed plura de his dicenda erunt Libro sequenti c. 1. §. 3., ubi objectio ex usuræ necessitate ducta, fusius rejicietur.

Epilogus de usuræ malis, ex quibus universim vetanda fuit.

21. Ex dictis autem satis demonstratum arbitror, quanto ea potius sit damno pauperibus, ditioribus, atque ipsi commercio. Quæ damna si simul considerentur, nulla aliquorum utilitas præstare tot damnis poterit; ut usura per se ipsi Reipublicæ perniciosa absolute dicenda sit. Ii ergo, qui gloriosos usuræ effectus exaggerantes, eandem Reipublicæ perutilem prædicant, & sibi, & publico fucum faciunt. Rationes non privatas aliquorum, sed publicas omnium, vel plurium melius ineant; &. si nullo prejudicio impediantur, sententiam mutabunt.

Præsertim a Deo.

22. Quid si cum temporali Reipublicæ damno spirituale Religionis, ac naturalis legis damnum copuletur? Si solum consideretur temporale malum, quod usuræ vetatione impeditur, nonnulla e contrario detrimenta, quæ non ex usura quidem vetita, sed ex mutuo, quod, usura vetita, ob fœnerantium duritiem negaretur, derivarent, adeo gravia quibusdam videri possunt, ut ad hæc impedienda usuræ malum permittendum judicent; qua quidem de caussa damnandi non sunt civiles Legislatores, qui civili societati, ac civili bono procurando prefecti, usuram nequaquam vetandam putarunt. At si cum temporali spirituale præcipue bonum cogitetur, cui quidem prospicere divinus Legislator

(1) S. Ambrosius c. 14. de Tobia n. 40. hanc gravem pretii auctionem fraudi deputans ait: *Inde ille fraudem facit in mercium pretia, unde sibi usuram solvat* ( adde ) *& sibi præterea lucretur.*

lator potissimum voluit, usura, etiamsi per se non esset universim mala, ex tam multis tamen, & temporalibus, & spiritualibus, quæ inde consequuntur damnis, aliis solis temporalibus damnis neglectis, omnino, ac universim vetanda judicari potest, ac debet. Hinc ergo justa, ac Deo digna lex illa habenda est, quę omnem usuram interdixit. Hanc improbare possunt soli fœneratores, & qui cupiditati, & avaritiæ fœneratorum favent; vel ii ad summum, qui solum temporale nonnullorum damnum ex fœneratorum duritie profluens, mente prospectant. Quod si hæc sola hominum damna ex malitia proficiscentia considerandа sint, plures aliæ divinæ leges reprehensioni subjicientur. Ultionem, atque injuriarum vindicationem vetare durum, & injustum videbitur iis, qui injuriarum detrimenta patiuntur, nec facilem earum restaurationem vident; perversorumque hominum audaciam inde foveri, aditumque aperiri plurimis injuriis, si eas hac via reprimere non permittatur, dictitabunt. Idem erit de mendacii, ac perjurii prohibitione, si, ne ad gravissima quidem mala impedienda, iis uti liceat. Quis tamen vere Christianus, mentem ad Deum, ac spiritualia erigens, hæc non contemnat, divinamque in eo legem non maxime probet? Quidni idipsum in usura sentiamus, & tanto in hac ęquius, quod vetatione usuræ non soli spirituali, sed & temporali bono etiam publico prospectum est? P. Thierry de Viaixnes in ea ipsa fusiori epistola, in qua pro usura maxime dimicat, difficiles usuræ, ut putat, licitæ conditiones fassus. *Je tombe même d'accord*, inquit n. 9., *qu' il est bien difficile de remplir tous ces devoirs essentiels, & que par consequent ce commerce est bien dangereux pour quantité de particuliers*. Quod si ob hæc pericula usuram universim Clericis ab Ecclesia jure vetitam fatetur, num si eadem de caussa Deus illam prohibuit omnibus, injuria factum dicetur?

Ob fœneratorum duritiem, ac mala temporalia exinde proficiscentia usura permittenda non fuit a Deo.

13. Hæc in ea hypothesi, quod usura per se universim mala non sit. Quid si & charitati, & justitiæ inimica ex ipso naturali jure credatur? Illi ergo, qui pro usura vindicanda tantopere desudant, videant, quæso, quò tandem eorum nisus vergant. Deum prohibuisse usuram omnem ex certo dogmate certum demonstratum est. Audax nimium, petulans, & impudens esset quærere, cur illam universim prohibuerit. Satis esse deberet certa ipsius Dei prohibentis voluntas, ut ęqua de caussa eam vetitam credamus. Sed cum non agatur de re mysterii plena, respondemus prohibuisse, quia contra charitatem est, quia justitiæ adversatur, &, si hoc non plane persuaderi queat, quia libera ejus permissio obnoxia esset pluribus certissimis damnis contra Religionem, contra ipsum naturale jus, & contra Rempublicam, seu, ut Innocentii VI. verbis utar, *quia si liceret eam accipere, omnia, vel plura mala inde sequerentur*. Quid igitur restat, nisi ut hanc divinam justissimam legem veriti, ad sanius consilium adversarii redeant, & ab eo impio labore, quo pro usura hactenus dimicarunt, tandem aliquando cessantes, ei saltem legi parere populos doceant. Nisi hęc quibusdam sufficiant, cum his non ampliori disputatione, sed lacrymis opus erit. Ceterum hypothesis, quam hoc capite posuimus, naturali juri, quod superioribus capitibus videmur demonstrasse, apud intelligentes argumentorum vim nihil præjudicij affert. Sed hic forte objectiones aliquot vulgares quempiam adhuc ita movebunt, ut quanquam eas divinæ legi prævalere non posse intelligat, ni tamen expresse dissolvantur, plenam de naturali jure persuasionem impeditam sentiat. De his libro sequenti.

Hh 2 LIBER

# LIBER SEXTUS.

## *Objectiones contra naturale jus refelluntur.*

### CAP. I.

*Objectio ex necessitate privata, ac publica, & de remediis succurrendi necessitati citra usuram.*

1. DUo objectionum genera pro usura purganda ab adversariis afferuntur. Alia communia sunt omni mutuo, quæ si quid probent, nimis probant; probant enim licere in omni mutuo usuram, etiam a pauperibus, exigere, & quædam insuper probant a pauperibus maxime licere; quod sane iniquissimum est, & naturali quoque jure illicitum ab ipsis adversariis conceditur. Alia vero peculiaria sunt ejus mutui, quod mutuatario commodum, & lucrum affert, eaque probabiliora videri queunt. De singulis hoc libro cognoscendum.

### § I.

*Diluitur objectio invicta ratione, cui ipsi adversarii suffragantur. Agitur præsertim de necessitatibus pauperum.*

2. PRima, quæ a multis, etiam vulgo, maximo nisu inculcatur, necessitas est & privata, & publica, quæ usuram omnino exigit: nulla autem lege prohibendum quod necessarium est. Vetus hæc objectio, unde apud Augustinum in Psal. 54. n. 14. fœnus jactabatur *corpus necessarium civitati*. Quæ objectio si quidem valeat ad usuræ vitium purgandum, ibi maxime valeret, ubi maxima necessitas est; ac proinde usura a pauperrimis, qui maxima necessitate premuntur, exacta, esset maxime licita: quod horrendum dictu est. Patet autem manifesta hallucinatio. Necessitati enim, sive privatæ, sive publicæ, non fœnus, quod gravat potius, quam adjuvat, sed mutuum subvenit; eique proinde satis est, si mutuum dare liceat, etiamsi usura non liceat.

3. Atqui plures sine usura mutuum non dabunt. Hoc, ut Lib. II. c. 5. vidimus, totum Salmasii argumentum est, sed indignum plane, quod a Christiano, & docto viro afferatur, uti ibidem pluribus ostendi. Hac certe ratione cum homines, præsertim pauperibus, sine maxima usura fere mutuum dare nolint; hæc usura præcipue licere dicenda esset; idque eo magis de hac usura dicendum, quod sola pauperum necessitas (1) vera necessitas est, non autem aliæ aliorum necessitates, quæ vel necessitates proprie dictæ non sunt, vel aliis mediis inferius indicandis opem suscipiunt, ut ne mutuum cum usura necessarium sit. Saltem

(1) Notanda hoc loco Salmasii verba de Fœnore Trapez. p. 508. *Quis mutuatitia indiget pecunia, nisi pauper? Si dives aliquis mutuum expetat, aut ad luxum quærit, ut nepotes; aut ad lucrum, ut mercatores. Hoc superfluum, illud etiam vitiosum. At qui quærit ad necessitatem suam, atque ut inopia, qua laborat, medeatur, ut egenus, & inops eam sibi opem petit.*

tem si necessitatis ratio nihil probat in pauperum casibus, qui maximam necessitatem habent, multo minus probabit in casibus ceteris, qui tantam necessitatem non capiunt. Ratio est manifesta, quam non solum SS. Patres pluribus in locis, sed ipsi etiam adversarii ex ipso naturali jure noverunt: *Neque enim*, inquit inter ceteros Hugo Grotius Epist. 953. ad Salmasium agens de usura, *in lucrum arripere debeo alienam necessitatem*. Hinc si quis ex necessitate petentium justum augeat rerum pretium, maximae iniquitatis damnatur ab omnibus, quippe qui inde lucrum quaesierit, unde liberalius opitulari oportebat. Quod si ex sola necessitate petentium augere non licet pretium, quod alias justum est; nec licebit ex ea sola lucrum quaerere, quod aliunde non licet. Si ergo usurae lucrum aliunde justum non probetur, ut probatum hactenus non est; ex sola necessitate non justum, sed potius iniquum probabitur; adeo perperam haec necessitas ad usuram per sese vindicandam objicitur.

4. Cum necessitas haec, quaecunque sit, mutuum, non usuram requirat; sola hominum cupiditas, atque avaritia usurę necessitatem inducit. Et si quidem usura ex hac necessitate licita dicenda sit, quia cupidi homines aliter mutuum dare nolunt; ex voluntaria cupidorum hominum necessitate dicendum esset licere, quod ex pauperum necessitate non licet. Quod si pauperum miseret, qui in maximis necessitatibus sine usura mutuum non invenient; perverso nimis ordine, ut prospiciatur pauperibus, pecuniosorum avaritiae, & usurae favetur. In ejusmodi necessitatum angustiis, pauperes quidem licite posse usuras solvere, ubi mutuum alia conditione non inveniant, jure defenditur: id enim eorum necessitati sublevandae necessarium est; at pecuniosis, & avaris, qui sine usura succurrere necessitati nolunt, affirmare licitum ex necessitate lucrum quaerere, quod uni cupiditati, ac malitiae favens improbandum maxime est, nemo unquam defenderit, nisi ille, qui probare simul auferit, licere grassatori pecuniam a viatore exigere, si alias vitam concedere nolit.

5. Neque metuendum est, ne, si usura non liceat, homines bene nummati legis observantia pauperes deserant, quod usuram nolint. Utinam pecuniosi vere essent ejusmodi, qui divinam legem sincere vererentur; tunc enim non solum ab usura abstinerent, quod lex prohibet, verum etiam indigentibus gratis darent mutuum, quod eadem lex jubet; & ita nihil esset de pauperibus metuendum. At frustra haec nobis pollicemur in hoc mundo, qui in maligno positus est. Semper foeneratores fuerunt complures, nec facile inventus est, qui lege usuram vetante ob inopiam perierit. Si adversarii magnum beneficium praestare indigentibus volunt, prae abolenda usurae prohibitione, gratuiti mutui praeceptum inculcent. Qui enim prohibitionem usurae abolere, aut elevare student, etsi pauperes excipiant, pecuniosis tamen hunc fucum faciunt, ut in praxi neminem discernentes, usuram etiam a pauperibus exigant, uti pluribus ostendi superiori Libro c. 6. §. 3. Si vero usuram vetitam praeferentes, mutuum saltem in necessitate praeceptum ostenderent, plures saltem pientiores, stimulis conscientiae acti, necessitati succurrent, quod in hac defensione usurae rarissimum fuerit. Illud unum necessitati remedium adhibuerunt SS. Patres in Orationibus contra usurarios, in quibus perpetuo reprehendentes usuram, quae praesertim a pauperum necessitate quaestum aucupatur, mutui praeceptum, & ampliorem etiam ejusmodi mutui apud Deum collocati usuram extulerunt. Quod si quidam nihilominus miserrimos pauperes in ne-

necessitatibus negligent; hi erunt profecto ex malorum hominum numero, qui sicut præceptum mutui nihil facient, ita nec usuræ prohibitionem multum verebuntur. Itaque sive ab his cum usura, sive absque usura ab illis opportunum mutuum pauperum necessitati præstabitur: ut ne opus sit usuram ex ipsa necessitate defendere, ex qua præsertim usuram exprimere illicitum est.

6. Hic interim cogita, quò vergat illa nonnullorum inconsulta pietas, qua miserrimorum hominum necessitatibus commoti, ne hi sine mutuo deserantur, usuram licere prædicant, & qui secus prædicant pietate carere criminantur. Utinam pluribus ejusmodi pietas non placeret; quæ tamen recte cogitantibus cum secundum scientiam non sit, vera pietas non est; immo dum certam legem lucrum ex necessitate quæsitum vetantem destruere nititur, est potius impietas.

## §. II.

*De necessitatibus hominum ditiorum. Quatenus iisdem sine usura vel aliis justis contractibus succurri possit.*

7. HActenus dicta de pauperum necessitatibus vera esse concedentur, quibus ab iis, qui possunt, ex præcepto succurrendum est, sicut eleemosyna, ita & gratuito mutuo; quod eleemosynæ, seu doni speciem Patres appellarunt. At num de ditioribus, vel mercatoribus, qui identidem egent, & non minima, sed magna sæpe quantitate egent, idem dicendum est? Quænam lex hujusmodi hominibus, qui mutuantibus sæpe divitiis præstant, tantam summam gratis mutuandam præcipit? Si autem nulla id lex jubeat, mutuum nemo his dabit tuta conscientia; & sic ex incidentibus necessitatibus magna damna in familias alioquin ditissimas redibunt, magna in mercatores, atque commercium, quod sine hoc mutuantium præsidio florere non poterit, ut in illis urbibus patet, quæ mutuantes valde pecuniosos non habent. Hæc speciosior necessitatis objectio, quam hodie plures ingerunt, urgent, exaggerant.

8. At primo si hæc ditiorum, ac mercatorum necessitas per se afferatur, ut licitum probetur, quod alias licitum probari nequit, inepta est; quemadmodum major necessitas pauperum ad id probandum est omnino inepta. Neque refert, quod in pauperum necessitatibus mutui præceptum sit; ubi enim vera sit etiam ditiorum, aut mercatorum necessitas, cui alias nisi per mutuum succurri nequeat; idem mutui præceptum eos, qui possint, potest obligare ex ea charitate, quæ proximo in necessitate opitulandum præcipiens, non magis pauperes, quam divites proximi loco habet, nec divitum necessitates a necessitatum numero excludit. Hinc in vera necessitate, quoad mutuum, dives a paupere nihil discrepat, ut notavit etiam Salmasius L. 3. de Fœnore Trapez. p. 626., & pejor quandoque est ejus conditio, cum gravior esse soleat vera plurium egestas in divite, quam pauciorum in paupere, & acerbior dolor commodiorum, qui insuetam jacturam, aut excidium subeant, quam pauperiorum, qui aliquo consueto periculo jactantur. Non definio, quæ necessitates in ditioribus ejusmodi sint; at ubi sint, præceptum succurrendi mutuo si quis neget, is ab adversariis ipsis reprehendetur. Vide Traité des prets de Commerce p. 54. & 176. Certe in Levitico c. 25. v. 35. jubemur mutuum dare ei, qui *attenuatus fuerit*, idest (ut ex v. 25. explicare licet) qui ex incidente necessitate aliqua bona divendere, & attenuari opibus cœpit: ac S. Augustinus Serm. 239. n. 5. de mu-

mutuo loquens, quod quispiam, ne possessionem, vel domum divenderet, obtinuerat; a mutuante petit, ne cum eodem damno mutui restitutionem exigat, & præceptum Dei in hoc habere locum præfert: *Quando a te petivit* ( mutuum ) *ideo petivit, ne venderet; propter te non faciat, qui subvenisti, ne fieret. Hoc fiat ita circa homines: hoc jubet Deus; hoc vult Deus.* Quam in rem ex Levitico argumentans unus ex usurarum patronis Gerardus Noodt L. 1. de Fœnore c. 10. p. 195. ait: *Lex, quem* pauperem *dixit Exodi* 22. §. 25., *eum Levitici* c. 25. §. 35. *appellat* attenuatum facultatibus, *atque ejus* vacillantem manum confirmari *jubet: nec eo verbo mendicum intelligit, aut similem, cui perpetua egestate laboranti non mutuum datur* ( *frustra enim crederetur pecunia nihil habenti* ) *sed eleemosyna datur; verum omnes intelligit, qui ob temporariam inopiam, qua est communis omnium vita, subsidio credita indigeat pecunia.* Duriora hæc videbuntur iis, qui Christianæ charitatis leges ignorant. Fratri, qui perinde egeret, hanc opem frater, qui posset, impertiendam crederet: quivis autem homo Christianis pro fratre habendus est. Quid minus præstari proximo potest, quam illum a necessitate, aut bonorum jactura, & damno eripere, si nullo nostro cum detrimento possimus? Nullum autem mutui detrimentum est, si carere aliquandiu pecunia, unde proximo opem feramus, nostri nihil interfit.

9. Sed quidquid de hoc est, si necessitas vera non sit, vel habeatur, qua ditior premitur; frustra ex necessitate argumentum ducitur. Si vero necessitas quidem judicetur, & gravis, cujus tamen succurrendę nullum præceptum sit, illis præsertim, qui non multum pecuniæ habent: hoc præceptum negari alia ratione non potest, nisi quia illi aliis viis succurrere necessitati possunt. Ubi autem aliæ viæ sunt, numquid ad usurariam, & illicitam confugiendum est, ac si necessaria sit? Immo quidvis agere satius, & utilius ipsis fuerit, quam fœnus contrahere, uti Plutarchus probavit in Opusculo *de non contrahendo ære alieno*, multisque multorum exemplis confirmavit S. Basilius Orat. in Ps. 14., nostrorumque temporum praxis docet, qua plures, ne campum initio venderent, alienum æs contraxerunt cum usura, eaque sensim duplum, vel triplum devoratum fuit, ut superiori etiam Libro c. 6. §. 3. pluribus indicavimus. Neque cum quibusdam reponas, hoc ex negligentia, ac luxu mutuatariorum esse, qui solvere annuam usuram negligunt, ut liberalius vivant. Hoc enim illi faciunt, quia mutuum cum sola usuræ pollicitatione invenerunt, in spem erecti fore, ut alio tempore commodius possint solvere, quod nunc libentius in præsens commodum impendunt. Ita decepti inani spe, in eas angustias tandem incidunt, quæ duplum, vel triplum bonorum corrodit: qui si initio simplum vendidissent, cautius impensas metiri, tantum damnum nequaquam subjissent. Quod si durum videatur prædium, aut domum omnino, & absolute alienare; ne gemmarum, aut aliarum rerum inutilium venditionem suggeram, nonne aliæ viæ pecuniæ cum moderato, ac licito reditu inveniendæ suppetere queunt? Declamationes illæ, quibus nonnulli reclusum prædicant omnem aditum succurrendi privatis, ac publicis necessitatibus, si usura excludatur, ab iis spargi solent in vulgum, qui hoc argumento persuadere vellent licitum fœnus, quod Deo prohibente non licet. At nullum crimen humanæ societati necessarium esse potest. Semper in Ecclesia fœnus habitum est illicitum, etsi semper mundus in iisdem necessitatibus fuerit. Usura necessaria non est, nisi iis, qui hanc lucrandi viam ceteris præferunt,

ferunt, quod forte expeditiorem, utiliorem, & magis tutam existiment. At qui honestatem, & legis observantiam omnibus anteponit, alias justas, ac legitimas vias exquiret, queis & aliorum necessitatibus provideat, & honestum, ac licitum lucrum percipiat. Plures id genus viæ serio quærentibus, & volentibus patebunt. Tota difficultas, quæ variis in locis deprehenditur, ex eo fere dimanat, quod sola usura tanquam licita viget; unde cum aliæ viæ obviæ non sint, eæ ignorantur a multis, ab aliis autem perdifficiles judicantur. At si semel obtineatur, ut Christiani homines usuram illicitam agnoscant, & eliminent; alii sensim modi, vel contractus liciti inducentur, ut iis in locis inducti sunt, & publice, & facile geruntur, ubi usura omnis, aqua, & igni interdicta est.

10. Ut hoc vitium vitetur, vel aliquis justus titulus requiritur, ex quo aliquid supra sortem justa compensatione exigatur; vel ubi ejusmodi titulus desit, alii justi contractus pro usurariis sufficiendi sunt. Quoad titulos justos ab iis pecunia quærenda erit, qui lucrum cessans, aut damnum emergens ex pecuniæ privatione vere patiantur, ita ut justam eorum compensationem exigere possint. Neque hos titulos reperire difficile erit, ubi usura non vigeat. Iis in locis, ubi soli fere contractus, qui usurarii sunt, a pecuniosis exercentur, quod eos licitos, & a fœnore alienos habeant; ceteri legitimi contractus, ob quos mutuo interceptos justam lucri cessantis compensationem quærere liceat, rari admodum inveniuntur. At ubi fœnus exterminatum est, pecuniosi homines, & in lucrum inhiantes, ne nummos otiosos teneant, eosdem vel in negotiatione exercere solent, vel in societatibus legitimis, aut in realibus cambiis, aut in prædiorum emtione, in censibus, in locis montium, aliisque probatis contractibus collocare. Facile igitur reperire erit pecuniosos, qui ejusmodi contractuum occasionem, & voluntatem efficacem habeant. Ii autem, si mutuum rogati, ut rogati inserviant, aliquem id genus contractum intercipiant, cessantis lucri compensationem flagitare poterunt: & hac facillima ratione, cum indigentibus pecuniam credere, tum aliquid eo nomine supra sortem exigere licebit. Hac de caussa vulgo dici solet, veros negotiatores, quibus multæ, & promtæ occasiones suppetunt pecuniæ utiliter collocandę, pecuniam citra fœnus posse credere, exigentes aliquid supra sortem, si non fœnebri mente lucrum quærant ex pecunia credita, sed meram lucri cessantis compensationem stipulentur, iis conditionibus, quæ Opusculo I. fusius explicabuntur. Idipsum accidet etiam iis, qui negotiatores non sunt, si alii contractus utiles inducantur, quibus mutuo impeditis justa cessantis lucri restauratio quæratur. Ejiciatur e civitatibus fœnus, & tum nec tam difficile, nec tam rarum erit eos reperire, qui justo titulo pecuniam accomodent; uti rarum, ac difficile est, ubi usura grassatur. Tota, vel potior hujus difficultatis caussa ex ipsa usura est. Corrigatur hoc vitium, & inductis aliis legitimis contractibus, magnum ex justis titulis remedium præsto erit, quo privatis, & publicis necessitatibus citra usuram succurratur.

11. Quod si quando indigentes neminem reperiant, qui justo titulo pecuniam credere possit, aut velit; non deerunt aliqui contractus legitimi, qui pro usurariis ineantur. Huic quidem casui ut prospiciatur, inductum fuit, & probatum a Pontificibus stipulari legitimum censum: vera etiam emtio alicujus fundi cum pacto retrovenditionis, & locatione subsequenti contrahi poterit, ut multis in urbibus receptum est, dum in hisce stipulationibus

bus eę conditiones serventur, quæ a probatis Auctoribus ad pallium usurę vitandum necessariç probantur. Legi in hanc rem poterit opusculum *De Montibus pietatis*, ubi *de modis providendi publicis, & privatis pecunia necessitatibus cum lucro annuo citra usuram* fusius differuimus. Alii forte contractus justi, qui pallio quodam in mutuum non recidant, poterunt inveniri; quos si quis nolit, eo quod usuram malit, is necessitatem frustra confingit, solaque voluntate in illicitum fertur. Incommoda quidem aliqua in illis contractibus objici solent, quibus brevior, & expeditior usurę via caret. At nonne quodvis incommodum subire præstat, quam facere quod non licet? Expeditius, & commodius esset concubinam, quam uxorem alere; quis tamen illud licitum idcirco prætendat? Carnales sint oportet, qui ex facilitate, atque commodo licitum metiuntur. Quanquam si diligenter peritiores considerent, ac publica pręsertim cura in pręsidium vocetur, aliquot faciliora remedia invenientur, quæ nunc ex mera inconsideratione, ac negligentia non suppetunt.

## §. III.

*De commercii, ac mercatorum necessitatibus, earumque remediis. Objectio de monopoliis explosa.*

12. Difficilius videbitur commercio, & negotiationi sine usura providere. Hanc præsertim necessitatem plerique urgent; cumque ex commercio publica res potissimum floreat, necessitas commercii ad necessitatem publicam referentes, huic necessitati usuram ita necessariā præferunt, ut usuram tollere idem sit, atque commercium, & publicum bonum tollere. Deum autem, vel naturalem legem obesse, aut destruere commercium, quod publicæ rei maxime utile, ac necessarium est, impossibile dictitant. Non una, sed plures falsæ hypotheses hanc objectionem fulciunt.

13. Primo magnum, & amplum commercium, & opulenta, ac multiplex negotiatio, qualia hodie in præstantissimis urbibus florent, humanæ vitæ, ac societati necessaria præsumuntur; quod falsissimum esse plures aliæ urbes testantur, quæ sine ejusmodi negotiatione, atque commercio, non ita quidem opulentæ sunt, sed rebus ad vitam, ac societatem necessariis non egent. Humanæ vitæ, atque communitati ea negotiatio sufficit, quæ victui, atque vestitui necessaria providet: cum longinquis autem regionibus negotiari, ut præter necessarias res rariora, aut pretiosiora hinc illinc advehantur, uti magno commercio efficitur, non necessitatis, sed luxus sæpe, & deliciarum est: quod cum moderationi, ac temperantię sit inimicum, id mercaturę genus, veluti perniciosum, ab ipsa civili societate eliminandum nonnullæ Gentes putarunt. Audiatur testimonium minime suspectum ipsius Claudii Salmasii in Pręfat. de usuris p. 32. *Multa olim Gentes ... fortitudinis, & temperantia aliquam gloriam adepta, mercatoribus aditum ad se patere noluerunt. Lycurgus in sua Republica non alia de caussa pecunia aurea, argenteave usum abdicavit, solumque ex ferro, eoque inutili ferrarias fabricas vi aceti reddito, retinuit, quam ut mercatores inde abigeret, qui solent ad luxuriam potius facientia invehere, quam ad vitam necessaria. Cæsar in secundo de Bellis Gallicis commentario scribit, Nervios, qui Belgica populi fuere tum fortissimi, nullum aditum ad se voluisse mercatoribus, nihil passos vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus elanguescere animos, eorumque remitti virtutem existimarent. De Belgis in genere alio loco dicit,*

*dicit, minime ad eos mercatores sæpe commeasse, nec ea importasse, quæ ad effeminandos animos pertinent. De Suevis, qui bellicosissimi inter Germanos, etiam refert, mercatores quidem admisisse, sed magis eo ut quæ bello ceperant, quibus venderent, haberent, quam quo ullam rem ad se importari desiderarent ..... Plura possem exempla referre Gentium, quæ nec ipsa negotia emporiea noverunt, nec mercatoribus exteris aditum ad se præbuerunt.* Et commode tandem in rem nostram concludit: *Quod tot igitur nationes sine mercatura vixere, argumento est, singulas sine illa vivere, & respublicas stare sine negotiatoribus posse. Quod eam a civitatibus suis legum ii conditores ejecere, qui optimis illas institutis fundatas habere voluerunt, signum est, non adeo esse commendandam, quin continentiæ, temperantiæ, ac fortitudini magis contraria videri debeat, non solum quia importat quæ pertinent ad animos enervandos, sed & quia avaritiæ caussas dat.* Quæ si vera sunt in ipsis Gentibus, quanto magis inter Christianos, qui æternam vitam spectantes, terrena debent contemnere, nihilque magis abhorrere, quam, quod luxui, & avaritiæ favet? Hinc sane *Christiani antiqui*, testante ibidem Salmasio, *mercaturam ut maximam avaritiæ adjutricem, & administram maxime aversabantur, quæ omnis virtutis idcirco putanda est hostis, quatenus omnium vitiorum merito existimatur mater, & radix vel Apostolo teste.* Hinc etiam haud succensendum antiquis Patribus, si eodem spiritu, atque consilio negotiationi infensi fuerunt. Si porro usuram tollere esset hanc negotiationem tollere, ut adversarii opponunt; num esset tollere quod publicæ rei necessarium est, an potius quod luxui, & avaritiæ serviens, ipsarum Gentium, atque Salmasii judicio, sustollendum esset? Videant ergo quid dicant adversarii quidam, dum dictitant, Christi legem datam non fuisse, ut negotiationem, & commercium impediret. Si de negotiatione per se innocente, ac necessaria loquantur, de qua superius meminimus; nemo repugnaverit. Si vero de illa negotiationis ratione intelligant, quæ cum luxum, & avaritiam fovet, ea vitia fovet, contra quæ Christiana lex bellum indixit; nemini ejusdem legis spiritum recte intelligenti probabuntur. Hinc Salmasius loco laudato Christianæ Religioni magis consentaneum fassus est, abhorrere ab hoc negotiationis genere, quod *alienum est*, inquit, *ab ea simplicitate, & puritate, quam Christiana professio requirit.*

14. Quæ tamen ego non eo animo accipi velim, ac si lex Christi vere inimica sit negotiationi, & commercio, quæ per sese, ut l. 4. c. 3. §. 3.
alibi diximus, vitiosa non sunt; solis enim negotiationis, seu potius negotiatorum vitiis opponitur. Inter hæc autem vitia cum sit usura, quam commercio necessariam homines isti prædicant, qui hanc in negotiationis gratiam defendunt, non negotiationem per sese, nec rem honestæ negotiationi necessariam, sed certum negotiationis, aut negotiatorum vitium necessitatis nomine defendunt. Non humano, precor, nec carnali sensu commercium considerent, sed christiano; & aliud prorsus judicium ferent. Persæ, Appiano teste l. 1. de Bellis civilibus, usuram vitasse traduntur, *ut non alienam a fraude, & mendacio*, quod in hoc commercii genere intercedit. Quid si præterea eandem divina lege vetitam novissent? Pudet minora sentire Christianum, qui Evangelio credit, & unam inculcare necessitatem commercii, cui, uti honesto, sicut nullum vitium, ita nec fœneratio necessaria esse potest. Salmasius quidem l. 3. de Fœnore Trapez. p. 598. etsi pro fœnore totis viribus certet, necessarium ta-

men negotiationi, quæ in lucrum confert, nedum illud affirmare non potuit, sed nec ipsum mutuum: *Si ... aliquis*, inquit, *mutuum petat ..... ad lucrum, ut mercatores; hoc superfluum*. Superflua nimirum ea negotiatio est, quæ mero ampliori lucro inhians, mutuum requirat. Ubi autem hæc negotiatio, ac mutuum superflua sint, ibi fœneratio necessaria esse nequit. Hæc de prima hypothesi. Nunc ad alteram.

15. Esto autem, quod negotiatio etiam a longinquis terris in utilitatem, ac lucrum publico aliquatenus necessaria, & idcirco probanda maxime sit, num fœneratio huic necessaria fuerit? illa, inquam, fœneratio, qua nihil commercio perniciosius probavimus l. V. c. 6. §. 4.? Olim quidem apud Græcos florentissima negotiatio fuit, cum nummus nondum esset inventus, sine quo fœnori locus esse non poterat. Permutatione omnia peragebantur sine pecunia, ut ex Homero, Sophocle, aliisque antiquis docti viri observarunt; idemque nunc quoque fit multis, ac præstantioribus commerciis, quibus merces cum mercibus, vel cum præsenti pecunia commutantur; idque negotii genus quanto publico utilius, ac florentius sit, illi probe intelligunt, qui negotiandi artem, & praxim intelligunt. Ubi porro omnis negotiatio præsenti commutatione geritur, nec mutuo, nec fœnore opus est. Ubi autem negotiari credito cœpit, ibi ære alieno sæpissime opus fuit: hocque negotiationis genus quam infirmum, & periculi plenum sit, quantaque identidem vulnera commercio afferat, præsertim ex fœnore, quisque peritus noverit. Hic autem negotiandi modus, quo antiqua consuetudo immutata est, non charitate aliqua inductus videtur, ut iis, qui præsens pretium non habent, provideretur, indulto solvendi tempore, sed cupiditate, ut plura a nonnullis venderentur præter ceteros, qui nonnisi præsenti commutatione venderent. Ita cum majoris lucri, ac negotii cupiditas alios movit, ut credito venderent, tum hocce solvendi spatium datum illexit alios, ut spe negotiationis majoris merces fere credito supra vires emerent, quas alias non emissent. Hinc porro auctum utrinque pretium mercium, quod publico damno est: hinc quoque in negotiantibus supra vires mutui necessitas, atque fœnoris, si stato tempore pecunia debita careant; indeque frequentes decoctiones, atque versuræ, quæ tantum damnum negotiationi afferunt. Nonne præstaret Reipublicæ redire ad antiquum negotiandi genus, quam hæc mala quotidie audire, atque intueri? Hæccine publica fœnoris utilitas, atque necessitas est? Sola majoris lucri cupiditas, non autem ipsius negotiationis natura hocce commercii genus efflagitat, quod sine mutuo, & fœnore stare non solet.

Vide Salmas. de Usuris c. 21. p. 676.

Vide Jacobi Savary *Le parfait negociant* tom. I. lib. 1. c. 3. & lib. 3. c. 4.

16. Neque dicas, quod si nemo supra vires negotiationem exerceat, negotiatio detrimentum patietur. Nunquid enim detrimentum patitur apud eas nationes, apud quas nos quoque præsenti pecunia negotiari cogimur? Hæc objectio est hominum cupidorum, qui suæ magis, ex inani sæpe spe, quam publicæ utilitati prospiciunt. Si autem omnes ii essent, qui suum tantum cautius negotiantes, mutuum non quærerent, non propterea minueretur, aut interiret commercium, quemadmodum nonnulli inaniter jactitant; tum enim pecuniosi, ne otiosam haberent pecuniam, ipsi per se negotiarentur, quod in majorem negotiationis utilitatem rediret. Ita nimirum plures in commercium animum, & cogitationem intenderent, & suam pecuniam suo periculo cautius negotiantes, nullo dispendio fœnoris, sola e rarioribus fortuitis casibus damna, ac rarissimas decoctiones paterentur.

 17. Quan-

17. Quando vero negotiandi modus alicubi inolevit, quo & nonnulli pecuniosiores per sese negotiari nolunt, & mercatores in hac negotiandi methodo identidem temporario subsidio egent, etsi id non ex absoluta necessitate, sed ex voluntate contingat, fœnore tamen non omnino indiget. Qui enim per sese nolunt negotiari, societatem legitimam cum mercatore inire queunt, ut ne mutuum, aut depositum fœneratitium contrahere necesse sit. Qui autem temporario egent pecuniæ subsidio, vel quærant pecuniam ab iis, qui ex justis titulis justam compensationem exigant, vel alium justum contrahendi modum inducant, ut vel a privatis consilia simul coeuntibus alicubi ex cupiditate inductum audivi; aut alias id genus licitas ineant vias, de quibus in singulari disputatione *De pecunia ad negotiationem exposita* fusius dicam, ita ut ab usurarii mutui remedio abstineant, nisi maxima necessitate premantur; quo casu, etsi ipsi forte excusari queant, cum necessitate coacti usuram solvent; qui tamen ex necessitate exigent, excusari non possunt, immo potius damnandi sunt, ut in primo paragrapho dictum est.

18. Dixi, *nisi maxima necessitate premantur;* qui enim temporario egent pecuniæ subsidio in contractum aliqem lucri caussa ineundum, quem præsentes ipsorum vires non ferunt; eum id non necessitatis, sed cupiditatis sit, excusari non possunt: sola enim necessitas, non autem cupiditas lucri, caussa legitima habetur usuræ solvendæ, si aliter succurri necessitati nequeat, ut Lib. II. cap. 10. pluribus diximus; unde S. Bernardinus Senensis Tom. 3. serm. 34. part. 2. pag. 272. affirmat, *illum qui quærit accipere ad usuram, peccare mortaliter, quando accipit non egendo, sed ut magis lucretur, animo ditandi, & cumulandi*. Similia habent S. Antoninus, & ceteri, ac ex regulis de scandalo probari fusius posset. Egregium hac in re Plutarchi effatum in Opusculo *de vitando ære alieno: Si contenti esse voluissemus*, inquit, *rebus ad vitam necessariis, tam non esset fœneratorum genus, quam nec Centaurorum, nec Gorgonum*. Si mercatores (dicam ego) ea negotiatione, quam vires ferunt, contenti essent, ut esse deberent; nulla esset necessitas fœnoris. Si plura negotiari volunt, societatem pinguiorem cum pecuniosis ineant, aut pecuniam modis justis paullo ante indicatis inquirant, si facultas sit; secus, eum lucri caussa ad usuram accipere nequaquam liceat, satius erit ab hujusmodi lucro abstinere, quod sine culpa comparari non potest. Hinc nonnihil etiam timendum de iis est, qui ex cupiditate lucri negotiantes supra id, quod vires ferunt, sese in necessitatem aliquam mutui accipiendi sub fœnore volentes, aut imprudentes conjecerunt, quod culpa non vacat: & propterea hæc cupidior negotiandi methodus supra vires, si hanc necessitatem inducat, citius immutanda videtur, ne voluntaria necessitas, saltem in caussa, vitio tribuatur. Qui spiritualia magis, quam terrena sapiunt, hæc commode intelligent.

19. Quidquid vero id est, sufficit fœnerationem frustra ex necessitate commercii suffragium quærere, in quo vel mera lucri cupiditas mutuum requirit, & nulla necessitas urget: vel si qua urget necessitas, solvere usuram licet, exigere non licet. Nihil igitur a necessitate, sive privata, sive publica, suppetit, unde usura purgetur: ac propterea objectio, quæ tanto strepitu a necessitate ducitur, inanissima est.

20. Aliam hic objectionem præterire non possum a Salmasio ingestam c. 19. de Usuris p. 555. & seqq., ubi monopolia, etsi alias iniqua, ac perniciosa Reipublicæ, ex ne- Objectio de monopoliis exploia.

necessitate tamen licita fieri aliquando posse observat. Quidni de fœneratione idem sit? Facilis responsio est. Monopolia dicuntur, cum unus, vel pauci certas merces soli emunt, ac vendunt, vel etiam plures in certum rerum emendarum, aut vendendarum pretium conspirant. Injustitia autem in his locum habet, quatenus venalium rerum pretium, vi, fraude, vel conspiratione privatorum, in privatum ipsorum bonum, supra æquam earundem rerum æstimationem minuitur, vel augetur. Si vero absit omnis vis, fraus, & conspiratio privata, uti abesse præsumitur, cum ex publica necessitate in bonum publicum quibusdam hominibus certæ res venales ab ipso Principe conceduntur, pretiumque satis æquum ex justa ęstimatione taxatur; tum id pretium, cum justum earundem rerum pretium sit, nihil iniquitatis, ac injustitiæ continet. Quid simile in fœnore, quod supra justam mutui æstimationem taxatum, ac per se injustum, nulla auctoritate justum fieri potest, ex necessitate autem ipsa magis, magisque damnatur.

## §. IV.

*Confirmantur prædicta ex ipsis civilibus legibus usuram vetantibus.*

21. UT ea, quæ contra publicam, uti ab adversariis præfertur, fœnoris necessitatem hactenus disseruimus, magis magisque confirmentur, proferre juverit præstantissimorum Legislatorum judicia, qui usuram vetantes, hanc publicam usuræ necessitatem nequaquam viderunt. Deum in primis appello, qui omnem usuram Hebręorum Reipublicę, etiam in civili regimine, vetuit, ut ipsi adversarii fatentur. Tantum vero abest, quod exinde ulla publica, vel privata ruina timenda fuerit, quin potius ruinam ex usura Deus ipse minatus sit apud Ezechielem c. 22. v. 12. *Usuram, & superabundantiam accepisti, & avare proximo tuo calumniabaris ... Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti ... Ego Dominus locutus sum, & faciam. Et disperdam te in nationes &c.* Qui ex prohibitione usuræ Reipublicæ perniciem minitantur, vereor, ne ex illis sint, quibus Dei jussu apud eundem Ezechielem c. 13. v. 8. dictum fuit: *Locuti estis vana, & vid stis mendacium.* Utrum ex tot, ac tam multis malis, quę nobis identidem infliguntur, quędam ob usuram tam late dominantem immittantur, dubitari potest.

22. Quod si Legislatores Gentium consideremus, apud Romanos, sine ullo ruinæ periculo, ac metu, immo potius ad avertendam publicam perniciem, prohibita fuit usura Legibus Genucia, & Sempronia, ut ex certissimis Scriptoribus superiori libro ostendimus c. 3. §. 3. Mittam Germanos, quibus saltem usque ad Taciti tempora *fœnus agitare, & usuras extendere ignotum:* (De morib. German. c. 6. n. 1.) nec recordabor Indos, qui, Æliano (L. 4. Var. Hist. c. 1.) teste, *pecuniam fœnori non locant:* aut antiquos Persas, quibus, Appiano tradente, (L. 1. de Bel. civil.) usura non placuit; quod & apud recentiores Persas adhuc vigere testatur Olearius Itin. Persic. lib. 5. Plures Arabum sectę, ut Xaphienses, & Malichenses, nunc quoque eandem legem servant, quos tamen nullas, nec publicas, nec privatas necessitates pati accepimus.

23. Quid de Christianis Principibus dicam? Nullus forte florentius regnum, quam sub Carolo Magno, qui exclusis Romanis legibus usuram permittentibus, in Capitularibus omne fœnus prohibuit. Quę quidem Capitularium leges cum editę in frequentissimis omnium ordinum comitiis, ubi Episcopi, Abbates, Duces, Comitesque convenerant ex universa Gallia, Germania, & Italia; cum, inquam, in hisce comi-

comitiis editę, omnium consensu, atque subscriptione firmatę fuerint, eędemque non in uno, sed pluribus subinde cętibus ab eodem Carolo, ac successoribus adversum usuram constanter fuerint renovatæ: nihil inde contra Reipublicæ, aut negotiationis bonum vergere indicatum, aut, experientia ipsa docente, inventum fuit. Vide Capitulare Aquisgranense an. 789., & Noviomagense an. 806. sub Carolo Magno; aliud Aquisgranense an. 816. sub Ludovico Pio, Synodum Parisiensem jussu ejusdem Ludovici, ac Lotharii habitam an. 829: quę testimonia cum partim recitata notis sint lib. II., partim autem in pluribus libris, & collectionibus occurrant, in iis describendis non immoramur. Hęc autem decreta, ac placita adeo usu fuerunt recepta, ut non solum regnante Caroli Magni progenie, sed illa etiam extincta viguerint, ac in alias itē regiones latius patuerint; unde multa ex iisdem tradueta inveniuntur in posteriores collectiones Reginonis, Burchardi, Ivonis, & Gratiani.

24. Exinde vero cum bene cessisse rem cognitum fuisset, passim in aliis quoque regnis, ac toto fere Christiano Orbe leges adversus usuram latę, aut renovatę fuerunt, ut ne de ruina Reipublicę, aut similis societatis, atque commercii quisquam timeret. In Anglia S. Rex Eduardus undecimo sæculo Francorum exemplo usuram interdixit lege 22. *Usurarios quoque defendit Rex Eduardus, ne remaneret aliquis in toto regno suo; & si quis inde convictus esset, quod fœnus exigeret, omni substantia propria careret, & postea pro exlege haberetur. Hoc autem asserebat ille Rex se audisse in curia Regis Francorum, dum ibidem moraretur, quod usura summa radix omnium vitiorum est.* Hanc eandem legem confirmavit Guillelmus Normanniæ Dux, qui S. Eduardo successit, & in Inquisitione facta an. 1205. de juribus Regum Angliæ in Normannia edita a P. Martene tom. 1. Collectionis veterum Scriptorum, pœna hæc usurariis decreta legitur: *Post mortem usurarii, omnes res sua Domini Regis erunt, si probatum fuerit, quod infra annum mutuaverit ad usuram.* pag. 1080.

25. In constitutionibus Regni Siciliæ Lib. 1. tit. 6., de usurariis puniendis duæ Guillelmi I., ac subinde Federici II. Constitutiones duodecimo, & decimo tertio sæculo omnem usuram interdicentes leguntur. Satis erit Friderici Imperatoris Constitutionem describere: *Usurariorum nequitiam, qui non tantum utuntur pecuniis, sed, ut loquamur proprius, abutuntur, Sanctorum Patrum testimoniis condemnatam prosequi disponentes, Imperialis celsitudinis motum, quem nos etiam ex arbitrio cœlesti suscepimus, divina conjungimus ultioni. Hujusmodi nostra constitutionis edicto omnibus regni nostri fidelibus, & quibuslibet aliis in regno morantibus, etiamsi extra regnum fuerint oriundi, firmiter inhibemus, ut nullus in posterum pecunias suas per se, vel per alios mutuo sub magnis usuris, vel minimis dari fœnori audeat publice, vel occulte. Et ut ipsorum audacia, qui sua salutis immemores sunt, & edicti nostri extiterint temerarii contemtores, inulta non maneat, præsenti lege sancimus, ut quicunque amodo fœnerator in Regno inventus fuerit, omnium bonorum suorum, tam mobilium, quam stabilium publicatione damnetur. Omnibus etiam regni nostri fidelibus concedimus liberam potestatem, usurariorum nequitiam in publicum deferendi. Nec a delatione propterea aliquis repellatur, quod damnum proprium, vel suorum, vel suam injuriam prosequatur. Crimen illud præsenti lege sit publicum: ita quod omnibus, qui in accusationibus, & criminibus publicis admittuntur, usurarios accusandi licentia tribuatur. A nexu tamen præsentis*

*tis constitutionis nostræ Judæos tantum excipimus, in quibus non potest argui fœnus illicitum divina lege probibitum, quos constat non esse sub lege a beatissimis Patribus institutâ. Quos etiam auctoritate nostra licentia improbum fœnus nolumus exercere, sed metam ipsis imponimus, quam eis non licebit transgredi, videlicet ut pro decem unciis per circulum anni integri unam ipsis tantummodo lucrari liceat pro usuris. Quidquid autem ultra acceperint, in bonum curiæ nostræ componant: ut ex abusu licentiæ, quam eisdem propter necessitatem hominum coacti relinquimus, commodum ultra licitum non consequantur.*

26. In speculo Svevico, seu Jure provinciali Alemanico, quod sæculo XIII. collectum creditur, uti legere est apud Joannem Schilterum tom. 2. Thesauri rerum Theutonicarum, lex adversus usuram editur c. 351. cum hoc titulo, *Quod nullus Christianorum ab altero usuras capere debeat*; In textu autem sic: *Deus, & Imperator Carolus, ut & Papa Leo, prohibent, ne quis Christianorum ab altero usuras accipiat &c.*; & cap. 153. de restitutione usurarum exigenda: *Qui usuras juravit solvere, debet dare, ne sit perjurus: at potest, & debet denunciare factum judici, qui cogat reddi. Si quis juravit non denunciare; juramentum, ut contrarium charitati, & correctioni, non ligat. Si ante solutas usuras judex vetet, parendum est, nec perjurii reus erit non solvens.* Alia contra usurarios manifestos prætermitto.

27. S. Ludovicus Francorum Rex in edicto edito an. 1254., non Christianis solum, sed etiam Judæis omnem usuram vetuit. De Judæis sic: *Judæi cessent ab usuris, blasphemiis, sortilegiis &c. Judæi, qui hoc servare noluerint, compellantur; & transgressores legitime puniantur, ut vivant omnes Judæi de laboribus manuum suarum, vel negotiationibus sine usuris.* Tum de Christianis: *Prohibemus districte, quod nullas usuras haberi faciant Barones, Senescalli, vel alia quacunque persona. Usuram intelligimus quidquid est ultra sortem.* Qua in re observandum maxime est, non defuisse, qui ex necessitate publica præsertim commercii fœnus permittendum suaderent, idque si non Christianis, saltem Judæis indulgendum. *Cum* Tom. 5. Collect. Du Chesne pa. 471. *in contrarium suaderent et plures de consiliariis suis, asserentes, quod populus vivere non poterat sine mutuo, nec terra excoli, nec ministeria, vel mercimonia exerceri: & melius esse dicebant, ac tolerabilius, quod Judæi, qui jam damnati sunt, hujus damnationis exercerent officium, quam aliqui Christiani, qui ex hac occasione etiam majoribus usuris populum opprimebant.* Verum S. Rex inanem hunc metum excludens, nequaquam assensus est, *sed de Christianis fœneratoribus*, inquiebat, *& eorum usuris, ad Prælatos Ecclesiæ pertinere videtur.* Quantum ad Judæos, *dimittant usuras*, ajebat, *aut exeant de terra mea, ne eorum sordibus amplius inquinetur.* Hoc idem statutum contra Judæos iterum renovatum traditur inter statuta Ludovici Regis tom. 1. Thesauri Anecdotorum P. Martene p. 439., quæ per errorem dicuntur edita an. 1154. pro anno 1254. Ad calcem autem horum statutorum Collectionis Auctor notat hanc eandem *ordinationem confirmatam fuisse a Ludovico Hutino apud Vincenas anno Domini* 1315. *Mense Decembri*, unde extant in Commentariis Cleri Gallicani patentes hujus Regis literæ an. 1315., quibus prohibet, ne Prælati impediantur a jurisdictione, præsertim circa usuras exercenda.

28. Philippus IV. in edicto apud Montem Argivum dato an. 1311. omnem usuram vetuit, sive magnam, sive minimam: pœna autem corporis solas graviores coercuit. En edicti verba: *Pro reformatione*

*tione publica Regni nostri, circa usuras a Deo prohibitas, & a Sanctis Patribus, nec non a progenitoribus nostris damnatas, prohibemus omnibus, & singulis, tam regnicolis nostris, quam aliis in Regno nostro morantibus, quomodolibet contrahere genus, vel speciem quamlibet usurarum. Sed graviores usuras, substantias populi gravius devorantes, prosequimur attentius, atque punimus. Pœnam enim corporis, & bonorum ipso facto incurret regnicola, vel forensis, qui contra prohibitionem hujus edicti præsumserit usuras graves hujusmodi frequentare.... Quia vero sunt plures, qui mutuant pecunias, alterius ficti contractus colore quæsito, vel contractus alios usurariis mutuis graviores frequentant, evidenter in fraudem gravium usurarum, hujusmodi pœna prædicta eos persequimur, atque ferimus, tales usurarios contractus esse censentes.* Cum vero ex pœna solis usuris gravioribus inflicta quidam fœneratores usuras leviores minimi facerent, idem Rex anno sequenti 1312. novo edicto Pisciaci edito die 8. Decembris sese apertius explicavit his verbis: *Quandoquidem expresso edicto iam prohibuimus quomodolibet contrahere genus, vel speciem usurarum; nunc sub eo prætextu quod graviores usuras districtius persecuti sumus, eo quod ex avaritia, cupiditate, iniquitate, inhumanitate ortum ducant, & substantias populi, ac plebis gravius devorent; nemo sanæ mentis in animum sibi inducere debuerat, a nobis tolerari quod tam expresse coercuimus, ac prohibuimus. Verum ne quis amplius, vel simplicibus, vel malitiosis hominibus supersit dubitandi locus, nos declaramus præfato edicto a nobis reprobatum, ac prohibitum fuisse, & iterum reprobamus, ac prohibemus quodlibet genus usurarum, quantumlacunque sint, sicut lege divina, secundum doctrinam Sanctorum Patrum, prohibita sunt.....Verum pœnam corporis, & bonorum supradicti non incurrent, nisi qui graviores usuras accipere, exercere, aut frequentare præsumserint, prout præfato edicto a nobis constitutum est. Sed quia nullatenus minutas, ac leves usuras admittimus; ideo volumus dari simpliciter, ac pleno jure inhibitionem in gratiam eorum, a quibus ejusmodi usura repetentur, tum ne eas solvere cogantur, tum ut jus habeant, quod jam solutum est, repetendi, quæcunque sit earundem usurarum vel species, vel quantitas. Insuper volumus nos, ac decernimus, easdem usuras minutas, ac leves, quæ quidem supradictæ pœnæ corporis, & bonorum non subjacent, coerceri tamen, ac puniri, eosque, qui tales usuras aut acceperint, aut exercuerint, aut frequentaverint, coercendos, ac puniendos esse, prout secundum Deum, secundum justitiam, secundum publicam subditorum nobis in regno nostro utilitatem, melius videbitur.*

29. Iisdem vestigiis ceteri Galliæ Reges ad nos usque insistentes, usuras omnes, etiam simulatas, prohibuere, ac pœnis etiam gravissimis persecuti sunt. Legi possunt inter cetera Philippi VI. edictum an. 1349., mandatum Ludovici XII. an. 1510., Francisci I., Caroli IX., & Henrici III. Sanctiones, nec non alia id genus, quæ etiam nunc in Gallia obtinent: & in his Carolus IV. in mandato an. 1567. usuram prohiberi testatur *in bonum, & utilitatem publicam nostri Regni, subditorumque subsidium, ut sine usurarum oppressione commodius vivere, & negotiari queant: Pour le bien, & utilité publique de nostre Royaume, & soulagement de nos sujets, à ce qu'ils puissent vivre, & negotier sans etre oppressez des usures.* Ubi publico bono, & negotiationi expedire indicat, usuram prohiberi.

30. In Republica Veneta usuram item universim fuit vetita a Magno Consilio die 10. Junii an. 1254. Decreti verba hæc sunt pag. 217. *Capta fuit pars, quod nullus homo, vel*

*vel fœmina Venetiis dare debeat ad usuram, vel dari faciat per se, vel per aliquam aliam personam in Venetiis, nec foris aliquo modo, vel ingenio, sub pœna perdendi totum capitale, & prode* ( idest *usurarium redditum* ) *& lir. 30. sold. 12., qui sunt Ducat. undec. grossorum quindecim, & parv. 22., quia omnis libra ad grossos valet gross. 9. parv. 5. Et accusator habeat tertium, Officiales de supra usuris tertium, & Commune tertium. Item quod nullus habitator Venetiarum audeat ad usuram dare in Venetiis, nec foris Venetiis, sub pœna prædicta. Item forinsecus, qui dederit in Venetiis ad usuram, perdat quod datum est Veneto. Si autem in secundo crimine eodem quis deprehensus fuerit, pœnam prædictam incurrat, & banniatur, & expellatur de Venetiis, si forinsecus fuerit. Venetus autem quoties inventus fuerit, pœnam prædictam incurrat, excepto quod de Venetiis non banniatur, nec expellatur, sed publice usurarius esse stridetur. Et si aliqua charta esset facta, sive securitas occasione dandi ad usuram, nihil valeat, aut teneat.* Rursus die 11. Septembris an. 1328., nec non 19. Martii an. 1357. cautum fuit contra cambia, & contractus usurarios, hac ratione adjecta, quod *secundum Deum, & honorem hujus nostræ civitatis, & patriæ, omni modo, & forma possi-* P. 146. 147. *bili vigilandum sit, quod obvietur cambiis, & usurariis contractibus.*

31. Mitto plura Italiæ civitatum statuta, quæ usuram olim ex Romano iure sub seculum XII. restituto, ac recepto susceptam, deinde ejecerunt. Unum Veronensium Decretum exempli caussa recitare satis fuerit. Sic autem illi Lib. 1. Statutorum c. 36. *Usurarum licentiam, quam aliquando nostra civitas sub publicæ utilitatis opinione permisit, nunc pro nostra propensiori religione, & Canonum reverentia, tanquam latentem, paulloque serpentem pestem, aut demum voracissimam bestiam pro rerum experientia detestantes, propulsareque volentes, statuimus, quod aliqui fœneratores Judæi, sive quorum, & aliorum fœnore per plures annos contra plurimorum opinionem, vel in durissimis adversariorum temporum angustiis stetimus, optimeque successit, nullo unquam tempore conduci possint, nec debeant ad fœnerandum in civitate, vel districtu Veronæ; sed nec permitti, aut tolerari modo aliquo, vel ingenio, vel in aliquo loco Territorii Veronæ ad mutuandum sub usuris. Idem & magis intelligatur de Christianis, & magis de civibus, aut districtualibus Veronæ, qui tenerent, seu tenere vellent mensam paratam ad mutuandum omnibus sub usuris. Et quod D. Potestas, & Provisores Communis Veronæ sacramenti vinculo teneantur obviare, & non permittere, quod aliquid unquam in contrarium directe, vel indirecte proponatur, seu tractetur in consilio aliquo, tanquam propositio, & tractatus mortalis contaminationis, & Christianis auribus execrabilis, & tanquam blasphemia Dei, Domini nostri Jesu Christi, & Ecclesia sua Sancta, furorem ejus provocatura, & desolatura possibiliter civitatem, sub pœna &c. & nihilominus quodcunque tractaretur, & deliberaretur, sit ipso jure nullum. Et ipsi Judæi, ac Christiani sic fœnerantes, cadant in pœnam perpetui banni de Civitate, & districtu Veronæ, & perdendi capitale cum usuris, & tantundem pro pœna.* Vides inanem necessitatis, ac publicæ utilitatis opinionem experimento agnitam effecisse, ut tolleretur usura, quæ ejus opinionis caussa in civitatem admissa fuerat.

32. Addere, ac referre possem quamplures Synodos, quarum decretis contra usurarios cum assensi fuerint Reges, & Principes, & ita assensi, ut totam civilem potestatem eisdem exequendis Ecclesiæ, atque Ecclesiasticis judicibus impenderint; eadem decreta pro civili etiam lege haberi queunt. Sed his, aliisque non-

nonnullis omiſſis, concludam cum noviſſimo celeberrimo Codice Victorii Amadei Sardiniæ Regis, cui L. 4. tit. 34. c. 14. p. 228. tomi ſecundi hæc contra uſuras lex ex Amadeo VIII. inſerta, & confirmata legitur: *Non potrà veruna perſona di qualſivoglia ſtato, grado, e condizione eſercitare in qualunque forma, pubblica, o occulta, direttamente, o indirettamente, per mezzo de' contratti, tanto eſpreſſi, che ſimulati, o in qualſivoglia altro modo, alcuna ſorta d' uſure ſotto pena della confiſcazione de' beni: la quale avrà anche luogo, ogni qualvolta ſi ſcopra, e conſti dopo la morte di qualche perſona, che la medeſima ſia ſtata ſolita ad eſercitar' uſure come ſopra, rifatti però ſempre i danni di quelli, che ne avranno patito*. Latine autem ſic: *Nemo cujuſcunque conditionis, aut gradus, ullam uſuræ ſpeciem exercere poterit, quavis ſive publica, ſive privata forma, directe, aut indirecte, tam expreſſis, quam ſimulatis contractibus, aut quovis alio modo, ſub pœna proſcriptionis bonorum, quæ fiſco addicentur; eademque pœna infligetur, quoties detegatur, & conſtet, etiam poſt mortem, quempiam uſuras exercuiſſe, ut ſupra: ita tamen, ut antea ſemper læſorum damna reſarciantur*. Deinde Rex Victorius hæc addidit: *Il frutto permeſſo agli Ebrei ne' loro privilegj per il danaro, che daranno ad impreſtito, ſolamente s' intenderà per que' Banchieri Ebrei riconoſciuti come tali dal Conſolato, e per i ſoli danari loro proprj, e non per quelli, che riceveſſero da' Cristiani con patto tacito, o eſpreſſo di negoziarli in comune. Verificandoſi, che alcun Criſtiano impreſtaſſe, o in qualſivoglia modo daſſe danari agli Ebrei per aver parte certa, o incerta in quell' utile, che ad eſſi è permeſſo; ſi avranno gli uni, e gli altri per uſuraj, e ſi procederà contro di eſſi nel modo ſopra preſcritto*. Latine: *Lucrum Hebrais permiſſum in ipſorum privilegiis, ob pecuniam, quam mutuam dant, intelligetur permiſſum ſolis Hebrais Campſoribus, qui uti tales a Conſolatu agniti fuerint, & intelligetur de ipſorum pecunia tantum, non autem de illa, quam a Chriſtianis acciperent eum pacto, ſive expreſſo, ſive tacito, ut eandem communi lucro collocent. Si quando contingat, aliquem Chriſtianum mutuam dare, aut quovis modo tradere Hebrais pecuniam, ut certam, vel incertam partem capiant ejus lucri, quod Hebrais permittitur; utrique uſurarii habebuntur, & adverſus ipſos pœna ſupradicta agetur*.

33. Nunc uno intuitu complectamur tot etiam civiles leges tot in regnis, ac provinciis latas, quæ uſuram de medio tollere niſæ ſunt, ut ne tamen rem neceſſariam tollere, nec perniciem Reipublicæ, aut commercio inferre Legiſlatores crediderint. Si quis adhuc ſecus exiſtimet, is ſe tot ſapientiſſimis Legiſlatoribus, ac Deo ipſo, qui omnibus prævivit, ſapientiorem præſtet, ac præferat, neceſſe eſt. Quam præſumtionem non ferendam ſi nemo adverſariorum ſibi arrogat, deſinant, quæſo, iis maledicere, qui cum uſuram divina, ac naturali lege vetitam demonſtrant, veram neceſſitatem, quæ illam licitam, nec damnandam probet, nequaquam agnoſcunt. Quod ſi omnibus ejuſmodi legibus praxim opponas, in qua ſemper uſura adhuc contra leges irrepſit, lateque propagata eſt; id fœneratorum duritie, ac pravitate factum cogita, unde alia quoque vitia certiſſime illicita inundant, quæ tamen humanæ ſocietati, ac Reipublicæ neceſſaria nemo dixerit. Quidquid enim ex malitia hominum, qui legibus parere nolunt, evenit, voluntarium, non neceſſarium eſt: & ſi quidem publicæ rei nonnunquam intereſſe credatur, in aliorum neceſſitatem aliquod malum diſſimulare, ne quid pejus contingat, ex neceſſitate ejuſmodi malum eſſe non deſinit, quod malum eſt.

*Argumentum ex dictis concluditur.*

Id

Id autem multo magis valet in fœnore, quod cum in solis necessitatibus hominum, qui alias mutui opem non invenirent, necessarium dici possit, in iis profecto necessitatibus licere dicendum esset, ex quibus lucrum quærere vel per ipsos adversarios non licet. Extra has vero necessitates sicuti non vera necessitas est, ita necessitatis objectio prorsus inanis. Quare ut hanc disputationem paucis concludam, huc tota adversariorum argumentatio, quam a necessitate publica ducunt, tandem recurrit, ut vel usuram licitam adstruant in vera necessitate, in qua ipsi quoque illicitam fatentur: vel necessitatis nomine licitam velint in iis casibus, in quibus vera necessitas non est: quod utrunque est absurdissimum.

## §. V.

*De necessitate nonnullorum, qui sine fœnore se lucrari, & vitam alere non posse dictitant.*

Pufendorf. de Jure natur. & gent. l. 5. c. 7. §. 12. Le Placette Traité de l'Interet. c. 1.

34. AT necessitatem quidam ingerunt nonnullorum, quibus cum nummorum collocandorum nulla via præsto sit, nisi per fœnus, hoc sibi ad vitam sustentandam necessarium clamitant. At primo, qui pecuniam habent, frustra necessitatem allegant, quam soli egentes, ac pecunia imparati, caussare queunt. Nihil ejusmodi allegasse traduntur Gentes, quibus usura interdicta, aut ignota fuit. Tot porro viæ liciti lucri pecuniosis patent, ut si diligentiam adhibeant, & serio agant, nullam suppetere rarissimum sit. *An non multa*, inquiebat S. Joannes Chrysostomus Hom. 56. al. 57. in Matt., *sunt negotiationes agrorum, gregum, armentorum &c.*; adde societatum, censuum, emtionum cum pacto de retrovendendo &c. Vereor, ne usuræ commodum, aliorum contractuum, qui diligentiorem curam requirunt, inquirendorum, negligentiam afferat. Si civili lege severissimis pœnis vetitæ essent usuræ, nemo tantas aliorum contractuum difficultates ingereret. Diligenter quærentibus, aliquid citius, vel serius suppetet, in quo pecunia utiliter, ac licite collocetur.

35. Quod si adhuc nihil horum vere paratum inveniant, aut satis idoneum, aut aliunde fortassis impediantur, ne contrahant; num idcirco ad usurarium lucrum recurrendum est? Satius erit, si egeant pecunia uti in victum, eamque sensim consumere, quam illicito reditu conservare. Deus, si in illo confidunt magis, quam in pecunia, de cetero providebit. Interim vero dum pecuniam quis habet, unde providere sibi in necessariis queat, necessitatem allegare nullo modo potest. Ad summum ex pecuniæ consumtione sequetur necessitas. Hæc ne sequatur, aliqua justa via quærenda est, non autem injusta: eaque si non suppetat, lucro per se injusto, & usurario utendum non est. Num ejusmodi necessitas licitum, ac justum efficere potest, quod per se illicitum, & injustum, divino, ac naturali jure est? Hac ratione se excusare plures possent; & meretrices, & lenones, & sicarii, cum aliunde vivendi copiam non habent. In quam rem præclare admodum S. Augustinus Enarr. in Ps. 128. n. 6. *Audent etiam fœneratores dicere: Non habeo aliud, unde vivam. Hoc mihi & latro diceret deprehensus in fauce; hoc & effractor diceret deprehensus circa parietem alienum .... Quidquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent unde viverent; quia inde se pascerent: quasi non hoc ipsum in illis maxime puniendum est, quia artem nequitia delegerunt, unde vitam transigant; & inde se volunt pascere, unde offendant eum, a quo pascuntur.* Hinc jure Gregorius XIII. in Apostolicis literis ad Bavariæ Du-

Videsis hoc documentum in fine hujus operis.

Ducem an. 1581., postquam contractum in Germania usitatum usurarium esse definivit, ut hanc objectionem praecideret, qua perdifficilis praesertim in Germania traditur alia via pecuniae aliter collocandae, & aliunde pecuniae utiliter collocandae necessitas inculcatur ad vitam sustentandam quorundam miserabilium, qui lucrari alias nequeunt, haec maxime notanda subjecit: *Qua etiam ex caussa nemini, sive diviti, sive pauperi, & quantunvis miserabili persona hujusmodi contractum celebrare, lucrumque ex illo acquirere, aut retinere licet*. Indignum ergo, & inane est, quod quidam obstrepunt de pupillis, de viduis, de locis piis, quibus alii contractus nisi usurarii non suppetunt. Si ita esset, ut ajunt; paucis respondet Pontifex, *non licere*. Cetera omnia experiantur, & auctoritatem, si opus sit, publicam, & Principis etiam implorent: si tamen nihil proficiat, ex hac sola necessitate licitum fieri nequit, quod per se alias non licet.

36. Atque de tutoribus, & curatoribus fortassis oppones, qui alicubi pecunias pupillorum utiliter collocare debent; secus ex proprio damnum resarcire legibus cogentur. Hinc, ubi alia via praesto non sit, in foenore eas pecunias ab iisdem collocari, legibus quoque exigentibus, necesse est. Id quidem olim ad tutorum, curatorumque negligentiam prohibendam cautum fuerat antiquis Romanis legibus. Sed cum haec foenerandi necessitas viros vere Christianos, *quicunque Dei memoriam habeant*, a suscipienda tutela, vel cura removeret, eam necessitatem Justinianus sustulit Novel. 72. cap. 6. Sicubi vero haec necessitas adhuc imponatur, nulla suscipiendae tutelae, vel curae necessitas erit, & exemplo eorum, qui Justiniani tempore *Dei memoriam habebant*, citius declinandum erit ab hoc munere, vel cum Principe, aut judice (si cogat) agendum, ut hanc necessitatem removeat. Certe usuram in pupillaribus pecuniis quaesitam non licere pluries definitum est, & in Canonibus, & in Synodis, & idcirco quidem toties definitum, ne forte ex legibus ad pecuniam pupillarem utiliter collocandam adigentibus id licere crederetur. Idem est de pecuniis in pia opera ad annuum reditum ex testamento collocandis. Si omnia diligenter quaerantur, & nihil pateat, nisi quod illicitum, & usurarium est; eas non collocare foenore nulla erit apud Deum culpa, qui illicita in pium opus agi vetat. Nullum itaque nullius necessitatis argumentum est, quod usuram purget.

## CAP. II.

### *De aestimatione ejus, quod interest in contractu mutui.*

### §. I.

*Quam late ad omne mutuum adversarii id, quod interest, extendant, eoque nomine usuram universim licitam probare conentur.*

1. Cum adversarii videant, ex mera necessitate usuram haud posse fieri licitam; si alias licita probari nequeat, ad justos titulos confugiunt: inter quos cum *id, quod interest* omnium consensu justissimus sit, in omni mutuo *interesse* aliquid affirmant, ut in omni mutuo aliquod lucrum, seu usuram aliquam licere defendant. Huic quidem titulo plerique ipsorum insistunt, ut usura honestatem, ac justitiam vindicent. Primo Molineus tract. de Usuris n. 25. hunc titulum unicum affirmat: *Ad hoc ut liceat aliquid exigere, vel stipulari supra sortem in mutuo, unica caussa est duntaxat, quia est verum, & justum interesse ipsius creditoris*; & num.

num. 75. hoc tantum sensu usuras probatas affirmat, quatenus *in compensationem ejus, quod creditoris interest, vel, quod fors datur, interesse poterit, stipulantur*. Nota non solum *interest*, verum etiam *interesse poterit*, quod postremum latius intellectum in omni mutuo reperiri potest. Hinc Grotius Comment. in Lucam c. 6. v. 35., ubi, usuram propugnat licitam, hoc defensionis argumentum *ex eo, quod interest* ponit. *Dictat natura non teneri quenquam prodesse alteri cum detrimento suo: at is, qui pecunia ad tempus caret in gratiam alterius, poterat eam in agros, aut domos impendere, ac medii temporis percipere fructus; quos si quis dicat incertos, illud ipsum tamen incertum (ut omnis alea) suum habet pretium, ita ut vendi quoque soleat*. Ubi poterat idem est, ac id, *quod interesse poterat*. Et paullo post, praestituta regula aestimandi ejus, quod interest, *non ex eo, quod intersit accipientis, sed ex eo, quod absit danti*, subjicit: *Abest autem tantum, quantum quisque pro vita sua genere ex pecunia compendii facere potest, ac solet, puta ex agris, ex domibus, ex mercatura, detracta aestimatione periculi &c.*

2. Similiter Salmasius, qui lib. 1. de Foenore Trapezitico p. 275. *quod utriusque interest, praeipue pecuniam aestimari* tradit, etsi in Libro de Usuris pro pecuniae usu usuras juste solvi contendat; id tamen cap. 8. p. 197. ad illud quod creditoris interest, refert: *Sed nec pro usu tantum usura accipiuntur, verum etiam pro eo, quod creditoris interest non carere sua pecunia, qua in gratiam debitoris caret*. Quin pag. 198. eam ipsam mercedem pro usu pecuniae, in qua usuram constituit, non de pretio usus debitoris explicat, sed de pretio ejus, quod creditoris interest pecunię usu non carere: *In mutuatione foenebri*, inquit, *res alia pro re restituitur, & praeterea pro usu rei mutuatica merces quoque, qua proprie usura, quanti interest creditoris, hunc usum non sibi potius reservasse, sed alii concessisse*. Similiter c. 7. p. 175. *Qui pro ejus usu mercedem*, hoc est usuram *paciscitur, non pro officio eam exigit, quod nullum est, sed pro eo, quod sua putat interesse, pecunia sua usu non carere*. Et pag. 176. exponens illa L. 13. D. *De actione emti, & venditi: Aequissimum est, eum usuras pretii solvere: Hoc quidem aequissimum fateor*, inquit, *sed pro compensatione rei, qua fruitur emtor deberi non tam existimo, quam pro pecunia ipsius usu, ejusque compensatione*; & ex sequentibus loqui eum patet de usu pecuniae, quo creditor pecuniam, si ea non caruisset, utiliter collocasset: unde nullam usuram esse lucrativam, sed omnem compensativam contendit, qua id, quod interest, compensatur: *Compensativa igitur omnis usura, ut quod interest, pensetur. Hinc omnem usuram in idiotismo Gallico* interesse *vocamus: &* pecuniam dare ad interesse, *idest foenore*. Dein multa addens de notione ejus, quod interest, *in quo lucri cessantis, aut damni emergentis ratio habenda est*, lucrum cessans ad lucrum possibile, & omnibus mutuationibus commune sensim perducit, ut in omni mutuo usurę locum inveniat: *Pecuniam*, inquit p. 178., *si non foenore occupavero, multis aliis modis quaestuosam mihi facere, & exercere potero, aut agris mercandis fructuosis eam occupando, aut mancipiis emundis, quorum operas diurnas locem plus mihi reddituras, quam quanti est usura pecunia foenore locata. Nemo denique tam est locuples, ac pecuniosus, quem dicere possis, nihil omnino ejus interesse pecuniam habere praesentem &c.*; ubi potestatem collocandae pecuniae, cum libuerit, idest lucrum cessabile potius, quam cessans fusius inculcat. Huc quoque spectant illa c. 10. p. 610. *Aequitas* po-

*postulat pensari ei, qui mutuum dedit, quod interest ejus, non posse uti are suo, eum velit.*

5. Similes titulos lucri cessantis, ac damni emergentis allegat Pufendorfius, aliique usurarum patroni, ut usuræ justitiam præferant: nec desunt, qui se Catholicorum auctoritate muniant, quibus iidem tituli probantur, iisdemque simul etiam succensent, quod usuræ nomen refugiant in his titulis, qui ab antiquis usuræ attributi fuerant, unde nulla eorundem apud Patres exceptio, sed omnes usuræ damnati, sive qui cum aliquo titulo, sive qui sine titulo ullo lucrum ex mutuo perciperent. In his, quæ fusius ex adversariis recitanda fuerunt, quod antea dictis utilia sint, ita vera cum falsis mirifice confunduntur, ut ex nonnullis veris, quæ admixta sunt, falsa quoque probabilia videantur. Si tamen separentur singula, quid verum, falsumve sit, facile dignoscetur.

## §. II.

*Quod vere interest, est lucrum cessans, & damnum emergens; ejusque pretium justa æstimatione definitum restauratio damni est, non autem usura, nisi improprie. Patres hunc verum titulum non taxarunt usura.*

4. Quod primo tradit Molinæus, titulum licite exigendi aliquid supra sortem in mutuo *unicum duntaxat* esse *verum, & justum interesse ipsius creditoris,* ultro concesserim. Cum enim de dignoscendis justis titulis ab injustis agitur, ea mihi regula maxime placet, omnibusque recte judicantibus satis æqua, & certa videri debet, *quicunque titulus in pecunia mutua justus, & æstimabilis est, eundem esse justum, & æstimabilem in pecunia, qua rapina, vel furto sublata est; qui autem in hac nec justus, nec æstimabilis est; neque in mutua pecunia justum, & æstimabilem esse,* simili plane ratione quam Lib. V. c. 5. §. 5. in aliam rem consideravimus. Cum nimirum fur ex crimine nequeat beneficium obtinere, qui exinde potius magis gravandus est; nequit ex furto se liberare a titulo, qui per se justus, & æstimabilis sit. Titulus itaque, qui justus, & æstimabilis est in mutuo, hanc justam æstimationem non amittit ex furto, ne fur cum justæ æstimationis jactura commodum referat ex culpa, unde pœnam potius, & damnum mereretur: eademque ratione titulus, qui in furto justus, & æstimabilis non est, nequit æstimari in mutuo, ne melior, quam mutuatarii sit furis conditio, quæ deterior esse deberet. Potius cum ex culpa deterior esse debeat conditio furis, quam mutuatarii, & si nemo teneri possit ex justitia, nisi ad æstimationem eorum titulorum, qui justi sunt; poterit tamen mutuatarius ad illam non semper teneri, quando fur tenetur; quando autem fur non tenetur, ille teneri non poterit. Hinc ubi de justis titulis sermo est, illud inter mutuatarium, ac furem intercedit, quod mutuatarius de nullo titulo, quamvis justo, tenetur, nisi convento, & ex conventionis quidem mensura, quæ summam æstimationem non respicit; fur autem de omni justo titulo, etiam non convento, & ad summam ejus æstimationem tenetur. Si vero agatur de titulo, qui in fure justus non sit, nec æstimabilis pretio, unde ad æstimationem ejus non obligetur; hic titulus justus in mutuatario esse non poterit, nec æstimationem justam ulla conventione recipere; ac propterea mutuatarius juste obligari nequi-

Regula generalis de dignoscendis justis titulis ab injustis.

quibit ad solvendum pretium ejus tituli, qui nec justus, nec æstimabilis est.

5. Qua regula præmissa, si consideremus titulos omnes in pecunia rapta, nullum inveniemus justum, atque æstimabilem esse, & haberi ab omnibus, nisi *id, quod interest* creditoris: unde in foro conscientiæ solam æstimationem lucri cessantis, & damni emergentis fur præter sortem restituere cogitur. Nullus ergo alius titulus in mutuatario justus, & æstimabilis reperietur, ex quo supra sortem exigi aliquid in mutuo possit. Qui vim argumenti comprehenderit, evidens erit; simulque cognoscet, plures titulos, quos justos in mutuo nonnulli prædicant, nisi ad id, quod interest pertineant, justos, & æstimabiles non esse, quemadmodum in furto nihil æstimantur. Sola pœna ex mora difficultatem afferre potest, quæ ab eo, quod interest, maxime discrepat. At hæc, ubi proprie accipiatur tanquam criminis pœna, quæ æquius in furto locum habet, in mutuo autem non habet, nisi ex culpa certis conditionibus definita, ne fraudi obnoxia sit; hæc, inquam, non commutativæ, sed vindicativæ justitiæ est; unde nec ad titulum justum, & æstimabilem commutativæ justitiæ proprium pertinet, de quo nobis in præsentiarum est sermo.

Tituli justi & æstimabiles duo tantum sunt in mutuo. Vide infra c. 3. n. 12.

6. Porro *verum, & justum interesse* duo complectitur, lucrum cessans, & damnum emergens, uti definitur L. 13. D. *Rem ratam haberi*, & L. unic. C. *De sententiis, quæ pro eo, quod interest, proferuntur*. Hos quidem titulos, si de vero damno emergente, lucroque vere cessante, non autem de possibili accipiamus, æstimabiles pretio nemo negaverit: & sicut in rapina, & furto, ita & in mutuo justam æstimationem recipiunt. Enimvero cum nemo (nisi charitas aliud postulet) mutui beneficium præstare debeat cum suo damno; ad damnum autem referatur non solum damnum, quod vere redit ex mutuo, quam lucrum, quod mutuo vere intercipitur, (damni enim species est quidquid lucri amittitur L. 2. §. 11. D. *Ne quid in loco publico*) is, cui beneficium præstatur, juste cogi potest, ut damnum ejus caussa obveniens compenset, atque resarciat. In qua æstimatione ne quid injuste geratur, nonnullæ cautiones adhibendæ, quibus nihil, præter justam lucri cessantis, aut damni emergentis æstimationem exigatur; id enim, quod supra hanc æstimationem est, nullo justo exactum titulo, injustum, & usurarium esset. Hinc Pontifices monuere potius petendum esse minus, quam plus; & Principes legibus caverunt, ne supra certum modum exigi queat, etiamsi forte eorum titulorum æstimatio major judicetur: quæ tamen æstimatio si modo legibus definito vere sit minor, ipsa legum taxa exigenda non erit, ne quid supra justam æstimationem exactum, injustum sit, & ad usuram pertineat. Alias prætera cautiones Theologi allegant, inter quas illa non omittenda, quam ipse Gerardus Noodt usurarum patronus maxime observandam proponit L. 2. de Fœnore c. 6., ne scilicet alia pecunia otiosa sit, ex qua æque id, quod interest, obtineri possit: *quia non videtur*, inquit, *abesse quod æque potuit ex alia pecunia . . . . . contingere*.

Id quod interest quid vere sit, & quatenus æstimabile.

7. His autem conditionibus servatis, cum eò tota summa redigatur, ut qui horum titulorum caussa aliquid petit supra sortem, meram indemnitatem suam petat, ac intendat, non autem lucrum ex mutuo; palam est hunc non petere, nec intendere usuram proprie dictam, quę lucrum ex mutuo definitur. Sic quoties fur præter restitutionem sortis rependere cogitur quantum damni passus est creditor, usuram solvere non dicitur. Ratio est manifesta, quia ejusmodi indemnitas non est pro-

Id quod vere interest non est usura.

proprie lucrum, quod ex mutuo proveniat, sed est mera restitutio, ac restauratio ejus, quod ex mutuo detractum, vel impeditum fuit: idque cum alias sine mutuo nobis adfuisset, ita ut mutui lucrum, seu usura dici non posset; tum vero nec mutui lucrum, nec usura dici potest, quod mutuo detractum, aut impeditum, in restaurationem ejus justam juste rependitur.

Refellitur Salmasius ex aliis usurarum patronis.

8. Ex his autem patet, quam perperam Salmasius, & nonnulli alii usuram vere esse contendant, quod horum titulorum nomine ex justa æstimatione in mutuo convenitur, & penditur. Salmasio Molinæum oppono, qui ea invicta ratione, quam attulimus, devictus, in Tract. de Usuris scripsit n. 5. *Usura dicitur minus proprie, pro eo quod ultra sortem accipitur in mutuo, non propter officium mutuandi, sed propter aliam justam caussam, puta propter indemnitatem mutuantis; & hac ..... cessante fraude, vel excessu .... non est vera, & formalis usura, sed ejus, quod interest, legitima, & aquabilis pensatio.* Similiter Gerardus Noodt usurarum & ipse patronus L. 1. de Fœnore c. 5. id confirmat ex celebri lege 60. D. *Pro socio*, ubi simile genus usurarum ex mora *non quasi usuras* solvi Labeo respondit, *sed quod socii interfit moram eum non adhibuisse*; in quæ ille verba observat, usuram proprie dictam non posse appellari, quod non lucri, sed indemnitatis caussa solvitur: *Labeo te ad usuras*, inquit, *mibi teneri voluit, sed non quasi ad usuras, sed quod mea intersit, idest non quasi ad quaestum, quem intendam, & quo usura censetur, sed quasi ad restitutionem utilitatis, quam scilicet creditor percepisset*. Vide Hugonem Grotium L. 2. de Jur. Bell. & pacis c. 12. §. 21., & Guillelmum Amesium l. 5. de Conscientia c. 44. n. 3., qui adeo æstimationem ejus, quod interest, ab usura distinguit, ut usuram proprie collocet in lucro quæsito *vi ipsius mutui, ad excludendum*, inquit, *lucrum, quod alio titulo accipi potest, ut in compensationem damni emergentis, vel lucri cessantis. Cujus generis lucrum vocari solet quod interest, & ab usura, & fœnore distingui.*

Id quod interest quatenus appelletur usura.

9. Neque refert, quod in Romanis legibus hæc lucri cessantis, aut damni emergentis æstimatio, quando de mutua pecunia agitur, usura appelletur. Id enim, ut Noodt laudato loco observat, idcirco accidit, quia ea æstimatio, cum difficilis, & varia in praxi sit, ac pluribus fraudibus etiam obnoxia, expediendarum litium, & fraudum impediendarum caussa ad usurarum modum taxata fuit: unde usura proprie non est, quæ ex solo taxationis modo usuræ nuncupationem accepit: *Usura dicitur, quia volebat Labeo, quod sociis interfit censeri modo usurarum, suadente utilitate expediendarum rerum &c.* & idcirco *non quasi usuram, idest non quasi lucrum, aut quæstum, sed quasi id, quod interest* Labeo appellans, id, quod interest re diversum ab usura hoc ipso judicavit. Ceterum si usuram ex abusu placeat vocare; hoc usuræ genus, quod compensatorium est, non autem lucrum ex mutuo, licitum concedemus, quin dicamus licitam usuram proprie dictam, quæ lucrum ex mutuo definitur. Hinc nonnulli Catholici usuras compensatorias a lucratoriis distinguentes, has solas illicitas docere non dubitant.

Impropria nuncupatio.

S.S. Patres eundem titulum non damnarunt.

10. Neque inanem, atque commentitiam hanc ejus, quod vere interest, defensionem traducas ex Patribus, quasi hi omnem pecuniæ accessionem usuram damnarint, nulla ejus, quod interest habita ratione, ut quidam adversariorum objiciunt. Id enim ex ipsis Patribus probare possum omnino falsum. Nam præterquam quod damnantes usuram, lucrum quidem ex pecunia, non

au-

autem restaurationem lucri cessantis, aut emergentis damni perstrinxisse ipsa eorum testimonia produnt: nonnulla etiam ipsorum expressa loca suppetunt, in quibus se de *inutili*, & *otiosa* pecunia loqui testantur, ex qua scilicet cessante nihil damni impensurum judicatur. *Inutile tibi argentum da non gravans illud accessionibus*, inquit Basilius in Ps. 14. S. Gregorius Nyssenus in Oratione contra fœneratores, hos dolentes inducit, *ob argentum domi repositum, quod otiosum est, & infructuosum*. S. Hilarius in Ps. 14. n. 15. *Quid otiosam pecuniam tuam in reditum componis?* ubi P. Coutancius *otiosam* supplevit ex Vaticano codice; & in Veronensi antiquissimo, ac Auctori fere coævo idem legitur. S. Ambrosius de Tobia c. 2. n. 8. fœneratorem alloquens, *Da pecuniam*, ait, *si habes: prosit alii, quæ tibi otiosa est*. Lactantius l. 6. Institut. c. 18. *damnum* excipiens, *Justus*, ait, *nec inquinabit se hujusmodi quæstu, ut sine ullo* (Nota) *suo damno idipsum quod commodat, inter bona opera numeretur*. Similia leguntur apud alios, ex quibus ii reprehensi noscuntur a Patribus, qui ex pecunia alias *otiosa*, & *inutili sine ullo suo damno* usuræ lucrum caperent. Non ergo casus lucri cessantis, aut damni emergentis, in quibus otiosa, aut inutilis non fuisset pecunia, cogitarunt, & multo minus usuræ damnarunt. Quod si non exceperunt casus ejusmodi, id factum est, quia ipsis propositi non fuerunt; nec in praxi ita faciles sunt, ut adversariis placeret; nec fere, ubi etiam sunt, ita spectari ex æquo soleant, ut usura vitetur. Facile enim contingit, ut ubi taxatio legibus præscripta æque semper exigitur, quod Patrum ætate fiebat; justa æstimatio ejus, quod vere interest, nequaquam servetur: ac præterea facillime evenit, ut ex hac æquabili praxi ibi etiam, ubi lucrum cessans, aut damnum emergens intervenit, id, quod supra sortem petitur, non uti restauratio justa petatur, sed ut lucrum pecuniæ, idest tanquam usura, ita ut lucri cessantis, aut emergentis damni titulo nihil suffragante, tota usuræ malitia animum occupet: tum enim solum usura vitatur, inquit S. Petrus Cœlestinus opuscul. 9. part. 10. *cum interesse ..... petitur causa damni vitandi, non lucri captandi*, seu *dummodo*, ut ait Molineus tract. de Usuris n. 28. *illud interesse non sit pretextu usura, nec ut negotietur, vel locupletetur creditor ex mutuo, sed duntaxat indemnis servetur*. Quot vel hodie in praxi ex iis etiam, qui justum titulum habent, hoc nomine vere usurarii sunt, cum re ipsa non restaurationem damni, sed lucrum pecuniæ, idest usuram intendant, negotiationis speciem in usura collocantes; veluti ex ea lucrari liceat; quod S. Ambrosius, aliique Patres maxime condemnarunt! Ex hac autem condemnatione, qua practici casus fere usuræ notati fuerunt a Patribus, agnoscitur quidem non ita facile, nec passim diluendas esse usuras nomine ejus, quod interest; at ubi verus sit, vereque æstimetur hic titulus, eos hunc titulum usuræ adhuc damnasse inferri ex dictis non potest. Certe si iisdem hic casus fuisset propositus, quo quis pecuniam nec inutilem, nec otiosam habens, eamque mutuam credens cum vero emergente damno, vel lucro cessante, sincere meram restaurationem, non autem lucrum postulasset; baud dubito, quin hunc usuræ vitio absolvissent. Hæc de eo, quod interest, quatenus verum lucrum cessans, aut damnum emergens significat.

§. III.

*Lucrum, & damnum possibile non censetur proprie nomine ejus, quod interest, ejusque aestimatio nulla est: unde perperam ab adversariis obtenditur, ut justa defendatur usura, quae in omni mutuo percipitur.*

11. SI hisce limitibus continerentur adversarii, cum usuram defendunt; re convenirent nobiscum, & solo usurae nomine improprie usurpato discreparent. At cum extra hos terminos excurrentes, *ejus, quod interest* nomine non solum lucrum cessans, aut damnum emergens, eorumque justam aestimationem, atque restaurationem intelligant, sed etiam lucrum, & damnum possibile, quod omni mutuo commune est; iisdem non possumus assentiri. Cum enim ii tituli nullam justam aestimationem, & compensationem recipiant; verum lucrum ex mutuo, ac usuram veram, & injustam eo nomine tectam illi defendunt, quod probari non potest. Enimvero si quis damnum, quod potuit pati ex privatione pecuniae, passus vere non sit; num damnum emergens subiisse dici potest, cujus restaurationem mereatur? Si quis item lucrum, quod ex pecunia poterat facere, vere non fecisset, etiamsi non caruisset pecunia; num lucrum cessans allegari potest, quod justam aestimationem, ac restitutionem requirat? In furto quidem haec nihili fierent, nec fur cogeretur quicquam hoc nomine rependere; quod ii tituli aestimabiles non sint. Solum lucrum, quo quis vere alterius caussa caruit, & solum damnum, quod vere passus est, reparari debet, non autem quod potuit contingere, re autem non contigit: nam *hoc, quod rerum inducitur, damnum, hoc reddatur*, inquit Justinianus L. unic. *De sententiis, quae pro eo, quod interest, proferuntur*. Hinc etiam Gerardus Noodt l. 2. de Foenore, & usuris c. 6. fusius agens de justa aestimatione ejus, quod creditoris interest, non lucrum, quod cessare potuit, sed quod vere cessavit, aestimandum monet. *Debet enim creditor petens id, quod sua interest ex mora debita pecuniae, probare quantum petit, tanti sua revera interesse .... idest idcirco sibi tantum abesse, quia ei data non sit pecunia debita. Sic enim coarctanda res est, quia quaestioni est utilitas pecuniae non qualiscunque, sed ejus, de qua agitur. Illa vero, quae est, nisi certo haberi possit, atque ex ea pecunia, quae debetur, adeo si quid percipi quidem potuerit;* ( nota ) *sed ita ut etiam potuerit non percipi, etsi aliqua, etiam magna, fuerit ejus spes, id in aestimatione ejus, quod interest, pro eo, quod abest, non habetur: tantum quia non probat creditor se habiturum fuisse, quod an habiturus fuerit, incertum relinquit.* Adeo aestimatio ejus, quod interest certum lucrum cessans requirit, ut aestimatio incerti lucri, quod adesse quidem potuit, sed potuit etiam non adesse, in foro externo non aestimaretur. Sola quidem probabilitas, quae moralem certitudinem pariat, sufficit, ut probabilitatis majoris, vel minoris ratione habita lucrum aestimetur, sicut in iis contractibus effici solet, in quibus futurum negotiationis lucrum, vindemia, aut messis futura venditur. At possibilitas sola non sufficit, nec quod possibile est sive lucrum, sive damnum pro cessanti lucro, vel pro damno emergenti computari potest, ut adversarii faciunt, qui, lucri cessantis nomine id, quod lucrari quis posset, & damni emergentis id, quod quis posset detrimenti capere, in aestimationem adducunt. Haec si non aestimarentur in fure, nec in mutuatario aestimari queunt.

12. Sed probabilia cuipiam fortasse

tasse videbuntur, quæ Salmasius in hanc rem scribit cap. 7. de Usuris p. 176. ubi id, quod interest *non solum*, inquit, *ex præsenti occasione considerandum est, sed etiam ex ea, quæ potest accidere, quamdiu mea pecunia caruero. Quo tempore tibi meam pecuniam dedi mutuam, poteram fortasse ea facile carere. Sed ii postea casus possunt emergere, qui facient, ut præstaret meam pecuniam otiosam jacere, & paratam mihi adesse ad omnia accidentia, sive ad lucri adlucescentis captationem, sive ad damni impendentis evitationem, sive jam præsentis reparationem. Ecce enim aut prædii emendi mihi pretio occasio se obtulit, quam inopia præsentis pecuniæ dimittere sum coactus, cujus prædii fructus majus mihi compendium attulissent, quam pecunia credita, & fœnore posita usura. Hic lucri cessatio vertitur. Quid autem si interim, dum argentum meum fœnore occupatum tenetur, ædes meæ incendio consummatæ fuerint, aut ruinam ex vetustate minari cœperint, quibus reparandis nisi statim occurram, triplo major labes processu temporis futura est. Si æs ad manum non sit, quo eas instaurem, & mutuum cogar eo tempore sumere, quo res nummaria erit carior, & proinde tum majoribus usuris invenienda mihi pecunia, quam quanti mea collocata est, an non hic damni certe emergentis species oborietur? Multa alia fingi possunt.* Vere quidem *fingi* dicuntur, cum casus ex eo, quod possint contingere, licet nulla probabilitas sit, fore ut contingant, adhuc tamen eventuros comminiscimur. Nunquid autem ex imagine, ac fictione incerti lucri cessantis, vel damni emergentis certa ipsorum restauratio peti juste potest? Num in fure ejusmodi casuum possibilium, quos eventuros possumus fingere, ratio, & æstimatio habetur? Atqui licet ficti neque probabiliter præsumti, contingere tamen de facto poterunt; &, si contingant, lucrum erit vere cessans, & verum damnum emergens. Insto, Quid, si non contingant, ut probabilius quidem est? Tum nullum lucrum cessans, nullum emergens damnum erit: & interim hoc nomine certa restauratio exigetur? Nonne fraus aperta proditur, qua non alio consilio hi casus incerti ingeruntur, nisi ut certa restauratio, seu potius certum lucrum, idest vera usura, hoc nomine semper petatur, sive casus contingant, sive non contingant? Quod postremum cum sit probabilius, probabilius etiam futurum erit, ut restauratio, quæ petitur, non vera restauratio lucri cessantis, aut damni sit, sed verum lucrum ex mutuo, & vera usura. Cum in rebus istiusmodi, quæ ex futuro facto pendent, pretium taxatur, justitia pretii ex probabilitate, non autem ex possibilitate derivanda est, ita ut eatenus pretii modus juste statuatur, quatenus ratione habita probabilitatis majoris, vel minoris majus, vel minus pretium definitur. Ubi nulla probabilitas est, ibi nullius pretii æstimatio locum habet. Et si præter probabilitatem præsentem casus aliquando accidat; id sorti, & accidenti deputandum, quæ nullam prudentem, ac præsentem æstimationem recipiunt apud eos, qui ut prudenter æstiment, uti hominum est, ex præsenti probabili judicio, quod plerumque verum erit, non ex rarissimo casu fortassis futuro æstimare debent: secus mille fraudibus humana societas in aliis quoque contractibus pateret.

13. Sed urget Salmasius. *Pone nihil tale mihi eventurum, quandiu pecunia mea penes te manebit. Quia tamen potest evenire, merito id possum timere, & in incertum rei eventum, quo jacturam detrimenti inde mihi occursari, aut lucri cessaturi dispendium compensatione farciam, usuras pro usu pecuniæ, quæ in tuâ* De usuris p. 177.

 *gra-*

*gratiam, ut commodis tuis inserviam, sponte careo, jure stipulor.* Immo *injuria*; palam enim non meram, ac justam restaurationem lucri cessantis, aut damni, quæ æstimationi horum justæ respondeat, hoc nomine stipulari vult, sed mercedem, & lucrum ex *usu pecuniæ*, quod usurarium, & injustum vidimus. *Id, quod interest* hoc casu mercis color, & fucus, non autem justus titulus est. Scio quidem leges taxasse certum ejus, quod interest modum, ne ex una parte fraudarentur, qui hunc titulum habent, ex alia vero ne hujus tituli æstimatio cupiditate, ac fraudibus in infinitum augeretur, ut ex Gerardo Noodt superiori libro observavimus cap. 3. At hæc cautio pro externo foro satis æqua nihil suffragatur in foro conscientiæ, nisi pro vera, ac justa æstimatione ejus, quod interest, mera compensatio quæratur. Si quid hoc titulo præter æstimationem præsentem inpræsentiarum exigatur, cum id justæ compensationis loco saltem ex præsenti æstimatione non sit, verum lucrum, & usura est, iniquum certe ejus tituli pretium, quod præsentem ejusdem æstimationem excedit. Præclare Grotius in eo ipso Commentario in Lucam c. 6. v. 35. ubi usuram defendit. *Cum vetatur omne πλεονέκτημα, Dubium non est, quin exigatur a nobis* ἡ ἐν τοῖς σωαλλάγμασιν ἰσάτης. Quare sicut *ex hac lege ne vendere quidem rem suam licet, nisi æquo pretio; ita nec pro pecunia usu plus pacisci, quam quo detrimentum sarciatur.* Detrimentum, inquam, verum, non fictum, non possibile, ita ut quod petitur, mera indemnitas, & restauratio sit, non lucrum, non usura; unde etiam Molinæus in tract. de Usuris n. 28. ad legitimum *ejus, quod interest* titulum hanc conditionem exigit: *Dummodo illud interesse non sit prætextu usuræ, nec ut negotietur, vel locupletetur creditor ex mutuo, sed duntaxat indemnis servetur.*

In incerto eventu res ab ipso eventu definienda ad futurum tempus citius remitti poterit, quam ut quidpiam certum pro incerto inpræsentiarum statuatur cum periculo satis probabili fore, ut hac specie, & colore aliquid lucri, & usuræ, non mera restauratio, & compensatio exigatur. Ad summum cum de lucro cessanti, aut emergenti damno agitur, quod a futuro eventu pendet; dum non solum præsens certum, sed probabile etiam lucrum cessans, aut damnum emergens in æstimationem cadat; ex probabilitate, non ex possibilitate æstimatio facienda est, & ita ex bona fide citra ullam fraudem facienda, ut non aliud petatur, nisi quod meram restaurationem, & nihil amplius obventurum judicetur. In adversariorum autem computatione cum semper aliquid eo nomine exigitur, id exigitur, quod restaurationis mensuram, & æstimationem excedit, ac perinde injustum pretium, & non vera restauratio, sed verum lucrum, & usura vera exigitur, quæ ex recta æstimatione ejus, quod interest, non absolvitur, ut illi vellent, sed potius damnatur. Hinc convertere adversus istos libeat reprehensionem, quam Gerardus Noodt l. 2. de Fœnore, & usuris c. 12. Catholicis Theologis perperam impingit. *Sub colore ejus, quod interest quid aliud, quam fœnoris, usuraque vis, ac potestas comprehenditur?* Quod si de laxioribus quibusdam Theologis intelligat, qui ut in praxi ab usura omnes purgent, lucrum cessans, aut damnum emergens ubique facillime ingerunt; hi non approbantur ab Ecclesia, quæ omnem fraudem semper detestata est. Si autem id reprehensionem meretur in hisce Theologis, qui lucrum cessans, & damnum emergens vident, ubi non est, ut usuram, quam damnant, amoveant; multo magis in adversariis damnandum

Notabile pro incertis casibus.

dum, qui eum colorem, & fucum, uti judicant, obtrudentes, eosdem titulos ubique comminiscuntur, ut usuram universim exinde vindicent, atque defendant.

## CAP. III.

### *De periculi titulo.*

### §. I.

*Quatenus ab adversariis obtrudatur. Quod periculum æstimabile pretio sit. Cujus sit periculum in mutuo, & cur creditoris periculum non est æstimabile.*

1. Titulo ejus, quod interest, Salmasius in Libro de Usuris c. 7. periculi titulum subjicit, immo ad id, quod interest tanquam damnum his verbis quodammodo refert pag. 178. *His accedat periculum, quod frequenter incurrunt, qui* pecunias *suas dant mutuas, ex cessione bonorum debitoris, & decoctione. Qui in hoc se periculum demittit, nonne usura, quas exigit, compensativa habenda sunt ejus damni, cui multi quotidie sunt obnoxii, & cujus metu ipse non est vacuus, nisi pignoribus, & hypothecis, aut sponsoribus idoneis securitati suæ consuluerit? Quæ & ipsa omnia interdum fallunt.* Etiam Hugo Grotius Epist. 153. ad Salmasium huic titulo calculum adjecit. *Accedat aliquantulum pro periculo, quod & ipsum æstimari solet in contractu suscepti periculi.*

2. Etiam in hoc periculi titulo, qui si ad usuram purgandam in mutuo valeret, maxime valeret, in pauperrimorum mutuatione, ubi maximum periculum est, ut pluribus deinde observabo; in hoc, inquam, titulo aliquid veri, quod falso immiscetur, fucum facit. Si enim in damnorum periculis, quibus mutuantes se exponunt, eorundem compensationem consideremus cum Salmasio, nihil justius cogitari potest. Cum autem compensatio idem sit ac restitutio, seu restauratio damni; ut hæc juste exigatur, primo non merum periculum sine damno, sed reale damnum, quod restaurandum sit, requirit: dein ab iis solis exigenda, qui damnum intulerunt, non autem ab omnibus, qui etiam nihil damni peperere: ac tandem id solum ejus caussa exigendum, quanti damnum æstimatur, non autem præterea aliquid, quod damni æstimationem excedens, ad restaurationem non pertineret. Si hæ omnes conditiones servarentur in taxando periculi pretio, quatenus mera damnorum compensatio haberetur, nihil repugnarem. At cum singulæ desint, nonne patet hoc compensationis, & restaurationis nomine lucrum injustum exigi, sive quia exigitur ex solo periculo sine damno, sive quia ab iis etiam exigitur, qui nullum damnum intulere, sive quia non mera restaurationis æstimatio, sed ulterius exigitur, ita ut non meræ damnorum reparationis, sed lucri, & usuræ intentio hoc nomine tecta satis prodatur?

3. Enimvero si mera reparatio damni in vero periculo sincere spectaretur; cum damnum vel ex mala debitoris fide, vel ex infortuniis, & futura impotentia evenire possit; horum cautio esset quidem idonea sponsio, aut pignus, aut hypotheca, non autem obligatio lucri, de qua ex iisdem caussis æquale periculum est ac de obligatione capitalis, vel de utraque nullum: lucrum enim frustra speraret, qui de capitalis restitutione vere diffideret, cum præsertim accessio supra sortem tanquam lucrum computari non possit, nisi capitale restituendum præsumatur. Gentes quidem, cum malis nominibus pecuniam credebant, ut de periculo, ac damnis idonee caverent, non lucrum

crum, sed fidejussores, hypothecas, vel pignora postulabant, ut idem Salmasius observat. c. 10. de modo usurarum: ratione ipsa dictante, in ejusmodi periculis non lucri stipulationem, sed memoratas cautiones damnum præstare. Qui autem nihil de cautione sollicitus, cautioni lucrum supponit, si de capitalis periculo vere metuat, satis ostendit, se nolle cavere de damno, quod timet, sed hoc nomine supra æstimationem damni velle lucrari: nimirum non illud tantum animo præfert, ut hac via meræ restaurationi prospiciens, capitale integrum præstet; sed ut hoc titulo supra restaurationem damnorum plus aliquid in dies acquirat per mutuum: quod solo (uti nunc agitur) damnorum, ac restaurationis nomine purgare nequaquam licet.

4. Quod si non meram compensationem damni considerari velis, sed ipsius æstimationem periculi, *quod & ipsum*, ut Grotius subdit, *æstimari solet in contractu suscepti periculi*; iniquus esset, qui *periculum suscipere* in aliis contractibus æstimatum justissime, in solo mutuo æstimatione dignum negaret. Hinc in casu cap. *Naviganti de usuris*, quo quidam mutuum negotiatori nautæ dedisse traditur, ut simul navigationis periculum in se susciperet pacto suscepti periculi pretio, nihil injustum est, si fraus omnis absit, ac proinde nisi legendum ibidem sit, *usurarius non est censendus*, ut ex contextu nonnulli contendunt; ex mera fraudis præsumtione usurarium *censeri*, idest præsumi, plerique sentiunt, cum per se periculum suscipere justo pretio æstimabile negari non possit. Enimvero si quis citra fraudem periculum rei, cui alias non obligatur, ita suscipiat, ut si quo casu pereat, ejus resarciendæ debitum assumat, nonne hoc onus pretio æstimabile est? Hoc itaque periculum, quod *periculum juris* quidam appel-

Periculum in æstimabile est.

lant, si in omni mutuo intercederet, justum esset in omni mutuo *suscepti periculi* pretium: uti hoc unum periculum in omnibus contractibus periculi suscepti juste æstimatur.

5. At si casum Capitis *Naviganti*, aut alium similem excipias, quis, rogo, est, qui in mutuo pecuniæ, aut alterius rei mutuo traditæ periculum ita suscipiat, ut illam suo periculo præstare, ac restituere in omni casu debeat? Ipsum Salmasium si interrogo, mutuatarius, respondet, qui illam consummendam accepit; non autem mutuans, qui dedit: unde omnem jacturæ casum, quicunque contingat, ad eundem quoque mutuatarium, non autem ad mutuantem spectare observat. Sic enim lib. de Usuris c. 8. p. 221. *Periculo igitur eius* (debitoris, seu mutuatarii) *esse æquum est, qui jam illud velut proprium possidet, non illius, e cujus dominio, & potestate exiit.... An debet esse periculo creditoris id, quod dat perdendum, aut consummendum arbitrio debitoris?* Et post pauca ad hoc mutuatarii periculum statuendum allata, de periculis damni hæc subjicit pag. 222. *Si aliquod ipsi damnum fatale contingit, ut vel ruina, vel incendio, vel vi latronum, vel quocunque alio casu rem suam* (mutuatarius) *amittat, sibi imputet, non ei, ad quem res amplius non pertinet, sed pro qua, quodcunque sit eventurum, aliam ex pactione restituere obligatus est.* Ecce non solum periculum a mutuatario susceptum, sed & periculi damna ad mutuatarium pertinere vi ipsius mutui palam fatetur. Qui ergo mutuanti jus esse potest, ut justum pretium exigat suscepti periculi, quod non ipse, sed mutuatarius suscepit? Quod si consideres, vi mutui periculum, quod prius erat mutuantis, in mutuatarium transire, ut idem Salmasius ex ipsis legibus fatetur in disquisitione de mutuo pag. 59. allega-

Non adest in mutuo ex parte creditoris.

legata L. 26. D. *Depositi*; ubi habetur. *Ergo transit periculum ad eum, qui mutuum rogavit*. (Vide aliam legem p. 65.) num suscepti periculi pretium is juste exigere dici potest, qui non solum non suscipit in se periculum, sed rejicit in alium, & ab eo quidem, in quem rejicit, exigere, ac tandem exigere vi ejus contractus, quo idem periculum a se repellit, & in alium rejicit? Nonne hæc omnia injustissimam ejusmodi exactionem demonstrant?

Periculum facti non est æstimabile. 6. Neque periculum urgeas non ita rarum perdendæ aliquando sortis nihilominus atque mutuatarius periculum cum obligatione susceperit. Hoc enim periculum, quod *facti periculum* appellatur, præter mutui naturam, & obligationem contingens, infortunio imputandum, ac forti, quæ cum in ceteris contractibus non æstimetur, quid æstimabitur in mutuo? Profecto cum in praxi mutuum contrahitur, licet fortassis de periculo aliquo generatim timeatur, tamen in singulari quovis contractu, nisi charitatis præceptum moveat, iis fere solis mutuum creditur, qui solvendo futuri æstimantur; nam, ut notavit Plutarchus in opusculo *de vitando are alieno: Egeno pecuniam nemo credit;* & rationem affert Basilius in Ps. 14. *Pauperes fidem minime inveniunt*. Fatuitati tribuit Salmasius in disquisitione de mutuo p. 131. si quis aliter pecuniam credat, idque *raro*, immo *certe nunquam* evenire testatur. Casus tamen accidunt nonnunquam præter omnem opinionem, & fidem. Nam, ut idem ait, *nemo potest omnes casus prævidere: & multa eveniunt, quæ faciunt, ut is, qui sumsit mutuo, nihil habiturus sit, unde in posterum restituat, quod debet. Quid si solum rueret? Pauci effugerent ruinam. Quid? Nonne in his, quæ tenemus ipsi, & per nosmetipsos possidemus, improvisa multa accidunt, quæ nos fortunis evoluant? Incendia, clades, ruina, naufragia, hostium invasio, vis latronum, furta &c.* Hi certe casus præter opinionem contingentes, nullam æstimationem merentur in cœteris contractibus e. g. emtionum, in quibus ex præsenti æstimatione, non autem ex inopinatorum casuum periculo pretium definitur. Id autem multo magis valet in mutuo, ubi de æstimatione periculi agatur. Nam cum in mutuo mutuatarius periculum omne in se suscipiens, de omni casu, & damno se obliget; iniquum esset pretium periculi ab eo petere, qui de omni periculo cavet.

p. 128.

7. Res manifesta fiet ex contractu trium contractuum, qui ita in mercatoris gratiam ineatur, uti mutuum in mutuatarii gratiam contrahitur. Petrus ex. gr. Paulo mercatori ducatos centum tradit in societatem negotiationis, iisdem negotiationis periculis, sicuti & spei lucri jure societatis expositos. Hic primus est societatis contractus, ex quo Petro jus competit in lucrum, quod e negotiatione proveniens, huic capitalis portioni continget. Porro hoc lucrum, quod futurum speratur ex. gr. ducati duodecim annui, sed incerti, eidem Paulo mercatori ab eodem Petro venditur ducatis octo certis: qui alter contractus dicitur venditio majoris lucri incerti pro minori certo. Tandem ex his octo ducatis certis quatuor ipsi Paulo remittuntur pro cautione, seu assecuratione, ut vocant, capitalis ab omnibus negotiationis periculis, quibus vi societatis expositum est: & hic est tertius ille contractus, in quo ducati quatuor perinde remissi, ab hujus trini contractus defensoribus pretium justum habentur periculi juris, quod ad Petrum pertinens, a Paulo suscipitur. Ita quatuor adhuc ducati certi Petro superesse dicuntur juste societatis jure; quod justum ne vero sit, an non, in aliud (*) opusculum remittimus. Interim in hoc

* Vide opusc. De pe[…]

*tiationem fra-denda.*

hoc triplici contractu æque sane Paulo obligatio est de periculis omnibus capitalis, ac in mutuo fit: sed hac obligatione nihil suffragante, æque pariter in hoc contractu triplici, ac in mutuo capitale obnoxium est iisdem facti periculis, cum æque possit Paulus sive ex malitia, sive ex infortuniis decoquere & fidem fallere, ac si eos ducatos mutuos accepisset. Si hæc autem facti pericula pretio çstimabilia essent in mutuo; æque æstimabilia pretio essent in trino contractu; ac proinde nihil opitulante cautione, & obligatione Pauli, Petrus ita posset ab eodem pro his facti periculis quatuor ducatos exigere in contractu triplici, uti exigi posse dicunt in mutuo, in quo par cautio, & obligatio est de periculis omnibus: quod enim Petrus exigit jure societatis, ob hæc facti pericula haud exigi tradunt. Sic demum ducati quatuor Paulo remissi pro cautione capitalis, seu pro suscepto periculo juris, repetendi essent, adeo ut inanis Paulo cedat omnis ejusmodi cautio: quod vel per ipsos trium contractuum defensores iniquum dicetur. Quid ita? Quia videlicet mera pericula facti, ubi juris periculum nullum sit, çstimabilia pretio non sunt. Aliam rationem, si vel per annum cogites, haudquaquam invenies. Si autem ea facti pericula in triplici contractus pretio non æstimantur; quid æstimabuntur in mutuo?

## §. II.

*Evidens ratio affertur, qua paritate periculi in pecunia furto subrepta confirmatur, & demonstratur.*

8. HUjus autem pretii iniquitas multo evidentius patebit, si rationem consideres, qua pretium periculi suscepti justum est. Ut enim justum sit periculi pretium, oportet is, qui pretium exigit, periculum in se suscipiat, ut alium a periculo liberet: nemo enim pretium periculi solvit, nisi ut se eximat a periculo: secus inutiliter solveret: injusteque prorsus quis cogeretur ad solvendum pretium ejus periculi, cui æque subesset, ac si nihil solvisset. In omnibus contractibus *de periculo averso*, ut vocant, vel *de suscepto periculo*, non aliud pretium justum habetur, nisi quo periculum suscipitur ab ea parte, cui pretium solvitur, ab alia vero parte, quæ solvit, *avertitur*. Ubi id non fiat, nullum periculi pretium justum est. Quodcunque igitur sit periculum ejus, qui mutuum dat, si exacto periculi pretio mutuatarium non liberet a periculo ullo; iniquum est pretium, quod periculi nomine exigitur. Ita si quis in casu capitis *Naviganti* navigantem non liberaret a periculo, si quando navis periret, & nihilominus periculi pretium nullo suscepto periculo exigeret; injustum periculi pretium exigere ab omnibus diceretur, quodcunque alias periculum aliis mutuationibus simile ex navigante metueret. In contractu itaque mutui, cum mutuatarius vi ejusdem contractus ad restitutionem obligatus, nullo casu, periculo nullo ab obligatione solvendi liberetur; nullum justum periculi pretium haberi potest.

9. Explicabo id fortasse clarius ex obligatione mutui, qua si non suscipiatur a mutuante periculum, mutuatarius ad restitutionem capitalis in omni eventu obligatur. Hac obligatione qui tenetur, sicut hoc ipso de toto capitali restituendo, ita & de omni ejusdem capitalis damno, seu de omni æstimatione damni tenetur: damni enim summa æstimatio circa solum capitale, de quo nunc tantummodo loquimur, supra totius æstimationem capitalis non est. Porro capitalis periculum, quod non est, nisi periculum damni cir-

circa capitale, æstimabilius esse nequit ipso reali capitalis damno; nam certum damnum, ceteris paribus, semper magis, quam solum quodcunque periculum æstimatur. Itaque summa periculi æstimatio supra summam æstimationem totius capitalis esse non potest. Quidquid ergo supra totius capitalis æstimationem exigitur ratione periculi, uti fieret in exactione annui lucri; supra summam periculi æstimationem exigitur, ac proinde justum esse non potest. Sic nimirum magis exigitur pro capitalis periculo, quam exigeretur pro certo totius capitalis damno, in quo nonnisi ad capitalis restitutionem agi posset.

10. Exemplo res tota patebit. Cum quis mutuos dat ducatos centum cum obligatione restitutionis, periculum perdendi centum nequit magis æstimari, quam ipsum centum ducatorum damnum. Cum porro summa hujus damni æstimatio non sit aliquid supra centum; qui se obligat ad reddendos centum, ad totam æstimationem damni se obligat; nec nisi injuste obligari posset ad solvendum præterea aliquid certi damni nomine. Cum vero periculi summa æstimatio non sit major summa æstimatione damni; qui se obligat ad reddendos centum, sicut ad damni, ita & ad periculi totam, ac summam æstimationem se obligat: ita ut si periculi nomine obligetur ad solvendos præterea ducatos quatuor annuos supra centum, plus ex periculo, quam ex damno obligatus, supra justam æstimationem periculi gravetur.

11. Hæc vera sunt, posita mutuatarii obligatione ad restituendum capitale, a qua obligatione si ille aliquo saltem casu liberetur, ut in casu Capitis *Naviganti*, tunc pretium supra capitalis æstimationem exactum, cum a casu, & conditione fortuita pendeat, cui mutuatarius non obligatur (unde si navis periclitetur, nec capitale, nec pretium periculi ille solvere cogitur) incerta sit hujus pretii, & capitalis ipsius alea; ac propterea illi justum obvenit periculi pretium, si bene cedat res, ad quem, si male res cederet, non tam pretii, quam capitalis damnum spectaret, quemadmodum in aleæ ludis accidit, ut paragrapho sequenti dicemus. At ubi mutuatarii obligatio capitale in omni casu integrum præstat, nec periculum ullum a creditore suscipitur; tunc obligatio capitalis cum simul sit obligatio omnis damni, & periculi omnis; tum etiam est obligatio ad omnem & damni, & periculi æstimationem, ita ut quidquid supra eam obligationem imponatur oneris, supra omnem & damni, & periculi obligationem, & æstimationem impositum ad injustitiam pertineat.

12. Ex his autem luculentius patet, quam inane sit, quod adversarios opponentes audivimus superiori paragrapho, ex obligatione capitalis nequaquam impediri plura pericula facti, quæ sane æstimationem merentur. Nam præterquamquod hæc non impediuntur addita obligatione lucri (difficilior enim fit restitutio cum lucro, quam sine lucro) cum quæritur, quanti hæc ipsa pericula æstimentur, ut justa pro iisdem obligatio debitori imponatur; deprehenditur non magis hæc damni pericula æstimari posse, quam capitalis damnum æstimatur; ita ut obligatio ad capitale, & omne capitalis damnum æqua obligatio sit pro periculo omni, unde nihil amplius æstimari, aut exigi juste possit. Nihil igitur æstimabile creditori est capitalis periculum in mutuo, nulloque pretio dignum supra æstimationem ipsius capitalis, ac mutui.

13. Rationem hanc, per se licet manifestam, confirmabo ex paritate furis, ac regula indicta cap. 2. §. 2., quæ totam rem plane evidenter demonstrabit. Pecuniæ periculum

culum, quam fur ignotus surripuit, majus esse periculo pecuniæ, quæ mutuo data est, nemo ignorat. Rarissimi casus restitutionis furum præ frequentioribus mutuatariorum restitutionibus, illud periculum quantum præstet, luculenter ostendunt. Convenit autem inter omnes Theologos, ipsis etiam adversariis consentientibus, furem ejusmodi, cum ad pœnitentiam accedit, ad restitutionem quidem capitalis obligandum, non autem ad solvendum præterea aliquid titulo ejus, quantumvis majoris periculi, in quod pecuniæ dominum ex culpa conjecit. Nec æstimabilem itaque pretio, nec justum hunc periculi titulum, qui periculi pretium mereatur, omnes agnoscunt. Talis autem si est hic titulus in fure, cur in mutuatario æstimabitur, ac justus habebitur? Neque reponas, idcirco non æstimari in fure, quia de eo titulo cum fure nulla obligatio contracta fuit, quæ contracta præsumitur cum mutuatario, ut obligetur. Ubi enim de justo titulo sermo est, id unum (ut allegato loco innuimus) inter mutuatarium, & furem discrepat, quod ille non tenetur de ullo etsi justissimo titulo, nisi convento, fur autem de omni titulo justo, etiam non convento, tenetur; uti sane etiam sine conventione tenetur de lucro cessante, aut damno emergente, si quod incideret, quippe quia damni emergentis, & lucri cessantis tituli per se æstimabiles, ac justi sunt. Si vero agatur de titulo, qui pretio æstimabilis, ac justus non sit; nulla conventio mutuatarium obligare posset, & æque is quavis conventione non obligaretur, ac fur sine conventione non obligatur. Par igitur ratio est mutuatarii, ac furis, quoad naturam tituli, sive justus, sive injustus sit: & solum conventio justo titulo adjicienda in mutuatarii favorem, quæ in fure ex crimine necessaria non est. Itaque si fur non obligatur ad solvendum quidquam pro periculo, uti obligaretur pro lucro cessante, vel damno emergente; id non aliam habet caussam, nisi quod periculum ejusmodi per se justus non est titulus, nec æstimabilis pretio, sicut titulus lucri cessantis, aut damni emergentis justus, & æstimabilis est. Si porro periculum pecuniæ raptæ longe majus, æstimabile pretio non est, qui esse poterit æstimabile mutuaticæ pecuniæ periculum minus?

§. III.

*Idem explicatur, & confirmatur ex Salmasio, ac ex lege Scevolæ de periculi pretio: item ex lege Rhodia.*

14. Insignem dictorum confirmationem suppeditat ipse Salmasius in libro de modo usurarum c. 9. ex lege Scevolæ Digestis inserta sub titulo *De nautico fœnore*, in qua periculi pretium ubi, & quatenus justum sit, definitur: *Periculi pretium est*, inquit lex, *etsi conditione quamvis pœnali non existente recepturus sis, quod dederis, & insuper aliquid præter pecuniam, si modo in alea speciem cadat: veluti ea, ex quibus conditiones nasci solent; ut si manumittas, si non illud facias, si non convaluero &c. Nec dubitabis, si piscatori erogaturo in apparatum plurimum pecuniæ dederim, ut si cepisset, redderet, & athletæ, unde se exhiberet, exerceretque, ut si vicisset, redderet. In his autem omnibus & pactum, sive stipulationem ad augendam obligationem prodest.* Duo in hanc legem maxime observanda Salmasius considerat. Primo legem hanc sub titulo *De nautico fœnore* fuisse propositam propter affinitatem periculi, quod in utroque themate ad creditorem pertinet. Ita enim pecuniæ trajectitiæ periculum, si navis pereat, a mutuante suscipitur, uti in casi- p. 349. 350.

bus

bus hac lege recensitis suscipitur ab eo, qui pecuniam credidit, si conditiones eventus incerti minus respondeant. Dein pretium periculi, quod in accessione aliqua supra sortem ponitur, his solis periculis, quæ ab incerto eventu pendent, & aleam habent, tribui observat: ubi pro eo, quod in editis corrupte legitur, *si modo in alea speciem non cadat*, deleta particula *non* importune inserta, sic corrigit: *si modo in alea speciem cadat*. Et expuncta Molinæi emendatione *in aliam speciem*, suæ correctionis ad Scevolæ mentem accomodatæ rationem affert satis æquam, quia sine alea non daretur periculi pretium: *Nisi hic contractus in alea speciem quandam caderet, nullum in eo daretur periculi pretium. Ubi alea non est, nec ulla eventus futuri incertitudo, nullum etiam periculum inde timeri potest. Periculi, inquit, pretium est, etsi conditione quantumvis pœnali non existente recepturus sis, quod dederis, & insuper aliquid præter pecuniam, si modo in alea speciem cadat. Certe nec periculum esset, nec periculi pretium in pactionem deduceretur, si res in alea speciem non caderet.*

p. 350.

15. En conditio necessaria ad pretium periculi, *si modo contractus in alea speciem cadat*. Aleæ autem species intelligitur, si (quod in ludis aleæ evenit) periculum utriusque sit, utrinque lucri spes. Ita in casibus lege Scevolæ indicatis *sub alea*, inquit Salmasius, *pecuniam suam credit, qui piscatori eam expendit in apparatum piscationis sumtus facturo, ut si capiat aliquid, eam reddat cum augmento; si nihil capiat, quod dedit amittat creditor. Similiter & qui athleta, unde alat se, & exerceat, eadem lege dat, si vicerit, redditurо; si victus sit, omne retenturo*. Ad justitiam porro ejusmodi contractuum, ut justum periculi pretium recipiant, haud satis est utrinque periculum, & utrinque lucri, seu pretii spem suppetere, sed oportet inter periculum, & lucrum, seu pretium, proportionalis servetur æqualitas, ne qua pars præ alia magis gravetur. Ut autem hæc æqualitas servetur; vel æquale debet esse utrinque periculum, & periculi pretium, seu lucrum item æquale; vel si inæquale sit periculum, hinc majus, hinc minus, medium proportionale pretium inveniatur oportet, ut quantum ex una parte augetur de periculo, tantum augeatur de pretio &c. quę proportionalis æqualitas a doctissimis Mathematicis demonstrata est, Christiano Hugenio *de ratiociniis in ludo alea*, Remundo de Monmort in Teutamine Gallico *de ludis eventus fortuitis*, Jacobo Bernoulli in opere posthumo *Artis conjectandi*, ac Abraham de Mojure in *doctrina sortis*, seu *methodo computandi probabilitatem eventuum in ludis*: unde plurium ludorum inæqualitas, ac injustitia detegitur. Hinc ergo ad æqualitatem, ac justitiam servandam inter periculum, & periculi pretium, quod aleæ speciem refert, utraque pars in spe aliqua proportionalis lucri esse debet, sicuti in damni periculo est. Contractus omnes, qui in lege Scevolæ periculum, & periculi pretium in aleæ modum utrinque suscipiunt, proportionalem ejusmodi æqualitatem habere debent ad justitiam tenendam, ut Salmasius ibidem fatetur. Et similiter in mutuo nautico, quo periculum a creditore suscipitur, & periculi pretium periculi proportione habita ita definitur, ut si bene cedat navigatio, pretium obtineat creditor, & navigans pretium perdat; si autem male cedat, creditor sortem amittat, & navigans a restitutione sortis liberatus quodam modo lucretur; ex æqualitate proportionali utrinque servata inter lucrum, & damnum, contractus justus est, & pretium periculi item justum. Si autem hæc æqualitas, & justitia læditur, ubi pe-

p. 354.

periculum damni, & lucri, seu pretii spes utrinque sane sunt, sed æqualia non sunt: quid in iis contractibus accidet, ubi una pars semper in periculo, nunquam in spe lucri sit, immo damnum certissimum obire semper cogatur? Id autem in vulgari mutui contractu evenit, vi cujus, periculo a creditore non suscepto, mutuatarius, si periculi pretium cogatur solvere, ex una parte nunquam casu ullo liberatur ab obligatione restitutionis, & ita nunquam potest lucrari; ex parte autem alia semper debebit solvere pretium periculi, idest certum damnum sine ulla lucri spe subire; quo nihil inæqualius, ac injustius excogitari potest. Quæ isthæc, quæso, aleæ species est? Quod si ubi non est veræ aleæ species, nullum esse periculi pretium Salmasius ex Scevola definit; nullum esse potest pretium periculi in vulgari mutuo, in quo aleæ species nulla est.

16. Neque creditoris periculum opponas; hoc enim, nisi in aleę speciem cadat, etsi periculum aliquod dicendum late sit, cum tamen vi contractus de omni periculo mutuatarius caveat, nec a Scevola, nec a Salmasio, nec in legibus de periculi pretio agentibus periculum habetur, aut certe non tale, quod in aleæ speciem cadens, justum mereatur periculi pretium. Hinc sane, observante eodem Salmasio, apud Romanos, & Græcos inter maritimum, & terrestre mutuum illa fuit distinctio, cum alterum alteri opposuerunt, nauticum communi, &

p. 26. terrestri ἀπὸ τῦ ἔγγυυ, quod istud *tantum est, ac securum creditori, cum illud contra periculo ipsius eat.* Inter multa, quæ id discrimen statuunt, & a Salmasio observantur c. 3. & 5. de modo usurarum, celebris est locus legis Rhodiæ, ubi maritima pecunia in nautico mutuo *tuta, & sine periculo futura creditori ne-*

c. 3. p. 79. *quaquam scribi* jubetur; *quæ vero in agris, aut urbibus,* idest mutuo terrestri, *mutuo dabuntur, secura,* inquit lex, *& ab omni periculo vacua conscribi, ac repromitti liceto:* ubi *securitas* ab obligatione debitoris in omne periculum derivatur. Vide apud eundem Salmasium plura. Huic autem duplici mutuo duplex respondebat fœnus, terrestri, quod pro terrestri, & nauticum, quod pro nautico mutuo solvebatur. Illud autem terrestre fœnus, quod communes usuras pendebat, cum terrestre mutuum spectaret, τὸ ἔγγυον appellatum, p. 17.

idest *tutum, & sine periculo*, creditori non erogabatur pro periculo, quod ex obligatione creditoris non censebatur periculum, nec justo periculi pretio habebatur dignum; sicut pro periculo solvebatur fœnus nauticum, quod mutuum nauticum creditoris periculo obnoxium respiciebat. Itaque, ipso assentiente Salmasio, Romani, & Græci, etsi usuræ patroni, communem usuram tanquam periculi pretium solvi non posse putarunt in eo mutuo, in quo debitor creditori obligatur, nec in eo periculum, quod creditori superest, quicquam fecere, quod pretio æstimabile sit. Interim si omnia circumspicias, & conferas, cognosces illud solum periculum in mutuo & a Salmasio, & a Romanis, ac Græcis æstimabile pretio habitum, quod a creditore suscipitur, debitore liberato, ut in nautico mutuo accidit; unde etiam hoc mutuum in aleæ speciem cadit: cum autem creditor periculum non suscipit, nec creditorem liberat; alea sublata, periculum, quod creditori superest, æstimabile habitum non fuit, ut in vulgari mutuo evenit; unde una omnium ratio ad eam, quam superiori paragrapho attulimus, revocatur.

§. IV.

§. IV.

*Appendix de periculo probabili, & extraordinario, nec non de periculo difficilis exactionis, & expensarum in restitutionem procurandam.*

17. Quæ hactenus a ratione, & confessione ipsius Salmasii, ac jure ipso Ethnicarum gentium de periculo disseruimus, ita universim probant nullum periculum facti, de quo scilicet mutuatarius vi mutui obligetur, esse æstimabile pretio, ut nullum, ne extraordinarium quidem, aut probabile facti, periculum pretio æstimabile sit. Omnia enim æque cuivis periculo facti etiam probabili, & extraordinario congruunt, ita ut solum juris periculum, quod scilicet quis in se recipiens, mutuatarium liberet, æstimatione, ac pretio dignum agnoscatur.

18. Hæc velim attente considerent quidam, ceteroquin catholici, quibus pericula extraordinaria in mutuo æstimabilia videntur. Nisi rationibus allatis æquam responsionem, & idoneum discrimen extraordinarii (*) probabilis periculi peculiare afferant, nihil conficient. Ve-

(*) Præter documenta & rationes allatas in textu, quibus periculum facti etiam *probabile* nullum titulum justum parerem evidenter, ut arbitror, demonstratum est; haud omittendæ videntur pro praxi duæ observationes, quas proposuimus Prælectione II. in partem 2. S. Antonini §. 26. n. 4. Primo si casum excipias mutui, quod egeno in necessitate ex charitatis præcepto detur cum periculo vere probabili, cujus caussa nihil lucri ab eo exprimendum vel ipsa charitas jubet; si hunc casum, inquam, excipias; etsi in ceteris mutuis periculum aliquando præter opinionem verificetur; cum tamen in ipso mutuo singillatim contrahendo non prævideatur; nec credatur futurum (secus mutuum non fuisset contractum, vel de eodem fuisset melius aliunde cautum) possibile solum idem periculum in quovis singulari mutuo stipulando apprehenditur, non autem vere probabile; ut ne certum periculi pretium statuere sub ea opinione liceat, quin vere pro possibili, uti tum in eo particulari contractu creditur, non autem pro probabili periculo, & damno statuatur; quod vel per auctores, quos nunc impugnamus, usurarium debet concedi: solum enim probabile periculum vindicare nituntur, non autem possibile, quod omnibus mutuationibus intrinsecum, atque commune, extraordinarium non est, & si valeret, usuram penitus vindicaret. Neque refert, quod in hoc, vel illo mutuo periculum reipsa fuerit probabile, etsi in ineundo contractu non apprehenderetur: nam contractuum stipulatio circa id, quod cognoscitur, tota versatur, adeo ut id, quod non apprehenditur, etsi forte insit, æstimabile non sit. Secundo accedit, quod si justum esset pro periculis id genus nonnunquam contingentibus aliquid exigere ad damnum reparandum; id ab iis esset exigendum, qui spem, & opinionem fallunt, ac in caussa sunt damni, non autem ab iis, qui obligationem ex fide præstant, integramque sortem restituunt: nam, ut S. Antoninus in pari objectione observavit part. 2. tit. 1. c. 8. §. 2. *Justus non debet ferre pœnam iniqui, seu mali creditoris;* unde concludit: *Ab illis ergo, qui in termino non solvent, exigat recompensationem sui damni, non ab aliis.* Injuste igitur hoc periculi nomine cum quibusvis etiam bonis

Vereor, ne pericula juris a facti periculis non satis distinguant. Certe in Scriptura, ac Patribus probabilia, & extraordinaria quædam pericula facti judicantur, nec tamen æstimatione digna habita sunt, cum lucrum eo adhuc in casu perceptum usuræ damnarunt, nec periculi titulo putarunt excusandum: adeo nulla æqua responsio, discrimen nullum probabilium periculorum facti peculiare suppetere posse videtur. Fœneratoriam nimirum negotiationem plenam periculi semper fuisse, in qua multi *argentarii* (idest fœneratores publici mensas ad mutuum sub fœnore semper paratas habentes) subinde foro, & bonis cederent, liquet ex illis Plauti in Persa:

*Mirum quin citius jam a foro argentarii*
*Abeunt, quam in cursu rotula circumvertitur.*

Hac de caussa non pauci, præsertim apud Atticos, insignes fœneratores malebant minori cum lucro alias artes obire, quam fœneratoriam cum lucro majori, ne tot periculis essent obnoxii; & idcirco cum inter filios Passionis Trapezitæ in partienda hereditate paterna Apollodoro natu majori esset optio, num mensam fœneratoriam, an scutariam eligeret, scutariam, idest fabricandorum clypeorum officium, quamvis minus utilem prælegit; & prudenter, inquit Rhetor: *Scutaria enim possessio sine periculo; at mensa quæstus est, ejus redditus sunt ancipites, utpote ex pecuniis alienis.* Saltem mali debitores semper fuere non pauci, & inter hos nonnulli omni ævo extiterunt, de quibus æque ac nunc timeri plurimum poterat, ne vel pravitate, vel impotentia, vel alio quocunque casu capitale non restituerent unquam. Horum hominum meminit Sacra Scriptura Eccli c. 29., & alibi sæpe pauperum meminit, a quibus præsertim extraordinarium, ac probabilissimum periculum imminet: nec tamen hos saltem casus Deus in Scripturis excipiens, lucrum his quoque casibus exactum usuræ damnavit.

Vide Salmas. de Fœnore trapez. l. 3. p. 138.

19. Eòdem recidit celebre testimonium Christi Luc. 6. v. 35. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, ubi is veterem mutui gratuiti legem non tam confirmaturus, quam perfecturus, ut in hac quoque parte Christianorum justitia Pharisæorum justitiæ præstaret, jussit dari mutuum non iis solum, a quibus,

bonis debitoribus agitur, qui pro damno capitalis ab aliis corrasi satisfacere cogantur. Jure ergo hunc periculi titulum Scriptura, & Patres, etsi maxime noffent, vel nihil, vel pro usuræ pallio habuerunt; cum quibus S. Bernardinus Senensis tom 2. serm. 39. art. 1. c. 3. n. 3. eam excusationem non probavit, qua tradebatur, capitale per mutuum *multis periculis amittendi exponi*; immo illud indubitate affirmavit, *perinde esse ex hoc periculo lucrari, ac ex solo mutui actu*. Sunt qui S. Thomam opponunt, a quo 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5. periculi titulus probatur. At qui hæc opponunt, mire confundunt periculum cum periculo, nec observarunt periculum, de quo S. Thomas ibidem loquitur, esse periculum ejus, qui negotiationis aleæ pecuniam exponit. Id autem periculum *juris* est, non *facti*, & illud solum S. Thomas uti justum lucri titulum probavit, sicuti & nos paullo ante illud uti justum recepimus: ut ne tamen exinde argui queat pro periculo *facti*, quod unum cadit in mutuum, quodque omnino æstimabile non esse, & in mutuo nihil licere eo nomine exigere, & sacris testimoniis, & argumentis prorsus evidentibus demonstrasse nobis videmur.

bus, si non lucrum lege vetitum, saltem capitalis restitutionem sperarent, ut Hebræi faciebant, sed illis etiam, a quibus summa inopia laborantibus sperarent omnino nihil, idest nec lucrum, nec restitutionem capitalis sperarent, quemadmodum ex contextu, & Sententiis Patrum lib. II. c. 4. latius exposui. Certe non de mera usuræ prohibitione Christus hoc loco egit, ubi Hebraicæ justitiæ perfectionem adjecit: usuram enim vitabant etiam Hebræi, qui *τὰ ἴσα*, *aequalia*, idest capitale tantum recipiebant ex versu 34. Illud, quod Christus hoc loco addidit pro perficienda Christianorum justitia, in hoc situm est, quod cum Hebręorum vulgus tantum daret mutuum, ubi nullum periculum metuens, restitutionem speraret; Christiani mutuum ex institutione Christi negare non debent neque iis, a quibus de restitutione, & de probabilissimo etiam ipsius sortis periculo metuant. Id in pauperrimorum gratiam pręceptum fuit. Hoc autem Evangelicum testimonium unicum est, unde usura expresse vetita ex novo Testamento probetur. Si ergo vel eo casu Christianos ab usura alienos esse Christus jussit; extraordinarium utique, atque probabile perdendi capitalis periculum adeo nihil fecit, ut eo unico loco usuram vetuerit, ubi de obeundo extraordinario periculo præcepta tradidit. Mitto infinita propemodum traditionis testimonia adversus usuram a pauperibus potissimum exactam, quibus uno consensu hæc tanto reprobatur magis, quanto pauperiores illi sunt, a quibus exigitur: cum tamen in ea sententia, quæ justum defendit probabilis periculi titulum, usura eo longius abesset, quo magis pauperes majus periculum afferrent. Quod enim ex justo titulo exigitur, a pauperrimo licet exactum, etsi immisericordię reprehendi possit; cum tamen non ex mutuo, sed ex justo titulo sit, injustitiæ, & usuræ accusari non potest. Nonne Montes Pietatis, indemnitatis, seu damni emergentis titulo, auctarium aliquod etiam a pauperrimis exigunt? Quis hoc usuræ accuset? Si ergo periculi extraordinarii titulus æque justus esset, ac titulus damni emergentis; aliquod pro eo pretium etiam a pauperibus exigere pariter liceret. Quod si ex Evangelio, & Traditione certo illicitum est; palam sequitur periculum in mutuo per se justum non esse titulum lucri. Si vero in pauperibus etiam miserrimis, ubi periculum maximum est, hic titulus non est justus; quis justum credat in aliis, in quibus minus periculum erit? Cum de usura, & justis titulis agitur, non de charitate, sed de justitia agitur; ac propterea quod in paupere non licet, nec in ceteris licet. Hæc distincte monenda fuerunt, ne quis forte hoc in titulo peculiarem pauperum caussam putaret.

20. Ceterum ut hoc magis magisque elucescat, plura afferre possum testimonia Patrum, in quibus dum usuram reprehendunt, sub eadem usurę condemnatione eos quoque casus complexi sunt, qui extra paupertatis conditionem probabilibus periculis erant expositi. Pauca brevitatis caussa indicabo.

21. Inter pericula, quę a plerisque extraordinaria, atque probabilia judicantur, est pecuniam negotiatoribus præsertim nauticis fidere. Hoc periculum, & fœneratoris ex eo solicitudinem, atque curas fuse exponit S. Gregorius Nyssenus testimoniis lib. IV. recitatis c. 5., & nihilominus fœneratoris crimen perstringens, lucrum hoc saltem titulo exactum usuræ vitio excusandum non putavit.

22. S. Zeno noster Veronensis Episcopus alia probabilia, &, uti vulgo habentur, ęstimabilia mutuantium pericula memorat l. 1. tract. 9. n. 4. *Cum casu aliquo*, inquit, *fraus*,

*fraus, inopia, fuga, mors extorserint debitorem*: & usurę nihilosecius deputat lucrum; adeo ut damnum, quod ex hisce periculis identidem redit, justę peccati pœnæ referat: *Sic sæpe contingit* (ubi vox *sæpe* periculum non rarum indicat) *ut merito perdat etiam sua, qui desiderat aliena*, scilicet per usuram. Quibus similia legere est apud S. Leonem Serm. 16. de jejunio decimi Mensis. Hi certe ne cogitarunt quidem de justitia tituli ducti a contingentibus sæpe periculis, qui ex ipsis infelicibus periculi casibus usurę non excusationem, sed pœnam, & condemnationem potius justissimam collegerunt.

23. S. Joannes Chrysostomus Hom. 56. al 57. in Matth. n. 5. fœnerationem periculis plenam agnoscit illis verbis: *Quid est difficilius, quam fœnerari, & de usura, & pactionibus vehementer solicitum, vades quærere, & modo de pignoribus, modo de sorte, nune de syngraphis, nunc de fœnoribus, nunc de vadibus ipsis formidare?* Et paullo post frequentia indicans horum periculorum damna: *Nescis*, ait, *quot homines sortem amiserunt fœnoris expectatione, quot in pericula deciderunt?* & multos *in ultimam paupertatem* hac via devolutos testatur. Iterum post pauca cum affirmet nullam negotiationem *tot casibus* esse obnoxiam, *quot fœnus objectum est*, subdit n. 6. *Hic vero multi sæpe in ipsa sorte naufragium pertulerunt, & antequam naufragium patiantur, continuis curis anguntur*. Tota autem paragrapho hos quoque usuræ reos perstringit.

24. Similia leguntur apud Antiochum Monachum Palæstinum, qui seculo VII. in magna Laura S. Sabæ floruit. Lege Hom. 12., ubi *aliquot* sibi notos commemorat, qui *præter animæ detrimentum sortem elocata pecunia perdiderunt*. Cetera testimonia prætermitto.

25. Huic autem Scripturarum, ac Patrum auctoritati si rationes adjicias superioribus paragraphis propositas, quæ omne periculum facti ęque evertunt; difficilem illorum caussam agnosces, qui probabilia, & extraordinaria facti pericula eripere, atque subducere conantur. Paritatem quidem furis, in quo maximum pecuniæ raptę periculum est, nullo conatu auctores isti poterunt solvere.

26. At movet illos Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide pro Regno Sinarum dato Die 12. Septembris an. 1645., a qua cum quęsitum fuisset per Missionarios Sinenses tertia quæstione: *In præfato Regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiantur, absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis. Quæritur utrum Sinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans, aut damnum emergens, prædictam pro centum triginta Regni lege taxatam quantitatem accipere? Et caussa dubitationis est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet quod qui accipit mutuatum, fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit eoram judice repetere, vel propter alia ejusmodi*. S. Congregatio, deputatis ad examen Theologis, horum resolutionem probavit his verbis: *Censuerunt ratione mutui immediate, & præcise, nihil esse accipiendum præter sortem principalem: si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum, & id, quod accipitur*. Hoc potissimum, vel unicum fundamentum est, quod plures in eam sententiam deduxit, ut probabile periculum facti æstimabile pretio judicent; in hoc enim decreto probabilia facti pericula pretio æstimantur. Decretum Sinense exponitur.

27. At

27. At præpropera hujus Decreti lectione homines abreptos arbitror, dum peremtoriam definitionem hoc loco factam intelligunt, quæ facta non est, saltem in eam sententiam, quam illi sibi imaginantur. Neque ad definitionem excludendam illud afferam, Summum Pontificem eatenus hoc Decretum approbasse pro praxi, *donec Sanctitas sua, vel Sedes Apostolica aliud ordinaverit*, ut in ipso Decreto integro legitur; quæ verba Decretum non definitivum, & absolutum, quod mutari non possit, sed *provisionale*, uti appellant, in quo *aliud* alias *ordinari* fortassis poterit, habendum demonstrat. Ipsa potius Decreti hujus verba considerari velim.

De tribus periculis eo Decreto expressis.

28. Tria periculorum capita in quæstione proposita recensentur expresse, & duo quidem non ad capitalis, sed ad expensarum, & lucri cessantis periculum pertinent.

Duo non pertinent ad periculum capitalis.

Quod enim *debitor tardet in solvendo*, moræ damna, idest lucrum cessans, apud Sinenses, uti fertur, commune, atque certissimum; quod autem *necessarium sit coram judice repetere*, difficilis exactionis expensas significat, inter quas illa apud Sinenses peculiaris, quod judices illi plerunque iniqui caussam non facile expediunt, nec adjudicant, nisi iis, qui majorem pecuniæ summam sibi persolvunt: quod damnum judicio repeti nequit; ut ex literis P. Eugenii Pilloti Episcopi in partibus Chian Chen hac super re scriptis die 8. Junii an. 1739. accepi. Cum porro hæc duo pericula certo recidant in lucrum cessans, & damnum emergens: nemo difficultatem moveat ex illis quæstionis propositæ verbis, ubi præsumtum est, *non intervenire lucrum cessans, aut damnum emergens*: hæc enim conciliantur, si dicas hoc acceptum fuisse de lucro cessante, aut damno emergente contractus tempore; duo vero indicata pericula, ad damnum, aut lucrum cessans futuri temporis referri, immo ad periculum solum lucri cessantis, ac damni, quæ reipsa valde diversa sunt. Duo igitur pericula in quæstione expressa ad capitalis periculum nihil pertinent. Solum de fuga debitoris ambigi potest, num hæc saltem ad periculum capitalis referenda sit. Verum hæc ipsa, non capitalis perdendi periculum necessario significat, quod si per fugam pereat, nunquam sane fiet, ut *aliquid recipiatur*, quod ajunt, *ratione periculi*; sed ad sumtus referri potest, quatenus fugientem quærere, & invenire, ut ad restitutionem adigatur, expensas sæpe maximas devorat. Saltem ex tribus periculorum capitibus duo certe non pertinent ad periculum capitalis, unum autem utrum pertineat, incertum. Quod deinde additur, *& propter alia hujusmodi*, plura alia pericula indicare potest, quæ cujusmodi sint, nequaquam exprimitur.

De tertio dubium est, an ad capitalis periculum pertineat, & cur.

29. Notandum porro in quæstione nullam fieri mentionem periculi probabilis, nec definiri quodnam probabile sit. In responsione autem, quæ ad sola probabilia pericula restringitur, præterquamquod formula *non sunt inquietandi*, quæ in ceteris decem & sex quæstionibus exprese definitis non adhibetur, earum quæstionum propria est, in quibus nihil directe definire placet, ut ex aliis Congregationum Decretis probare liceret; etsi forte hac formula periculi probabilis titulum aliquatenus probatum velis, quodnam tamen ex indicatis periculis probabile sit, non definitur. Immo iis conditionibus circumscribitur responsio, ut non omne memoratum periculum, sed aliquod tantum indefinite probatum dici possit. Notentur diligenter verba: *Si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejus-*

Decretum de nullo particulari periculo statuit, sed generalem regulam præscribit.

*dem*, *ac servata proportione inter periculum*, *& id*, *quod accipitur*. Primum comma *aliquod periculum probabiliter* imminens, æstimatione, ac pretio dignum indicat: at conditiones, quæ subjiciuntur, atque reguntur particula *dummodo*, num omne memoratum ejusmodi sit, nequaquam declarant. Quin cum eadem Congregatio ad id decidendum *rationem haberi* velit trium conditionum, primo *qualitatis periculi*, secundo *probabilitatis ejusdem*, ac tertio *proportionis inter periculum*, *& id*, *quod accipitur*; cumque ad alios *hanc rationem habendam* remittat, ut casus decidatur; ipsam Congregationem per sese nominatim nihil decidisse, aut voluisse decidere palam est. Immo cum inter ea, quorum rationem haberi voluit, sit *periculi qualitas*, de qualitate periculi ipsa nihil definivit. *Qualitas* autem *periculi*, uti a *periculi probabilitate* secundo consideranda distinguitur, non aliud innuit, nisi *quale periculum sit*: cumque hæ conditiones subjectę fuerint propositioni *periculi probabiliter imminentis*, cognoscere de qualitate periculi hoc loco est cognoscere de qualitate periculi probabiliter imminentis, ut quale ex his æstimabile sit decidatur. Id autem indecisum relinquens Congregatio, Confessariorum, atque Theologorum apud Sinenses curæ dimisit, a quibus Sinenses in periculis probabiliter imminentibus eatenus inquietari noluit, *dummodo qualitatis horum periculorum rationem* haberent: quæ ratio fuisset superflua, si omnia pericula probabilia approbata fuissent. Hac autem prima consideratione postquam dijudicatum sit, hoc vel illud probabile periculum ęstimabile esse, tum de *probabilitate*, seu *quantitate probabili* ejusdem, ac tandem de *pretii proportione* cum periculi probabilitate decidendum Congregatio præscripsit. Ita dijudicandi regula potius fuit hoc in casu præscripta, quam peculiaris ac practica definitio. Id ne cui mirum videatur, sciat hunc esse morem Romanarum Congregationum in casibus id genus, qui non unum, sed plures casus involvunt, ac pręsertim in casibus ad contractus pertinentibus, qui nulla universali lege comprehendi queunt, sed ex circumstantiis sępe diversis diversas definitiones efflagitant. Aliarum id genus responsionum, ac praxeos earundem Congregationum peritis id notissimum est. Itaque si Congretio nihil de hoc, vel de illo periculo definivit, quis jure probatum credat potius periculum capitalis perdendi ex debitoris fuga, quam pericula alia, quę ad expensarum, idest damni probabilis, ac lucri probabiliter cessantis periculum utique æstimabile referuntur? aut etiam ad periculum aliud iis verbis indicatum, & *propter alia hujusmodi*, quę periculum aliquod juris continere queunt? Quin cum ipsum periculum ex debitoris fuga ad sumtus æque, ac ad capitalis jacturam redigi queat: quis obstinate contendat, intelligendum periculum capitalis, quod & Scriptura, & Traditione, & ratione evidenti, ipsis etiam Ethnicis, atque Salmasio fatentibus, in mutuo reprobatum vidimus? Enimvero sicut nemo speret, se *aliquid* supra sortem *accepturum ratione* periculi ab eo, quem ipsam sortem fuga subducturum probabiliter timeat; ita nemo id memorato Decreto probatum prudenter existimet.

30. Quanquam si omne probabile etiam capitalis periculum aliquatenus probatum velis; dum justa, & proportionalis pro qualitate periculi æstimatio statuatur, quę est tertia Decreti conditio, nihil contendam: pericula enim probabilia pro qualitatis discrimine variam æstimationem recipiunt. Quę autem justa, ac proportionalis æstimatio sit pro hoc, vel pro illo peri- *Si de periculo probabili definitum fuisset, quid probatū diceodum esset.*

periculo, cum Congregationis Decretum nec definiat, nec regulas præscribat, aliunde dijudicandum est. Porro illud capitalis periculum, cujus alea a creditore suscipitur, justam, & proportionalem pretii æstimationem mereri, ex qua creditor ita lucrandi spei, uti damni periculo expositus sit; illud autem, cujus aleam creditor non subeat, solam capitalis omnino indemnis æstimationem, & restitutionis obligationem pro justo proportionali periculi hujus pretio habere ex superius constitutis evidentissimum arbitror. Hæc regula, si periculis propositis applicetur, atque ex ea de singulis rectum feratur judicium, Decretum servabitur: secus Decreto frustra inhærere se dicet, qui justam, & proportionalem cujusque periculi æstimationem a Decreto requisitam non servet.

De titulo difficilis exactionis, ac periculo expensarum in exigenda sorte.

31. Enimvero id valet etiam in periculis expensarum, ac lucri cessantis, de quibus periculis Decretum maxime intelligendum videtur. In periculo probabili lucri cessantis ex debitore, qui *tardet in solvendo*, cum periculum sit juris, quod aleæ speciem refert; certum pretium proportionale qualitati periculi, & probabilitati lucri cessantis, quod in restaurationem ejus, non autem in lucrum vergat (ut dictum est de ipso lucro cessante cap. 2.) taxari potest a tempore moræ solvendum, cum lucrum probabiliter cessabit; non vero ante id tempus, cum nullum cessare præsumitur; & ab iis solis solvendum, qui moram afferentes, lucrum intercipient; non vero a ceteris, qui promte solventes nihil lucri impedient. Neque enim merum periculum lucri cessantis, quod minoris æstimatur, quam ipsum lucrum cessans, regulas habere potest ampliores illis, quas ipsi lucro cessanti præfixas vidimus. In expensarum autem, aut alterius damni periculo ex judiciis difficili exactione, aut aliis ejusmodi, quę facti pericula sunt, mera ipsorum æstimatio, non autem lucrum taxandum est; mera enim æstimatio, atque restauratio proportionale illorum est pretium: unde hanc solam probatam legi in quadam Instructione Pastorali pro contractibus, quæ plurium Italiæ Episcoporum calculo firmata, pluribusque idcirco Diœcesanis Synodis subjecta fuit. Vide illam, si placet, post celebrem Synodum Farfensem Caroli Barberini Cardinalis Romæ editam an. 1686. p. 693., & post Lucanam Synodum Cardinalis Julii Spinulæ Lucę 1681. p. 477., & alibi. Verba ipsa Latine reddita non prætermittam, quæ etsi loquantur proprie de vendendis mercibus credito cum auctione pretii pro expensarum, ac damni periculis, cum tamen id virtuale mutuum contineat, ad ceteras mutuationes eadem ratione pertinet: *Si ob pericula, labores, & sumtus, qui in exigendo pretio, vel perdendo capitali possent accidere, vult venditor justo rerum credito venditarum pretio addere tantum, quantum dubitat ne perditurus sit* (id, quod ipsarum rerum ęstimationem superat, est periculi pretium) *scire etiam debet, quod si venditor statuto tempore solvit sine ullo sumtu, aut labore; totum illud plus remittere debet, & cautionis gratia Chirographum illi exhibere, in quo promittat, se remissurum tantum pretii, quantum supra justum adauxit, si ipse debito tempore solvet. Melius tamen esset, supradictas res non perinde considerare, ut justum pretium exinde augeatur, cum provideri omnibus periculis queat per media magis licita, & justa, uti fideijussionis, aut alterius obligationis in solidum, aut deducendo in pactum fore ut emtor, si debito tempore non solvat, de omni damno, & interesse teneatur, sicuti tenetur vere in conscientia, si in particulari ex negligentia, aut malitia non solvit.* Hęc

in omni difficilis exactionis, aut expensarum periculo peræque valent, nec alia horum æstimatio ab Episcopis approbatur. Non lucrum, sed sola indemnitas in taxatione pretii spectanda conceditur, ita ut quidquid indemnitatem excedat, restituendum, aut sorti computandum sit. Cum enim hoc ipsum in praxi facile vergat in cupiditatem, ac spem lucri, quæ indemnitatis nomine facile subrepit, & in ejusmodi facti periculis citra (1) æquam aleam positis justum habere locum non potest; alia via a fraudis periculo aliena citius eligenda monetur, ut quidquid damni, & expensarum incidet, resarciendum caveatur. Id si ad Congregationis de Propaganda Decretum transferas, nihil lucri ibidem probatum credes, nisi ubi de alio periculorum genere in aleam incidente intelligendum sit, seu de periculis juris, quæ obligationem creditori aliquam imponant æstimabilem pretio.

Decretum Japonicum. 32. Hactenus dictis lucem afferet aliud Decretum ejusdem S. Congregationis de Propaganda Fide, cui Japonenses Missionarii inter duodecim dubia hoc primum proposuere: (2) *Utrum liceat ex Japoniæ consuetudine mutuam dare pecuniam ad rationem viginti, aut triginta in centum, cum cautione, aut sine cautione* (ac proinde cum periculo) *capitalis*. Responsio autem hæc fuit: *Nihil ratione mutui præcise exigi posse* (3) *titulo lucri: in damno emergente, lucro cessante, societate negotiationis, aut obligatione pretio æstimabili, & vendibili constitui debere quantitatem lucri, communi æstimatione definiendam, minore semper proventu, cum adest securitas, quæ & ipsa pretio redimi potest. Super his monendos, & instruendos contrahentes, & publica auctoritate præscribendam formam contractus.* Nulla anni notatio apparet, sed Episcopus apud Sinas hoc Decretum Japonicum aliquanto ante Sinense editum per literas tradidit: & sane aliquanto ante Sinensis Decreti tempus Japonicæ Missioni aditus interclusus fuit. Nonnulla in primis ad intelligendum textum observanda. Cum in proposita quæstione de mutuo sermo sit, quatenus in eo præter damnum emergens, & lucrum cessans locum habere possit *negotiationis societas*, fortassis inquires. At fac quis mutuum det e. g. nautæ negotiaturo, & negotiationis

(1) Qui ob difficilem exactionem, quæ timeatur, taxari posse ajunt certam quantitatem quotannis solvendam, & ita taxari, ut creditores libenter renuncient omni pacto de resarciendo quovis damno ex difficili exactione, etsi forte hanc taxationem ad æquam aleam reducerent, ita ut æque proportionalis esset utrinque lucri, & damni probabilitas, quod in praxi difficillimum est: si tamen hic modus præeligatur a creditoribus, propterea quod hinc sperent lucrum potius, quam damnum, ubi alio modo sola restauratio damni sine lucro exigetur; jam in hoc usuraria intentio proditur, cum præsertim debitorem, qui alium modum magis congruum posset eligere, cogere ad hanc taxationem ex spe lucri est ad indebitum cogere vi mutui, quod Auctores usuræ condemnant,

(2) Constitut. Apostolicæ, Brevia &c. pro Missionibus Sinarum &c. part. 2. pag. 39. edit. Paris. 1676.

(3) *Titulos lucri* in allegato libro legitur: at Episcopus apud Sinenses, qui hoc idem Decretum per literas transmisit, accomodatius ad sententiam scripsit *titulo lucri*; & interpunctione, quam adhibuimus, usus est.

nis periculum aliquod in se suscipiat, e. g. navigationis, itinerum, & similium; cum pericula negotiationis, quę creditor subit, tota sint ratio lucrandi ex parte capitalis, ut vidimus lib. V. c. 5. §. 4., in qua ex parte negotiationis periculum subit, ea ex parte mutuo veluti renuncians, *negotiationis societatem* quandam init. Ita etiam Cato, qui usuras ceteras detestatus, solis maritimis negotiatoribus pecuniam sub lucro credebat, suscepto in se navigationis periculo, *pro parte in eam societatem* negotiatorum, ac negotiationis *admissus* traditur a Plutarcho, quod ea periculi susceptio pars societatis, ac negotiationis fit. Nisi excedatur in modo, vel in lucro, quod periculi æstimationem exceedat, nihil vitiosum in hoc est; quippe non ex mutuo, sed veluti *ex societate negotiationis* lucrum redit. Porro *obligatio pretio æstimabilis*, *&* *vendibilis*, quæ quarto loco justis titulis lucri accensetur, obligationem profecto aliam indicat, quæ in mutuo quidem, sed præter mutui naturam, a creditore suscipiatur, qualis esset, si quis extra casum negotiationis periculum susciperet, quod vi mutui ad debitorem spectat. Porro cum periculum stat penes debitorem, & ita *adest securitas* creditoris, minus lucrum taxandum ex alio justo titulo e. g. lucri cessantis, notum est omnibus: lucrum enim futurum incertum minoris æstimatur, quam præsens certum. Hanc autem securitatem ille emit pretio, qui dato pretio periculum, quod ad se pertineret, in alium rejicit. Tandem cum quæstio Congregationi proposita solius cautionis, ac periculi mentione omnem mutui casum complectatur, sive qui cum cautione, & sine periculo, sive qui sine cautione, & cum periculo sit; in responsione (ne mancam dicamus) data dicenda est generalis regula, quæ omnes comprehendat titulos, qui ab usura excusent, & æstimabiles sint. Quatuor autem tituli tantum allegantur, damnum emergens, lucrum cessans, societas negotiationis, & obligatio æstimabilis pretio: quæ duæ postremæ, cum præter naturam mutui suscipiantur, liquet, in simplici mutuo, cui nulla obligatio, societas nulla adjiciatur, duos solos lucri cessantis, & damni emergentis titulos habitos fuisse justos; quod ea confirmat, quæ cap. 2. §. 2. diximus: unde soli etiam probati fuerunt non solum a Facultate Parisiensi in articulis Doctrinæ editis an. 1717. ar. 92., verum etiam ab omnibus, qui Angliæ fuerunt Episcopi, a plurimis Theologiæ Doctoribus, Religiosisque non paucis in Congregatione habita die 1. Junii an. 1688., nec non ab aliis Episcopis (1) Italis, (2) Germanis, & ut Gallos, aliosque prætеream, a S. Cœlestino V. Opusculo 9. part. 10., ubi solus *interesse* titulum, idest solum lucrum cessans, ac damnum emergens approbat, hanc monitionem addens: *Et hoc intelligo cum interesse ..... petitur caussa damni vitandi, non lucri captandi:* quæ rationem omnium efficacissimam suggerit. Quidquid enim sine ulla aliunde obligatione, ob meram damni, aut lucri cessantis restaurationem, in mutuo quæritur, mera restitutio est, ac proinde non est lucrum mutui, nec usura. Si quid autem præter hanc indemnitatem quæritur, si ex alia obligatione æstimabili, ac mutuo extrinseca non quęratur; ex ipsa mutui obligatio-

Tituli justi, & approbati qui sint.

Duo soli sunt justi in mutuo. Vide sup. c. 2. n. 4. & 5.

(1) Vide Synodum Lucanam an. 1681. p. 413. in Instructione Italica pro contractibus &c.

(2) Vide Sacerdotale Brixiense editum an. 1609. dist. 4. c. 1. n. 26. &c.

gatione quæretur, ac proinde usura erit. Igitur præter obligationem aliquam mutuo extrinsecam, cui societas negotiationi accenseri potest, soli lucri cessantis, ac damni emergentis tituli, aut alii, qui ad damnum referantur, justi sunt, præterea nulli; adeo ut velut generalis regula figi possit: *In mutuo aliquid supra sortem accipere licet, vel in meram indemnitatem lucri cessantis, aut damni emergentis, vel ex alia obligatione creditoris præter naturam mutui suscepta, quæ pretio æstimabilis sit*. Ex his autem illud ad propositum sequitur, quod cum ex memorato Congregationis Decreto, præter indemnitatem, sola obligatio a creditore suscepta præter naturam mutui, pretii æstimationem recipiat; ubi obligatio creditoris de periculo nulla est, nihil ex eodem Decreto ratione periculi esse potest æstimabile pretio. Certe etsi forte in responsione non omnes titulos justos comprehensos velis; cum tamen in quæstione cautionis, & periculi mentio facta fuerit, hic periculi titulus, si justus habitus fuisset, omittendus non fuerat. Cum autem justus eo solum casu agnitus sit, quo obligationem periculi creditor suscipiat; hinc in obligatione sola satis expressus fuit. Sine obligatione ergo creditoris, quantumcunque periculum sit, æstimabile ex hoc Decreto Japonico haberi nequit, cui ne aliud Decretum pro Regno Sinarum contradicat, non aliud periculum ibidem probatum dici potest.

Regula de justis titulis.

33. Si ergo (ut tandem concludam) nihil evidentius Theologi isti afferant, unde periculum facti extraordinarium pretio æstimabile probent, neminem hactenus dicta intelligentem convincere poterint. Si quid vero fortius (quod tamen non video) unquam producent; pro solis periculis probabilibus peculiare, nihil exinde usurarum patronis proficiet, ut certum aliquod lucrum in omni mutuo periculi nomine semper jure percipi isti suadeant in defensionem usuræ: ut superioribus paragraphis evidenter demonstrasse nobis videmur.

## COROLLARIUM.

*Lucri titulus ductus a majori æstimatione pecuniæ præsentis, quam futuræ, expungitur.*

34. Ex his porro, quæ hoc, & superiori capite digessimus, patet solutio ejus argumenti, quod pluribus vulgo vehemens videtur, nimirum, quod cum *numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non pluris faciat pecuniam præsentem, quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari*: quod a nonnullis laxioribus Theologis perperam objectum ad usuram abstergendam, ab usurarum patronis æquius multo opponi potest ad vindicandam usuram. Damnavit hanc propositionem Innocentius XI. in Decreto Generalis Inquisitionis diei 2. Martii an. 1679., & quo jure damnata fuerit, ex dictis cognoscitur. Pecunia enim præsens, & numerata, quæ per se tanti est, quanti futura, & numeranda, propterea quod utriusque pretium est idem, pretiosior solum censeri potest, vel quatenus præsens nunc utiliter collocari potest, futura non potest; vel quatenus illa tuta, hæc autem in periculo est. Hæ autem rationes, quarum altera universim ad lucrum possibile, altera ad facti periculum pertinet, quam inanes sint ad tribuendum legitimum, & justum lucri titulum in mutuo, ex disputatis hoc, & superiori capite liquet.

35. Sicubi autem aliquid vere intersit pecunia non carere, aut ejus repetitio impensas requirat, pro

pro æstimatione tantum ejus, quod interest, seu expensarum, de quibus hactenus diximus, præsens pecunia futuræ præstat; & eatenus verum est illud L. 204. D. *de Regulis juris: Minus est actionem habere, quam rem*. Id in creditis, & actionibus litigiosis accidit, quæ idcirco minoris emi possunt, quam per se valent, dum quod justo pretio detrahitur, non sit majus æstimatione expensarum, aut ejus, quod interest. Secus si credita sine hisce titulis minoris emantur, vel iis cum titulis emantur infra æstimationem ipsam indemnitatis; injustitia, & usura manifeste produntur. Sola enim præsentis pecuniæ solutio attenditur pro futura, quod omni indemnitate præcisa, iniquum, & usurarium est. Audiatur S. Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 8. §. 12. *Quid autem, cum quidam habuit recipere ab aliquo centum in certo termino, venit tertius emens ipsa jura contractus contra debitorem pretio nonaginta, qua nunc solvit, nunquid emtor committit usuram?* Respondeo. *Si iste emit tantum minus, quantum nunc est interesse suum, aut quantum vere æstimandum, sive timendum, ne ille debitor solvat, aut quantus est futurus labor rehabendi, non est usura. Si vero alias vult diminuere pretium, solum propter hoc, quod nunc solvit, sed in futuro rehabebit plus, est manifeste usura.* Hinc tamen negari profecto nequit, quin, si dubium probabile sit, quantum ex emtione nominum futurum sit damnum, nomina ita minori pretio emi possint, ut probabile lucrum provenire, & sperari etiam queat, dum tamen æque probabile damnum possit redire, atque timeri. Hac enim in hypothesi cum æqualis lucri, & damni probabilitas utrinque sit, ludi, & aleæ species initur, ex qua ita licet lucrum capere, si bene cedat res, uti damnum esset subeundum, si male cederet. Justum horum nominum pretium ex probabilitate lucri, & damni ita erit definiendum, ut pars neutra meliorem præ alia conditionem exigat, quemadmodum in ludis aleæ ad justitiam præcipitur. Ita difficile nomen, seu creditum ex. gr. ducatorum centum, in quo dubium æque sit, num centum integri, an octoginta tantum subductis sumtibus recipiendi sint, emendum erit pretio ducatorum nonaginta, ubi æque probabiliter decem ducatos lucrari emtor poterit, ac decem perdere. Si inæquale autem sit dubium, & probabilitas; majus, vel minus proportionale pretium pro periculo minori, vel majori constituendum erit, ut æqua sit utriusque partis alea. Lucrum autem si quod redibit, idcirco usura non erit, quia non proveniet a pecunia, qua ejusmodi nomina emta fuerunt, sed ab eventu, & forte, quæ bene successit. Latum porro discrimen intercedit inter hunc casum, & inter mutuum. Is enim, qui nominum venditione pecuniam accepit, non obligatur ad nominum solutionem præstandam, & cavendam, uti ad restitutionem obligatur, qui pecuniam accipit mutuam: ac proinde lucrum in primo casu ex incerta solutione difficilium nominum pendens, sine obligatione contrahentis, vi ipsius contractus emtionis aleam habet, quam non habet in secundo casu, vi ipsius contractus mutui, ubi debitoris contrahentis obligatio certa est. Hæc ut intelligas, confer §. 3. & 4. Neque moveat, quod ementi nomina æque debitores obligantur ad solutionem, ac ipsi creditori obligabantur; horum autem obligatio, quæ, si solutio fiat, lucrum afferet, mutui, & usuræ obligationi æquipararetur. Perperam. Nam debitores ipsi non vi hujus emtionis nominum per se obligantur ementi, sed vi aliorum contractuum mutui, quos cum creditore, seu venditore nominum ante inierunt, adeo ut si minus solvant, quam de-

debent, non hanc emtionem, sed eos contractus violare dicantur. Itaque cum pecunia hac emtione tradita nullam per se vi ejusdem contractus neque vendenti creditori, neque debitoribus obligationem imponat solvendæ, aut restituendę pecuniæ, aut aliquid amplius, ut requireretur in mutuo, & fœnore; nec mutuum, nec fœnus in hoc contractu continetur. Sed transeamus ad alia.

## CAP. IV.

*De obligatione non repetendi certo tempore capitalis in mutuo, & de mora titulo.*

1. UT adversarii titulum aliquem in mutuo semper inveniant, duos proferunt, obligationem creditoris, & debitoris moram. Ex obligatione enim creditoris non repetendi mutui, quam pretio æstimabilem prędicant, pretium justum exigi posse ajunt pro eo tempore, quo mutuum ex pacto conceditur; ex mora autem debitoris, quam omnes justum titulum fatentur, justum item pretium posse exigi dicunt pro reliquo tempore, quo post pactum mutui tempus, creditoris obligatione cessante, atque ipso invito, contra pactum a debitore restitutio producitur. Ita semper ex altera parte lucri titulus adest.

### §. I.

*De obligatione non repetendi, ac cessione juris in mutuo.*

2. PRimum titulum ab obligatione ductum Barbeyrachius ex La Placette his fere verbis e Gallico sermone Latine redditis statuit not. 7. in §. 9. cap. 7. lib. 5. Pufsendorfii de Jure naturali, ac Gentium: *Cum a creditore pendeat dare, vel non dare mutuum; tum vero si mutuum dare decernat, ab eodem pendeat pecuniam debitori concedere unico, vel pluribus annis, mense, hebdomada, vel unico die: Qui autem mutuum, quod posset non nisi unico die, vel hebdomada unica concedere, cedens huic juri prorogat in annum, vel biennium, se obligat, ne ante id tempus mutuum repetere possit. Cur ergo hac juris cessio, & obligatio, qua ab ipso pendet, & debitoris satis utilis est, pretio æstimari non poterit? Cum servitutis jus cuipiam competit in domum, vel agrum; juris hujus cessio in aliquod tempus, vel in perpetuum, pretio vendi potest. Quidni idem de cessione juris mutui citius repetendi dicamus?*

3. Hæc objectio, quam Alexander VII. præcidit in damnanda propositione 42., præsumit pretium non posse exigi in mutuo minimo unius diei: sed solum si protrahatur, cum repeti posset, hujus juris cessionem, & longioris temporis obligationem pretium mereri. Sed unius diei, vel, si etiam velis, unius horæ mutuum, juris cessio, & obligatio hujus temporis, ut lib. I. c. 1. vidimus, adeo omni mutuo aliqua ejusmodi obligatio, & juris cessio est necessaria, ut inutile foret mutuum, quod sine ulla obligatione non statim repetendi nullius temporis usum concederet. Si autem hæc unius horæ, vel diei obligatio, ac juris cessio, quæcunque sit, pretio non æstimatur; quid æstimabitur obligatio, & juris cessio unius hebdomadæ, mensis, vel anni &c., quæ pluribus septem dierum, plurium hebdomadarum, vel mensium æstimationibus æquivalet? Obligatio, & juris cessio in mutuo unius diei ejusdem generis est, ac obligatio, & juris cessio per hebdomadam, annum, vel decennium; æque enim se obligat ad non repetendam sortem, & juri repetendi æque cedit per diem, qui ad diem mutuum dat, ac per annum,

vel

vel decennium se obligat, ac cedit juri suo, qui ad annum, vel decennium mutuum prorogat. Non tenetur quidem homo citra necessitatem ad mutuum per annum, vel decennium; at neque tenetur ad mutuum in diem. Quicunque autem mutuum dat, ad quod non tenetur; sive ad diem, sive ad annum, vel decennium det, ita utrobique se obligat, & juri cedit, ut vel utrobique hæc obligatio, & juris cessio pretium mereantur, vel nullibi: solum autem durationis discrimen majus, vel minus pretium requirit, non vero in altero casu requirit pretium, in altero nullum. Si ergo obligatio, & cessio juris in diem vel per adversarios pretio non æstimatur, neque obligatio, & cessio longioris temporis æstimanda est.

4. Quod si hoc argumento pressus affirmes, etiam in mutuo ad diem, vel horam pretium exigi posse, quando in diem, vel horam obligatio, & juris cessio pretio æstimabilis est; unde fœnus diarium apud Romanos obtinebat: casum in primis proponam, quo ad rationem, quæ convincat, explicandam via patefiet. Fac igitur quis ad indeterminatum tempus mutuum det, cum jure repetendi quandocunque sibi libuerit. Interim debitor, creditore silente, mutuo per triennium fruatur. Hoc certe casu, quo post minimum tempus semper creditoris jus erat repetendi mutui, nulla fuit per integrum triennium juris cessio, obligatio nulla. Nihil ergo ratione obligationis, aut cessionis juris, quæ non fuerunt, exigi poterat per illud triennium; cui si se initio obligasset creditor, ex cessione juris aliquid in adversariorum sententia potuisset exigere. At quid, rogo, ceteris paribus, in hoc mutuo re ipsa læditur creditor ex hac obligatione, & cessione, quid debitori tribuitur amplius, quam in primo casu, ubi sine hac obligatione, & cessione, pecuniæ usus æque per triennium conceditur? Nihil omnino. Immo cum cessio juris, & obligatio, idem sit, ac facultas utendi mutuo debitori permissa, quæ primo casu tacite, ac veluti per singula momenta toto triennio conceditur, secundo autem casu expresse, & uno actu declaratur; si hæc facultas triennalis tacita nihil valet, nec expressa valet. Ratio est, quia jus repetendi sortem in mutuo eatenus valet, quatenus interest creditoris uti pecunia. Si nihil intersit, repetitionem differre nihil refert, ac proinde juri illi cedere eo tempore, quo nihil interest, nihil valet. Ubi vero aliquid interest, tum non ex cessione juris, aut obligatione, sed nomine ejus, quod interest, æstimatio facienda est, ac propterea sola juris cessio, ac obligatio per se nihili æstimatur. Sive ergo tacite, & per partes, sive expresse, & uno actu quis huic juri cedat; si quid intersit, æstimatio ejus, quod interest exigi potest, si autem nihil intersit, nullum est ejus juris, cui ceditur, pretium.

5. Enimvero hoc jus in sortem repetendam, si ab omni lucro cessante, vel damno emergente separetur, non magis æstimari potest, quam ipsa sors æstimetur; tota enim ejus juris æstimatio ab æstimatione sortis pendet. Porro sors in mutuo per se, si creditoris nihil interest, valet e. g. centum, & non amplius: ita ut, ubi nihil intersit, si quid exigatur amplius, injuste exigatur, ex disputatis lib. V. c. 5. Igitur jus in sortem repetendam, si æque nihil intersit, amplius non valet: ac proinde hujus juris cessio, & consequens creditoris obligatio nihil amplius meretur.

6. Neque paritates ex aliis obligationibus ductæ, quę per se ęstimantur pretio, ad casum pręsentem quidquam faciunt. Duę enim obligationum species distinguendę sunt. Aliæ venales, quibus vel onus aliquod servitutis pretio indu-

citur, vel jus distrahitur: & hæ pro servitutis, vel juris æstimatione pretium suscipiunt. Aliç autem gratuitç esse debent, nec pretio çstimabiles sunt. Ad primam speciem pertinent, quæ in objectis paritatibus continentur. Secundæ autem speciei est e. g. obligatio donationis, quç a liberalitate proficiscitur. Obligatio enim ne unquam repeti possit quod donatum fuit, pretio çstimari nequit; unde nemo ex hac obligatione, quç semper duratura est, pensionem ullam perpetuam a donatario exigere posset. Idem est de obligatione mutui. Mutuum enim, quo usus pecuniç conceditur, cum per se gratuitum esse debeat, ubi nihil interfit; donationis speciem refert ex demonstratis lib. V. c. 4. & 5., ac propterea ejus concessi temporis obligatio temporariç donationi similis pretium non suscipit. Furis comparatio hic quoque locum habet. Vis enim, quam fur domino infert, dum pecuniam, eodem invito, e. g. per triennium retinet, çstimabilior profecto est quavis obligatione, quç in mutuo sine ulla vi ex mera gratia suscipitur. Cum autem vis illa furis pretio non æstimetur, ubi nihil interfit, adeo ut fur ob eandem vim nihil ex commutativa justitia cogatur rependere (solum ex vindicativa puniri legibus, & a judicibus potest) quis obligationem in mutuo æstimandam putet? Idem est de cessione juris, cui vis illata a fure multo præstat. Nihil ergo obligatio creditoris, aut juris cessio in mutuo æstimanda est.

## §. II.

### *De mora debitoris.*

7. Cum quid moræ titulo exigitur, tum, si debitorem respicias, ad coercendam ejus frustrationem pertinet L. 3. §. 4. D. *De Usuris*, & ideo pœna appellatur L. 40. D. *De rebus creditis*, & L. 90. D. *De verborum obligationibus*. Si vero creditorem spectes, pertinet ad reparandum ejus damnum, quod ex mora debitoris ille pati præsumitur, idque magis *id, quod interest*, quam *usuram* esse Labeo, & ex eo Pomponius docuere L. 60. *Pro socio*. Si hoc secundo nomine mora consideretur, refertur ad titulum *ejus, quod interest*, & eisdem regulis casus decidendus. Quidquid enim ex æqua çstimatione in meram indemnitatem petatur, aut in reparationem lucri ex mora cessantis, juste petitur, nec usuræ tribuendum. Si quid autem hoc nomine sine ullo damno, aut supra omnem æstimationem damni accipiatur, injustum, & usurarium erit. Judices cum certum aliquid solvendum ex moræ tempore dijudicant; ipsis Noodt, & Molinæo, ut vidimus, interpretantibus, huic præsumtioni damni nituntur, cui tamen, si veritas non respondeat, creditor juste recipere definitum lucrum nequibit. Confer dicta cap. 2. hujus libri. Vide supra lib. V. c. 1. num. 18. & 20.

8. Si autem moræ titulus pœnæ loco accipiatur, cum pœna ad vindicativam, non vero ad commutativam justitiam pertineat; justitiæ, de qua nunc agimus, hic titulus nihil suffragatur. In ipsa autem vindicativa justitia etsi negari nequeat pecuniariam pœnam non tam a judice, quam a contrahentibus imponi posse ei, qui a contractu culpabiliter deficit (contrahentes enim ad firmitatem contractus conventionalem pœnam sibi imponere, & promittere juste possunt ex can. 4. *de arbitris*, & L. 14. D. *de pactis*) tamen in mutuo, ne quod pœnæ nomine exigitur, lucrum sit potius ex mutuo quæsitum, quam vera pœna, tres conditiones servandæ maxime sunt. Prima ut hæc pœna non apponatur in fraudem usurarum, quod tum cognoscitur ex S. Bernardino Senensi Serm. 42. part. 2. art.

art. 3. cap. 1. *quando creditor magis vellet pecuniam sibi solvi in certo præfixo die, quam in crastino cum adjectâ pœna: & per oppositum in fraudem usurarum est, quando vult diem illum transire potius, quam pecuniam die illo solvi*; & mox addit: *Si creditor ea intentione det mutuum, quia credit, aut sperat pœnam esse solvendam; tunc non aboletur vitium usuræ, cum ipse mutuet causa lucri, & cum ipse speret lucrari pœnam*. Præsumitur etiam fraus, si is terminus debitori præstituatur, intra quem mutuum non posse ab eo reddi, pœnaque idcirco solvenda prænoscitur. Secunda conditio est, ut mora culpabilis vere sit debitori; neque enim pœna locum habere potest, ubi culpa non est. Hinc idem S. Bernardinus ibidem ait: *Quando debitor sine sua culpa factus est impotens ad solvendum, vel ad promissa servandum, puniri non debet*. Impotentiæ autem æquiparatur moraliter difficultas, si tanta sit, ut creditor rationabiliter invitus esse non possit. Tertia conditio est, ut pœna sit moderata, secundum culpę, & mutui quantitatem; secus inæqualis esset, & injusta, cui debitor non nisi ex metu consentiret. Quod si pars debiti solvatur, tota pœna inique exigetur. Quin si mora notabilis non sit, culpa plerumque æstimari non debet digna, quæ pœnam, saltem totam, mereatur.

9. Sed hic titulus in usurarum fraudem sæpe vergit, ac periculosus maxime est. Quod si hoc pœnale pactum, ut pignus sit creditoris, si debitor stato tempore non solvat, adeo fraudibus obnoxium visum fuit ipsis Ethnicis usuram alioquin non condemnantibus, ut illud prohibendum duxerint L. 1. & 3. C. *De pactis pignor.*, quid ob facilem usuræ fraudem sentiendum est iis, qui usuram aliunde defendi non posse fatentur? Vide can. 7. *De pignoribus*. Ceterum si citra fraudem mora, & justa culpæ pœna pecuniaria exigatur; lucrum non erit ex mutuo, nec proinde usura, quod ad eripiendam hanc usuræ defensionem satis est.

## CAP. V.

*De gratitudinis titulo, quo usura pro mutui beneficio referenda creditur. De mutuatariorum consensu in usura solutione; ac tandem de ratione doni, quod usura tribuitur.*

1. Cum adversarii in defendenda usura omnia moliantur; nihil mirum, si contraria nonnunquam afferant. Nunc enim contendunt usuram jure naturali deberi, sive tanquam mercedem usus, seu locationis pretium, quod l. V. c. 4. fusius refellimus, sive tanquam gratiam mutuanti ex beneficio referendam, quam cum quidam, vel plerique referre negligerent, lege cogendi fuerant. Nunc vero cum injustum videant, quod coacte extorquetur; debitorum in solvenda usura assensum, & consensum inculcant, quo fit, ut citra injuriam accipiatur, quidquid a sciente, & consentiente accipitur. Addunt etiam rationem doni inesse in usura, quam mutuatarii sponte offerunt, & solvere omnino volunt; ita ut injustum esse nequeat, quod non exigitur a nolentibus, sed a volentibus libere penditur. Hæc singula, quæ usuram universim probarent licitam etiam in pauperibus contra adversariorum hypothesim, singillatim expendenda.

### §. I.

*De titulo gratitudinis ex beneficio mutui.*

2. Et primo quod de referenda mutuanti gratia pro beneficio mutui multis urget Salmasius

c. 10. de Usuris p. 268. & seqq., facile concesserim nihil naturæ humanæ *convenientius*, quam gratias pro beneficio accepto referre. Hinc quidem jure Theophilus lib. 2. tit. 2. inter exempla juris gentium naturæ maxime congruentis hoc ponit, *ut debitor memorem, gratumque se prabeat illi, qui sibi in rebus arduis, ac tempore necessitatis subvenerit*. At num gratia, quam homines naturali quodam jure pro mutuo debent mutuanti rependere, aliquid supra sortem esse debeat, & ita esse debeat aliquid tale, ut si homines id negligant, legibus cogendi sint, indeque legum fœnebrium, ac usuræ origo sumserit, ut Salmasius præsumit, hacque præsumtione fusius divagatur; hoc est, quod omnino negamus. Quo fine a prædicto prorsus alieno fœnebres leges latæ fuerint, cap. 3. lib. V. explicatum est. Nunc si jus ipsius gratiæ consideremus, gratiam pro beneficiis rependere, honestatis quidem, non autem justitiæ est, ut & gratiæ nomen indicat, & ipse Salmasius fatetur. Quod autem ex sola honestate, atque gratia debetur, si exigatur, aut solvatur ex justitia, nonne injustum est? *Gratia a volente refertur, sine conventione ulla*, inquit Salmasius p. 268. Gratiæ nimirum referendæ, cum gratitudinis, non autem justitiæ debitum sit, ex justitia exigi nequit nisi injuste. Justitia ad solam restitutionem mutui pertinet, supra quam quidquid ex justitia exigitur, inique exigitur. Neque refert, quod exigatur ex gratitudine; non autem ex justitia; quod enim ex obligatione, atque contractu quovis exigitur, non gratitudinis, sed justitiæ debitum fit; unde Innocentius XI. damnavit propositionem his verbis expressam: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum*. Cujus propositionis falsitatem ipse Molinæus usurarum patronus multo ante præsentiens, in Tract. de Usuris n. 26. scripsit: *Fateor, quod mutuum est caussa justa, ut debitor obligetur ad antidora ..... (idest ad referendam gratiam;) utque creditor a debitore spontanee beneficium remunerante, & liberaliter aliquid offerente recipere possit. Sed non est justa caussa, ut quidquam tacite, vel expresse ultra sortem reddi pacisci possit, quia erit contra naturam, & substantiam mutui*. Et n. 27. expressius contra Salmasium: *Sed occurrit quæstio, an liceat obligationem illam antidoralem pacto deducere in civilem ..... & communis est sententia Theologorum, & Nostrorum* (nota etiam *Nostrorum*) *quod non*. Ratio horum manifesta; quia vi mutui par pari reddendum est ex justitia, ut ipse Salmasius pluribus in locis testatur: gratia autem, quæ pro mutui beneficio ex gratitudine debetur, cum gratuito, ac liberaliter rependenda est, non autem coacte exigenda; tum vero necessario non est munus, aut lucrum aliquod mutuanti reddendum, sed sola grati animi testificatio, quæ aliis, atque aliis modis citra usuræ solutionem rependi, & declarari potest. Ipsum Salmasium libeat audire ex cap. 2. de Usuris pag. 35., ubi *mutuum a Siculo* μοῖτον, *quod est* χάρις, *& gratia*, idcirco dictum prodit, quia *in eo reddendo nihil ultra accepti summam debetur, quam grati animi testatio, hoc est* χάρις. Vis veritatis confessionem vel ab invito expressit. Si ergo non aliunde, quam a gratitudinis debito usuram vindices, nihil profeceris ex ipso Salmasio, qui mutui caussa *nihil ultra accepti summam deberi, nisi grati animi testificationem* fatetur.

Iterum in præfat. de Usuris pag. 43.

§. II.

§. II.

*De debitorum usuras solventium consensu, ac de principio illo: Scienti, & consentienti non fit injuria.*

3. Nec minus fuci, ac fallaciæ continet, quod Salmasius ducit a mutuatariorum consensu, qui scientes, & volentes usuras solvunt. Hac ille ratione usuram a furto, & injustitia subducere nititur c. 20. de Usuris pag. 600. *Furtum*, inquit, *est aliena rei contrectatio invito domino. Furtum itaque committit, qui rem suam nolenti, & non sentienti surripit. Nam si sciret, non pateretur. Qui pecuniam, aut aliam rem mutuo dat, ea conditione, ut mercedis nomine aliquid plus recipiat pro pecunia præstita, ut alius pro opera, an ille furtum facere dici potest? Fur ad ejus ædes se confert, quas expilare vult. Nunquid & fœnerator ad eum contendit, cui pecuniam fœnebrem dare destinat? Immo contra, qui ea indiget, sponte ad fœneratorem accedit, quasi si scilicet ad furem ultro dominus iret, ut ei sua res surripienda occasionem præberet, immo & volenti eam volens traderet. Id si fieret, an furtum foret quod ageretur? Pactio intervenit inter utrumque, dantem, & accipientem fœnore. Convenit inter eos, ut hic mutuum accipiat cum accessione, de qua convenit. Quantacunque sit illa accessio, a volente, & sentiente id, quod agitur, & ideo consentiente datur. Quid simile in furto?* & pag. 603. *Alienum appetit, qui quacunque arte, invito, aut ignaro domino, id habere cupit, & captat, ut habeat..... Fac igitur non per vim, nec ulla arte me a possessore, quod cupio, & quod suum est extorsisse, sed prece impetrasse. Nihil hic me peccare contra legem Decalogi hujusmodi rei alienæ appetentia certum est. Multo minus & de fœnore id dicendum est, si alienum capit non ab invito. Immo prece plerunque ambitur, & exoratur fœnerator, ut mutuam velit pecuniam dare hac mercede pacta.* Nulla majori vi hoc argumentum ab eloquentissimo usurarum patrono intendi poterat.

4. Hæc tamen si quid probarent, probarent justam, & licitam quamlibet etiam excedentem usuram, cui debitor sciens, & volens consentiat: nec non usuram vel cum pauperrimo sciente, & assentiente conventam approbarent. Utrunque quidem indicat hoc loco Salmasius, primum illis verbis: *Quantacunque sit illa accessio*; deinde vero iis, quę post recitata subdit pag. 605., ubi usuræ pactionem pauperi voluntariam probat, *ad quam* scilicet, inquit, *non eum adigit fœnerator, sed sua ipsius inopia*. Sed neutrum ab adversariis probabitur. De paupere, etsi consentiente, omnes conveniunt, ex ejus inopia lucrum captare ipso naturali jure prohiberi, saltem tanquam charitati inimicum, ut in Præfatione ostensum est. Usuras porro supra modum a legibus humanis præstitutum, etiam a consentientibus, atque scientibus exactas, injustitiæ omnes condemnant, unde ipse etiam Salmasius Lib. 1. de Fœnore Trapez. p. 119. *Fraus quidem omnis*, inquit, *dolusve, & vis legibus, ac juri contraria sunt: sed quædam etiam committuntur contra legem, quæ nec vi, nec dolo fiunt, ut qui ampliores legitimis usuras accipit a debitore fœnerator. Non vis ab eo adhibetur, quia a volente eas exigit, & ex pacto.* ( en volentem, seu consentientem ) *Non fraus, aut dolus ullus in ea pactione intervenit, quo circumscribatur debitor, quia intelligit quid agatur.* ( en scientem ) *Quia tamen modum a lege præscriptum usurarum transcendit fœnerator, ideo in legem peccare creditur.* Num plus humanæ leges, quam divina, & naturalis possunt, ut contra illas nulla debitoris usuram solventis valeat scien-

scientia, nullus consensus; contra istas valeat? Usuræ vetatio omnis hac ratione, si semel admittatur, in irritum cederet: quicunque enim usuram quamcunque solvit, sciens, & assentiens solvit.

5. Sed hæc in usura dici video, quæ in aliis, ubi similis scientia, & assensus interveniunt, non æque dicerentur, neque probarentur, uti cum grassatori viator, etiam non rogatus, sciens, ac volens crumenam tradit, ne vitæ periculum subeat; vel cum judici justas sententias vendenti quispiam sponte, immo & precibus additis, pecuniam dono tradit, ne injuste damnetur &c. Non valet ergo universim principium: *Scienti, & consentienti non fit injuria*. Rationem, ac explicationem ex ipsis usurarum patronis audire juvat. Duos brevitatis caussa allegabo. Guillelmus Amesius L. 5. de conscientia c. 6. in hanc juris regulam inquit: *Hic intelligendus est sciens, & libere, vel sponte consentiens in factum: difficultas alias nulla esset. Quod enim fit vel ex ignorantia, vel ex terrore, & violentia, censetur involuntarium, saltem ex parte; atque adeo ex illa parte injuriam admittit ex omnium consensu*. Similia profert Joannes Barbeyrachius ex principiis hanc in rem præstitutis a Le Placette usurarum insigni patrono in tractatu de Restitutione pag. 74. & seqq. ubi inter ceteras ejus principii exceptiones *error*, & *metus* potissimæ sunt, quippe quæ sicut voluntarium impediunt saltem ex parte, ita injuriam, ac injustitiam non tollunt. Sufficere autem dicitur metus etiam indirecte illatus, qualis non incutitur quidem ex proposito, sed re ipsa tamen volitioni caussam dedit. Quod autem metu expressum est, etsi coactum non sit; plane tamen liberum, ac voluntarium non est: ut in rebus, quæ per se injustæ sunt, nisi omnino sint liberæ, injustitiam non diluat.

In Puffendorfium l. 1. c. 7. §. 17. not. 2.

6. His autem positis, patet usuræ injustitiam nullo solventium consensu excusari. Alii enim usuram ex ignorantia, ac errore solvunt, quod ex vulgari quodam erroneo sensu eam jure debitam, ac licitam putent; qui si scirent indebitam, & illicitam, nullo modo fortassis solverent: & in his profecto error voluntarium tollens, nihil injustitiæ detrahit; ut si quis per errorem credens se debere Petro centum nummos, quos revera non debet, eosdem illi solveret, Petrum a restitutione non liberaret. Certe si fœnus non aliunde probetur justum, ex hac solutione per errorem facta justum probari non potest. Alii porro, etsi usuram vetitam, & indebitam sciant, cum tamen in illam non consentiant nisi ex metu, ne mutuo alias priventur; hic metus satis est ad illud voluntarium excludendum, quod ad injustitiam amovendam necessarium est. Ubi enim nullus lucri justus est titulus, sola donatio locum habere potest; quæ propterea inter alienationis modos alio justo titulo carentes una refertur, ita ut id solum cuipiam jure proveniat, quod nullo aliunde titulo debitum, vera liberali donatione in ejus dominium transfertur. Si ergo nec titulus, nec donatio sit; quantumvis aliquid cuipiam detur, dominium ejus is nunquam acquiret, quod nullo titulo, donatione nulla interveniente, acquiri non potest. Porro cum metus, præsertim majoris mali, aliquid alias indebitum extorquet, vera liberalis donatio admitti nequit: doni enim vere liberalis ratio in eo sita est, ut sine obligatione, vel metu, ex mera voluntate, ac liberalitate, vel benevolentia aliquid detur. Igitur quod metu datur, cum, hac prærogativa carens, donatio non sit, si alius aliunde justus desit titulus, nullo jure acquisitum injuste percipitur. Vide Lib. 4. D. tit. 2. Ita usura, quam nullo adhuc justo titulo debitam

L. 1. D. De Donation.

bitam adversarii potuerunt monstrare, metu, quem diximus, pacta, atque soluta, eo juris principio vindicari nequit, quod a scientibus, atque consentientibus exigatur. Qui hoc principium usuræ accomodarit, non vere voluntati, nec libertati, sed metui vim transferendi dominii tribuant oportet: quod omni juri repugnat. Hinc Nicolaus Cabasilas Thessalonicensium Archiepiscopus, quantumvis Schismaticus, in oratione contra usurarios hanc objectionem: *Cui injuriam inferimus, si a volentibus accipimus?* ex metu solventium refellit: *Non enim consilio, ac sponte argentum suum abjiciunt, sed eo abs te privari patiuntur, & jacturam jactura sarciunt, graviorem leviore. Qui enim chirographo eos obligasti, & ne, cum mutuo iterum egebunt, abs te repellantur, te ipsorum bona de ascentem perferunt.* Et S. Bonaventura in 3. Sentent. Dist. 37. dub. 7. *Ad illud vero, quod objicitur, quod usurarius non contrectat rem alienam invito domino, dicendum, quod est voluntas absoluta, & conditionalis. Et cum dicitur, quod usurarius contrectat res, quas recipit ultra sortem, volente domino, dicendum, quod hoc verum est de voluntate conditionali, sed tamen invito, quantum ad voluntatem absolutam. Magis enim vult pecunia carere, quam beneficium mutui perdere, licet voluntate absoluta vellet, quod impenderetur sibi mutui gratia sine mercimonio.* Quod si qui generosi, ac nobiles viri, satius esse ducentes carere mutuo, quam mutuum sine usura veluti beneficium, & eleemosynam quandam gratis percipere, volunt omnino usuram pendere: id alterutram habet caussam, vel errorem, quo usuram pro pecuniæ usu jure debitam putantes, nolunt sibi hoc debitum in eleemosynæ speciem remitti; vel metum, ne si usuram, quam indebitam ipsi cognoscunt, minime solvant, veluti pauperes eleemosyna indigentes ex vulgi opinione traducantur; unde etiam fit, ut cum usuram volunt omnino solvere, se non gratuitam remunerationem, sed pensionem mutuo debitam solvere præferant: quod utrunque cum liberalem, & voluntariam donationem excludit, tum vero nullum justum affert titulum, ex quo ea solutio, re ipsa alias indebita, saltem donationis nomine proveniat.

## §. III.

### *Vera donationis titulus ab usura quantum absit.*

7. Hinc porro doni etiam, ac donationis rationem, quam nonnulli in usura comminiscuntur, eversam vides. Donatio enim proprie appellatur, cum *dat aliquis ea mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, & propter nullam aliam caussam facit, quam ut liberalitatem, & munificentiam exerceat*, inquit Julianus L. 1. D. *de donatione*. Liberalitas, & munificentia in gratitudine plane liberali etiam exeritur. Ubi autem non ex liberalitate, aut munificentia, vel gratitudine, sed ex pacto, aut jure cogente aliquid datur, ut in casu mutui: liberalitate sublata, vera donatio nulla est.

8. Neque Salmasius opponat, dona sine ullo alio titulo aliis in casibus facta, nisi ut alliciantur homines ad aliquod beneficium (quod metum aliquem involvit, ne alias beneficium denegetur) rata, & vera dona haberi. Quidni idem in mutuo valeat? *Quam multi sunt porro*, inquit, *qui donis, ac muneribus, quos sibi profuturos sperant, deliniunt, atque in antecessum devinciunt? Quanto magis tales in eos esse debemus, qui jam aliquid in nos boni contulerunt?* Si id sine ulla obligatione justitiæ ex mera liberalitate, ac gratitudine fieret; cum vera donatio esset, tum nihil injustum reprehendi posset. At ex pacto

L. 29. D. De Donat.

Præfat. de Usuris pag. 41.

pacto id præstare, tanquam debitum ex justitia, quod ex justitia nequaquam debetur, non gratuita, ac liberalis donatio, sed indebita, ac iniqua exactio est. Quod si ubi etiam nullum pactum explicitum intervenit, solus metus dandi caussam præbens, veram liberalitatem, gratitudinem, ac donationem excludens, injustitiam non purgat (quod enim sine vera donatione, ac sine alio justo titulo ex metu datur pro obtinenda re, quæ per se gratis tradenda, ut in mutuo accidit, ne sine lucro non tradatur, metuitur; etsi a dante in sui damnum non detur injuste, juste tamen ab accipiente, si id deprehendat, retineri non potest) quanto minus purgabit pactum adjectum, quod nullum gratitudini, ac liberalitati, nullum donationi locum relinquit? Hinc esto, quod quis de usura doni nomine paciscatur, iniqua esse non desinet: unde dona, seu munera id genus in usurarum fraudem conventa omnes damnarunt.

9. Non Hebræorum magistri tantum hoc muneris genus, etsi sponte oblatum, usuræ tribuerunt, ut est apud Seldenum l. 6. de jure natur. & Gent. c. 9., sed Romani etiam, dum inter usuræ fraudes *sportularum* nomine munera vetuere, uti ex L. 26. C. *de Usuris* colligit Gerardus Noodt l. 2. de Fœnore & usur. c. 14. Hoc Justinianus damnavit in ea fraude, qua *sportularum*, seu muneris nomine aliquid supra usurarum modum humanis legibus restrictum caperetur. Sed æqualis fraus est in omni exactione munerum, contra divinæ, ac naturalis legis prohibitionem: unde S. Ambrosius in lib. de Tobia c. 14., illos usuræ reprehendens, qui ob mutuum mercatoribus creditum, non usuram, sed munus aliquod etiam incertum rogabant, *Fraus enim ista*, inquit, *& circumscriptio legis est, non custodia. Et putas te pie facere, quia a negotiatore velut munus suscipis?* Petebatur autem muneris caussa esca, vinum aliunde asportatum, aut aliquid ad vestem formandam. At subdit S. Doctor: *Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcunque sorti accedit, usura est: quod velis ei nomen* (etiam muneris) *imponas, usura est.* Similiter S. Hieronymus in cap. 18. Ezechielis: *Alii pro pecunia fænerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari, & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint.* Et in cap. 21. Matthæi similem Hebræorum Sacerdotum fraudem detegens, ait: *Quia erat lege præceptum, ut nemo usuras acciperet, & prodesse non poterat pecunia fænerata, quæ commodi nihil haberet, & interdum sortem perderet, excogitaverunt & aliam technam, ut pro nummulariis Collybistas facerent, cujus verbi proprietatem Lingua Latina non exprimit. Collyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuscula, verbi gratia, frixi ciceris, uvarumque passarum, & poma diversi generis. Igitur quia usuras accipere non poterant, Collybistæ, qui pecuniam fænerati erant, pro usuris accipiebant varias species, ut quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent, quæ nummo coemuntur; quasi non hoc ipsum Ezechiel prædicaverit, dicens: Usuram, & superabundantiam non accipietis.* Hoc ex ipso naturali jure verum est, quod cum omnes fraudes prohibet, tum vero doni, gratitudinis, aut alio simili nomine lucrum aliquod mutui caussa pacisci, expectare, vel quovis modo suscipere, inter usuræ fraudes condemnat.

CAP.

## CAP. VI.

*Objectio omnium efficacissima expenditur de commodo, vel lucro, quod ex pecunia mutuatarii percipiunt.*

### §. I.

*Proponitur objectio.*

1. NUnc objectionem proponam, quæ pluribus efficacissima, & evidens visa est, cui respondere neminem posse jactitant. Nihil, inquiunt, in humanis rebus naturali jure prohibetur, nisi quod proximo noxium est: quod autem nulla ex parte obest proximo, sed prodest; cum justitiæ, & charitati maxime congruens, laudandum potius, quam vetandum est; tum naturali certe jure interdictum probari non poterit. Porro fœneratitium mutui contractum, si modum legum servet, proximo maxime utilem addunt, si præsertim cum iis ineatur, qui ex ejusmodi mutuo non exiguum commodum, vel lucrum etiam percipiunt. Hinc beneficium hujus contractus mutuatarii prædicare solent, sibique bene actum testati, gratias etiam quam maximas creditoribus referunt. Quis ergo adeo utilem contractum naturali jure prohibitum affirmare potest? Commodis hominum invideat oportet, qui contractum, non tam mutuantibus, quam mutuatariis utilem, atque commodum, interdictum velit. Peculiarem porro eorum casum, qui mutuum negotiaturis credunt, ita proponunt, ut soluto adhuc fœnore plus lucri mutuatario supersit, quam quod mutuanti solvitur; & impossibile affirmant, illicitum esse contractum, qui mutuatario magis, quam mutuanti prodest: *Nous soûtenerons nos contracts licites, parce qu' ils sont plus profitables, & plus avantageux a l'emprunteur, qu' au preteur.* Nihil certe charitati, aut justitiæ inimicum in hoc videre se ajunt: *Il s' agit de montrer comment on peut condamner comme vicieux des contracts ou l' on ne voit rien qui blesse la charité ou la justice:* Verba sunt Auctoris Epistolæ ad Maupasium scriptæ die 1. Augusti 1739. In communi utriusque bono, & majori mutuatarii, quam mutuantis, nec charitas, nec justitia offendi potest: immo cum & charitas, & justitia postulent, ut qui ex aliena pecunia lucratur, lucri participem eum efficiat, qui suam illi pecuniam in lucrum commodavit; abhorrere maxime videtur & a charitate, & a justitia, si quis lucrum ex aliena pecunia captum sibi retinere totum velit. Vide Gerardum Noodt l. 1. de *Fœnore, & Usuris* cap. 6. Epist. ad Blondellum 8. Nov. 1719.

### §. II.

*Æquivocatio objectionis detegitur.*

1. HAc ratione, si quid valeat, justitiæ, & charitati adversaretur quælibet lex, quæ usuram universim prohibeat; sicque Deus ipse accusandus, qui certe, etiam per adversarios, Hebræis usuram, saltem inter fratres, omnino interdixit. Sed hoc indirecto argumento relicto, ut objectionis æquivocatio palam detegatur, dum adversarii contractus fœneratitii commodum, & utilitatem prædicant, ipso contractus fœneratitii nomine decepti duo in unum confundunt, mutuum, & usuram; & bonum, quod solius mutui est, contractui fœneratitio tribuentes, usuræ communicant. Ita bonam, utilem, & commodam, charitati, ac justitiæ maxime congruam, quæ prohibitionem, saltem naturalem, minime ferat, usuram depingunt. Hoc autem nonne est dicere lucem tenebras, ac tenebras lucem? Indignus plane, & expers humanitate fit,

qui commodis, & utilitatibus hominum invidens, rem humanis rebus commodam, & utilem, quæ nihil charitati, nihil justitiæ obsit, accuset, vetet, subducat. At qui ab hoc maxime abhorret, videat simul, ne perperam hæc bona tribuat, cui tribuenda non sunt. In casu autem nostro, quæcunque bona, & utilia in mutuatarios redeunt, ex mutuo, non ex usura dimanant: ex mutuo enim juvantur homines, commodumque, & lucrum capiunt ex mutuo; ex usura autem, qua ipsis decerpitur aliquid, nonnisi damnum nascitur, & damnum quidem, cum charitati, tum justitiæ contrarium, ut lib. V. c. 4. & 5. probatum nobis fuit. Neque forte lucrum quoque, & bonum mutuantium efferas, ut hac ratione contractus fœneratitius ex mutuo debitoribus, ex usura autem creditoribus utilis, totus utrisque, atque omnibus utilis habendus sit. Hoc enim si quis diceret, confusa utilitate licita, & honesta, quæ negari nequit in mutuo, cum utilitate injusta, & inhonesta fœneratorum, qui damnum injustum afferunt, aut saltem damnum, quod nondum ab adversariis justum probari potuit, rem inhonestam, & illicitam, communi, & confusa notione niteretur defendere, quod maximum ratiocinandi vitium est.

3. Eja igitur separentur, quæso, singula. Contractus fœneratitius, quatenus mutuum est, utilis, & commodus, licitus, & honestus, charitati, & justitiæ apprime cohærens negari non potest: quidquid in eo hominibus prodest, totum est mutui. Nemo hunc contractum mutui prohibuit unquam, nemo prohibebit. Immo & Deus, & Patres, & ceteri omnes hoc maxime commendarunt hominibus, & in necessitatibus etiam præcepta tulerunt. Quatenus vero fœneratitius contractus usuræ obligationem imponit, non utilis, nec commodus est, immo damnosus privatis, perniciosus publico, iniquus, ac injustus demonstratus fuit: certe nondum secus ab adversariis probari potuit, unde ad hoc sophisticum argumentum, quod ipsis superest, confugerunt; quo tamen, si antea usuræ injustitiam aliunde non purgent, nihil proficient. Hæc autem usura nihil utilitatis, plurimum detrimenti afferens, illa una est, quam in contractu fœneratitio Deus, Patres, & boni omnes, non Theologi tantum, sed & Philosophi, & Juris naturalis periti, etiam Ethnici, reprehenderunt, atque reprehendunt. Hanc distinctionem inter usuram, & mutuum, qua tota objectionis, uti fertur, inexpugnabilis vis eliditur, paucis suggessit ipse Schismaticorum Thessalonicensium Archiepiscopus Nicolaus Cabasilas, cum in Oratione adversus usurarios utilitatem mutuatariorum similiter efferentes, *Si etiam istud dederimus*, inquit, *certe quatenus commodasti, non quatenus eum fraudasti, profuisti. Nunc non accusaris a nobis, quod das mutuum, sed quod insuper usuram exigis.* In mutuo, non in usura beneficium est, quod mutuatarii commendant, ut pluribus diximus lib. V. c. 6. §. 5. n. 15.

Vide lib. V. c. 6. §. 4.

4. Atqui si nihil lucri, vel usuræ mutuantibus cederet, mutuum non darent, & ita bonum mutuatariorum, ac publicum nullum esset. Usura ergo quatenus mutui tam utilis est caussa, sine qua mutuum non crederetur, utilis ex ipsa censenda est. Vetus hæc cantilena, quam alibi multis rejeci. Nunc dicam tantum, utilitas, & commodum mutuatariorum, quæ profecto non ab usura, sed a mutuo nascuntur, num adimere possunt injustitiam, eo nomine, quod sine hac injustitia illud mutui bonum non nasceretur, & malum potius prodiret? Id si esset, adimeretur fornicationis, & meretricum malitia, quia sine his pejora mala nascerentur. Malum non esset dicendum men-

mendacium, atque perjurium, sine quo vita hominis aliquo casu conservari non posset: & similiter sentiendum de aliis. Bene ratiocinanti videndum, nunquid res de qua quæritur, in se licita, & justa sit, an secus: & si quidem probetur iniqua, & injusta; tametsi ex malitia hominum, si ea non concedatur, plura bona impedienda, plura mala caussanda sint; non tamen eam licitam, & justam affirmare hoc uno argumento licebit, quod alias impediretur bonum, aut malum prodiret. Confer quæ diximus lib. II. c. 5., & hoc libro sexto c. 1. §. 1, ubi similem objectionem explosimus.

### §. III.

*Commodum, & lucrum mutuatariorum, nec ad pensionem annuam, nec ad augendam pecuniæ æstimationem, quidquam confert.*

§. QUod si commodum, & utilitatem, quam ex mutuo debitores percipiunt, justo pretio dignam putes, indeque usuræ justitiam coneris ostendere; hoc ad pretium usus, seu locationem pecuniæ refertur: neque enim alia ratione pecuniæ tribui potest commodum, & utilitas, quam ex usu, qui utilis, aut commodus debitoribus, non minus locationis pretium meretur, quam domus, vel campi, ex commodo, vel utilitate, quæ in locatarios redit. Non aliud quidem volunt adversarii, ut videre est apud Salmasium, Noodt, & alios, qui ex pecuniæ usu, unde commodum, & utilitatem mutuatarii capiunt, usuræ, quam *usus pretium* definiunt, justitiam propugnant. Cum vero hanc locationis vim fuse refellerimus lib. V. c. 5., ubi vel ex hoc usuræ injustitiam demonstrasse nobis videmur, eò lectores remittimus. Quæ si evidentia judicentur, ita ut locationis pretio nullus sit locus, quemadmodum nullus verus est pecuniæ ususfructus, qui locationem recipiat, ut ex ipsis Romanis legibus vidimus lib. V. c. 3., & nihilominus quispiam adhuc mutuatariorum commodum, vel lucrum urgeat, quasi æstimabilia pretio sint; ex ipsis naturalis juris principiis, quæ adversariorum primipili certa viderunt, satis refelletur. Cum enim locatione, & usufructu pecuniæ sublatis, nullum sit usus pecuniæ pretium, distinctum ab æstimatione ejusdem pecuniæ, ut memorato capite 5. ostendimus; pacta mutui restitutione, qua tota pecuniæ æstimatio penditur, commodum, atque utilitas ementium quæcunque deinde in mutuatarios redeat, ita ad ęstimationem pecuniæ augendam nihil confert, ut commodum, atque utilitatem ementium ad pretia rerum augenda non conferre ex ipso naturali jure Ethnici, & adversarii ipsi tradiderunt. Molinæi, & Grotii testimonia recitavimus lib. V. c. 4. n. 4. & 7., qui in casu ipso mutui hoc verum esse professi sunt, ut pecunię mutuę pretium non ex eo quod interest accipientis, idest non ex ejus commodo, vel lucro taxari, aut augeri possit. Salmasii testimonium adjiciam ex l. 2. de Fœnore Trapezitico p. 234., ubi charitati, & justitię inimicum reprobet, si quis pretia rerum, *Quæ non ex affectu, aut utilitate singulorum, sed communiter funguntur* ex L. 33. D. *ad legem Aquiliam*, supra justum modum augeat, ex peculiari commodo, quod quis ex re emtà percipiet: *Habeo*, inquit, *angulum prati, qui deformat agrum vicini mei divitis. Ut quadrata ejus centuria exeat, paratus est a me meum accipere. Si cupiditate ejus abuti velim, quod libebit, etiam licebit, ut non aliter a me extorqueat, nisi summa data, qua infinito justum pretium excedat. Vidi agellos vix viginti au-*

 *reis*

*reis æstimandos pretio ducentorum sic facile venditos. Qui emebant etiam beneficium se accepisse testabantur, & gratiam habebant. Quod majus est, inter honestos hac frequentari video. Non tamen hoc probat charitas, & pars est injustitia, quamvis ea lege permittatur.* Si vero æquissima hæc sententia est, ubi de agello agitur, cujus æstimatio, ac pretium, eum fixa non sint, non semper pretii auctio supra justum modum excedere definiri potest; quidni valebit in pecunia, cujus pretium, & æstimatio, cum sit fixa, ac certa, si quid augeatur ex solo accipientium commodo, vel lucro, ubi nullus aliunde titulus, aut usus pretium probetur, ut in simplici mutuo accidit; hæc quæcunque auctio justum ejus pretium, ac æstimationem certissime exedit. Id autem usuræ proprium est, quæ nullo locationis, aut alio justo titulo, qui nondum productus, vel probatus fuit, ex solo mutuatariorum commodo, aut utilitate supra pecuniæ æstimationem, ac legitimum pretium exigitur.

### §. IV.

*De commodo utentium pecunia ad necessitatis subsidium.*

6. ID autem agnoscetur multo iniquius ex ipsis mutuatariorum circumstantiis, quibus mutuum fœneratitium utile, aut commodum traditur. Vel enim de iis agitur, qui in necessitatis subsidium mutuum quærunt, non ut inde lucrentur, sed ut malum aliquod impendens avertant, ac necessitate succurrant; & magnum quidem hoc esse commodum non inficior, necessitate non opprimi, atque præsidium in angustis rebus invenire. Jure Salmasius hocce commodum omni lucro præponens lib. 1. de Fœnore Trapezitico pag. 90. *An majus*, inquit, *lucrum potest esse, quam eum ex maximo, & inevitabili alias damno opera mutuum dantis . . . emergitur. Longe adhuc amplius vel omni lucro, cum quis vitam ad præsens ex mutuo sustentat, quam absque hoc foret perditurus.* Cum vero ex hoc commodo lucrari, sit ex necessitate lucrari, quod omnia jura execrantur, ex constitutis c. 1. §. 1., quis lucrum ex hoc commodo licite quæri defendat? Adversarii eum usuram a pauperibus exigi posse negant ex ipso jure naturæ, non alia ratione negant, nisi quia lucrandi occasionem aucupari ex necessitate aliena naturale jus prohibet. Non prohiberetur autem hoc lucrum naturali jure, si lucrari ex alienis commodis, quæ in necessitate majora esse, ac omni lucro præstare judicantur, liceret. Hoc principium jure naturali certissimum adversus Salmasium fusius statuimus l. V. c. 6. §. 2.

7. Neque vero is ad probabilitatem prætexendam casum afferat ejus debitoris, qui ut se a graviori fœnore liberet, ab alio creditore mutuum capiat sub minori usura, unde lucrum aliquod percipit ejus gravioris fœnoris, a quo liberatur: ut si solvebat sex ducatos in centum, mutuum autem inveniat cum obligatione solvendi tantum quatuor, duos ex hoc contractu fœnebri quodammodo lucratur. Idem argumentum urget ex Le Placette Joannes Barbeyrachius in Puffendorfii lib. 5. c. 7. §. 9. not. 7. sub finem: ubi tamen hoc mitius fœnus, quod in secundum creditorem redit, cum ad proximi majus damnum impediendum pertineat, etsi injustum dici non posse existimet, quippe quod usuram a justitia alienam non putat, charitati tamen adversum fatetur, quæ cum jubet proximi damna gratis impedire, tum ex hisce necessitatibus non lucra, sed solum ad summum nostrorum damnorum, aut lucri cessantis compensationem requiri posse permit- Ibidem.

mittit: *Il faut remarquer, que quoique eette sorte d' intérêt soit aussi peu contraire a la justiee, que l' autre, il est d' ordinaire beaucoup plus opposé a la eharité. Le besoin de eelui qui emprunte, est tel fort souvent, qu' il oblige ou à prêter sans intèret, ou à se contenter de l' intérêt compensatif, ee qui n' a pas lieu aussi frequemment dans le prets, que l' on fait a eeux, qui n' empruntent que pour profiter positivement.* Quæ optime de charitate hic usurarum patronus tradit, Salmasium satis refellunt. Cum vero de justitia usuræ perperam senserit ex Calviniana præsumtione, quam nos evertimus; idem de justitia, ac de charitate judicium ferendum. Certe non minus inimicum charitati, quam justitiæ est ex necessitate lucrari, ubi nullus est compensativus justitiæ titulus, ex quo aliquid supra justam pecuniæ æstimationem quæratur. Et si quidem usuram quærere sine alio titulo justum non est, non idcirco erit justum quatuor exigere, quod contentus solis quatuor, debitorem liberet a solvendis prætera duobus, quæ ab alio insuper injuste exigebantur. Num enim furari licet quatuor, ne alius sex furetur? Quæ isthæc justitia est, qua ad furtum majus impediendum furtum minus patratur? Ut legitima ratiocinatio sit, justitia usuræ ante statuenda est: quæ si demonstrari nequeat, frustra ex commodo, aut verius ex vitato majori damno ejus, qui usuram solvit, hæc justa probabitur.

## §. V.

*De lucro mutuatariorum. Cur ejus partem exigere nequeant creditores, qui pecuniam dedere, sine qua lucrum perceptum non fuisset.*

8. Neque minus hoc valet, ubi verum, & majus lucrum ex pecunia a mutuatario percipitur; quem casum Barbeyrachius postremis verbis palam excipiendum putavit. Ad hunc quoque casum suam sententiam plerique adversariorum restringunt, Molinæus, Amesius, Grotius, Le Placette, & præsertim Jansenistæ omnes Batavi usurarum patroni, qui proinde ex solis divitibus, ac negotiatoribus ex mutuo lucrantibus licere usuram moderatam exigere defendunt. Rationabilior videtur etiam argumentatio: Lucrantur, inquiunt, illi ex meo, quidni partem lucri ex iisdem jure exigam, tanquam percepti ex re mea? Nihil æquius, si utrumque, quod ponitur iis verbis *lucrantur ex meo*, verum esset. Si nimirum vere lucrentur debitores, & ex re creditoris lucrentur. Vide num me æquiorem præbere adversarium possim: at simul velim, adversarii mihi æqui sint judices, dum hæc duo in examen vocans, facti, & juris conditiones expendam.

9. Primo non semper lucrantur debitores ex pecunia negotiationi e. g. exposita, sed quandoque sine lucro negotiatio cedit, quandoque etiam cum damno. Vi autem mutui creditores semper lucrum exigunt, sive debitores lucrentur, sive non, sive etiam damnum subeant: quibus certe casibus verum non est, jure participes esse lucri, quod non provenit. Quod si etiam frequentius lucrum debitores capiant, cum tamen vi mutui lucrum exigatur etiam eo casu, quo lucrum nullum, vel potius damnum capiatur; iniquitas contractus clare proditur. Ut autem servaretur æquitas, opus esset creditorem lucri partem exigere, cum lucrum percipitur, non autem cum nullum lucrum, & multo minus cum damnum ex negotiatione redit. Immo cum æquitas postulet, ut qui particeps est lucri, damni quoque particeps sit (solius enim lucri partem velle, nullam autem damni, contra no-

tam

tam juris regulam est: *Qui sentit commodum, debet & incommodum sentire*) si quando pro lucro damnum citra culpam debitoris contingat ex casibus fortuitis, creditor damni partem subire deberet pro capitalis rata. Ita si fieret, participem eum esse lucri, quod frequentius percipitur, æquissimum esset: at tunc non mutui, sed societatis veræ contractus legitimus prodiret, ex quo lucrum non fœneratitium, sed legitimum cedit: ac proinde semper stat, vi contractus mutui, quo ea æqualitas non servatur, lucrum vere fœnebre non posse nisi inique provenire.

10. Adde, quod eo casu, quo æquitas illa teneretur, ut non mutuum, sed societas esset, lucrum vere perciperetur e re, & pecunia sua; in societate enim pecunia creditori manet, & a mercatore, tanquam ministro, ac socio industriam conferente, in negotiationis lucrum traducitur. Ita lucrum, quod inde provenit, e re creditoris proveniens, illi jure competit. At in mutuo, pecuniæ dominio in debitorem translato, lucrum, quod inde percipitur, e re debitoris, non autem e re creditoris percipitur, ut pluribus ostendi lib. V. c. 5.; ubi etiam observavi, lucrum id genus non naturalem pecuniæ fructum esse, sed industrialem, qui soli periculo, ac industriæ debetur: unde totus est debitoris, qui solus pecuniæ dominus totam industriam, ac totum periculum subit, ut exemplo furis alienam pecuniam negotiantis demonstravi. Si quam ergo hujus fructus partem creditor velit, alieni fructus partem velle convincitur, quod iniquum est. Id ex natura contractus mutui nascitur, cui malo mederi facile posset, si mutuo societas vera, non palliata supponeretur, qua lucrum exigatur, quoties vere lucrum provenit, non autem ubi sine debitoris culpa nihil lucri, aut damni aliquid redit; & ita in casu damni damnum subeatur, sicut in casu lucri lucrum percipitur.

11. Hanc æquitatem nonnulli æquiores ex ipsis adversariis, saltem ex parte, videntur cognovisse. Guillelmus Amesius l. 5. de Conscientia c. 44., ubi usuram Calviniano sensu licitam propugnat, dum non exigatur ab eo, qui in necessitatem aliquam pecunia usurus est, sed in lucrum; hanc conditionem insuper exigit num. 22. *Ad peccatum vitandum ratio semper habenda est illius, quo eum res est, ut cum ejus commodo, non damno, fructus pecunia redeat ad illum, qui mutuo dedit. Hinc summum jus non potest sæpe sine summa injuria urgeri. E. G. Si quis absque sua culpa jacturam fecerit in negotiatione, quam facit ex pecunia mutuo accepta; inhumanum esset ab ipso exigere pecunia proventum, idest lucrum percipere ex ejus damno. Hanc æquitatem etiam in locatione, & conductione naturalis conscientia videtur dictare; ut si vel sterilitas, vel calamitas superveniens tanta sit, ut conductor damnum notabile patiatur ex re conducta, pensio illi sit a locatore remittenda, vel tota, vel ex damni facti proportione.* Hoc idem antea docuerat usurarum insignis patronus, & antesignanus Carolus Molinæus in tractatu ipso de Usuris, in quo usuram vindicare nisus est; & aliam præterea conditionem subinnuit, ne nimirum in damno citra debitoris culpam creditor damnum subeat. Loquens enim de usura, quæ cum negotiatore pecuniam in lucrum occupante contrahitur, hæc servanda præcipit num. 10., *dummodo qui stipulatur* a mercatore lucrum, *nullam proximo fraudem meditetur, nec usuram inique exigat, immo ne recipiat quidem, si jacturam dando faciat debitor; sed hoc tantum accipiat, & exigat, quod bona fide, & cum æquitate vellet a se accipi, & exigi in eadem peristasi existens, vel*

in

*in simili necessitate deprehensus*; quibus postremis verbis videtur subindicare ita capitalis partem in hoc damno remittendam, uti in simili damno sibi remitti quisque cuperet: id quod confirmare possunt illa, quę deinde subdit num. 530., ubi hunc locum appellans, ait: *Adhuc iterum verum est, quod ubi constat, pecuniam casu fortuito omnino perisse debitori, non decet creditorem usuram exigere, quin etiam nec sortem quandoque, ut supra num. 20., & & 70.*

11. Si hoc solum defenderent adversarii, nihil inhonestum, injustum nihil defenderent, nec damnari in ipsis quidquam posset, nisi quod usuram dicerent lucrum non usurarium, & hoc errore usuram defenderent licitam, quæ divino, & naturali jure reprobata, ab Ecclesia etiam damnatur. Vereor, ne sicut usuram perperam esse contendunt, quod justo lucri cessantis, aut damni emergentis titulo in meram compensationem exactum usura non est, ex dictis cap. 2. §. 2., idque contendunt, ut jure videantur usuram defendere, quam hoc justo titulo defendunt; ita eodem consilio mutuum, & usuram præferant, quod legitimæ societatis, ac negotiationis naturam, & conditiones exhibet. Ita error non rei, sed verborum esset, at verborum ejusmodi, quæ contra Ecclesiæ doctrinam, & auctoritatem pugnant, ac si hæc usuram damnans, rem damnet maxime honestam, & justam, nec non magnum hominibus pariunt scandalum, quippe qui usuram licitam exinde audientes, contra Ecclesiam male animantur, periculoque exponuntur, ne usuram in se licitam universim putantes, omnes casus etiam vere usurarios licitos judicent. Interim vides, quo tandem evaserit illa objectio, quæ invicta credebatur. Immo vides, quanta æquitatis evidentia ipsi adversarii hac occasione devicti, veræ usuræ injustitiam confirment, qui in ipsa pecunia negotiatoribus tradita, cui jam usuræ licentia restringitur, iis conditionibus mutui, & usuræ limites egredientibus lucrandi facultatem coercendam videre.

12. Ergo ne, urgebit postremo aliquis, nihili habendum est lucri commodum pecunia datum, sine qua negotiari, & lucrari nemo potuisset? Non dico hoc nihil esse, quod totum est. At si quæras, quanti hoc commodum sit, dicam tanti, quanti est ipsa pecunia, nihil autem supra. Quidquid enim pecunia valet, non ex se, sed ex commodo, & usu, quem habere potest, tota ejus æstimatio petitur, ita ut nihil penderetur, si nulli commodo, vel usui proficeret, ut pluribus ostendi lib. V. c. 5. §. 2. n. 9. Supra hanc porro æstimationem pecuniæ, quæ legitimum, justum, ac fixum ejus pretium habet, nihil augeri potest ex peculiari fortassis lucro, vel commodo, quo quis ex pecunia lucretur (ubi alius nihil exinde capiens lucri, in necessitatis commodum eadem utatur) vel quo quis præ alio magis lucretur; rerum enim pretium ex peculiari cujuspiam necessitate, vel lucro augeri justitia prohibet, ut Molinæus, Grotius, & Salmasius paullo ante allegati prodidere. Lib. V. c. 4. n. 4. & 7. Si quis e. g. acum, vel forcipem &c. carius vendere vellet, ex utilitate magna, quam sine illis sutor non perciperet, (1) injustus diceretur. Quidni similiter injustum dicamus pecuniosum, qui fixam

(1) Hoc explorate docet S. Thomas 2. 2. q. 77. a. 1. in corp., ubi & rationem affert ex naturali jure: *Si aliquis multum juvetur ex re alterius, quam accipit, venditor non debet eam supervendere; quia utilitas, quæ alteri accessit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis.*

fixam ducatorum centum æstimationem in mutuo augeat ex lucro, quod inde negotiator percipiet? Hanc æstimationem autem auget, qui aliquid supra centum ex mero debitorum lucro exigere se posse autumat, ut in præsenti objectione præsumitur; idque eo manifestius iniquum agnoscitur, si hoc lucrum periculi, & industriæ fructum, non autem naturalem pecuniæ fœtum cogitemus. Vide quæ contra hanc opinionem fusius diximus memorato lib. V. c. 5. §. 4.

### §. VI.

*Fortius solvitur objectio, qua contractus fœnebris utrique contrahenti utilis, ac eo nomine licitus dicitur.*

14. ETsi satis videantur, quę diximus; cum tamen hoc tempore alii hoc idem argumentum alio quodam prospectu exaggerent, alia quadam methodo, & fortassis efficaciori illud diluere superfluum non erit. Cum contractuum justitia, inquiunt, nonnisi a mutua contrahentium utilitate, ac beneficio pendeat, injustitia autem ab alterius gravamine, ac damno: ille contractus haud potest appellari injustus, & illicitus, qui utrisque contrahentibus utilis, neutri perniciosus est. Ejusmodi autem prædicatur contractus, quo pecunia aliquibus cum moderata usura creditur. Utilitatem, enim non minus percipit, qui pecuniam cum lucro credidit, quam qui pecuniam accepit; nam is, soluta nihilominus usura, utilitatem, vel commodum percipit, quod sæpe majus est, vel saltem pluris æstimatur, unde ejus caussa usuram libentissime solvit. Qui igitur contractus utrinque utilis poterit esse, & haberi injustus? Hoc argumentum, si verba spectentur, negari nequit, quin speciosum sit. Qui vero in verborum specie non sistit, sed intimos sinus penetrans, justitiæ regulas consulit, sub eximia specie plures fallacias occludi facile intelliget.

15. In primis propositio, qua contractus usurarius utrique contrahenti utilis traditur, illi soli casui competit, quo is, qui pecuniam accipit, utilitatem ex pecunia consequitur majorem usurario fructu, quem creditori solvit. Id autem tantummodo evenit, cum pecunia creditur, vel in emtionem fundi, vel in negotiationem, & eo solum casu, quo ex hac emtione, vel negotiatione debitori majus lucrum redeat. Quid vero si lucrum non esset majus fœnore? Quid si esset minus? Quid si pro lucro damnum ex negotiatione cederet? Quid si prædium aliena pecunia emtum, fideicommisso detecto, auferatur emtori, nullo restituto pretio? Quid si nec in emtionem fundi, nec in negotiationem quæratur pecunia, sed ut necessitati haud quæstuosæ succurratur? Nonne hic casus monetæ accipiendæ frequentior est? Qui locus hisce in casibus erit utilitati communi? An non usura est illud lucrum, quod vi contractus quæritur, sive accipienti lucrum proveniat, sive non proveniat, sive etiam damnum illi pro lucro redeat? Si vere liceret moderatum lucrum ab iis exigere, qui magis lucrantur, eo quod hoc casu lucrum commune intercedit; num æque justum, ac honestum esset ab iis lucrum petere, qui vel minus lucrantur, vel nihil, vel detrimentum incurrerunt, quibus in casibus usuræ solutio damnum evidentissimum affert? Quod si usurarii contractus natura est exigere universim lucrum a quolibet, qui pecuniam accipit; ac proinde etiam ab iis, qui nihil lucri capiunt, idest cum evidenti damno ejus saltem usuræ, quæ sine ullo lucro aliunde compensante solvitur; quomodo is contractus justus credi poterit, si contractuum justitia a mutua, & communi

muni utriusque partis utilitate sumenda videatur? Si unica circumstantia, vel unicus casus inæqualis, & injustus, qui in contractu includatur, ipsum contractum vitiat; quid censendum erit de contractu usurario, qui nullam exceptionem apponens, omnes casus, etiam inæquales, & frequentiores complectitur? Adde quod, si recte perpendamus, quæcunque utilitas mutuatario provenit, non provenit vi ipsius mutui usurarii, quod nihil mutuatario lucri affert, sed ex alio contractu, qui pecunia mutua postea ineatur, ex. gr. emtione prædii, negotiatione &c., qui contractus sunt ab usurario mutuo distincti, nec vi ipsius mutui contrahuntur. Igitur si quod etiam mutuatario obveniret lucrum, cum id non ex mutuo fœnebri, nec vi ipsius mutui proficiscatur, quomodo communis mutuatarii utilitas, quæ per accidens, & extrinsecus advenit, in contractu usurario confingitur? Huic contractui insitum atque intrinsecum tantummodo est, ut lucrum, sen per obveniat mutuanti, qui vi contractus fœnebris de lucro stipulatur semper, sive debitor lucrum percipiat ex pecunia mutua, sive non percipiat, sive pro lucro damnum subeat. Quod si ad contractuum justitiam inspiciendum est quod ipsis insitum, & substantiale est, non vero quod per accidens aliunde accedit; quomodo usurarius contractus in tanto substantiali discrimine utilis per se utrisque contrahentibus habebitur, ita ut hoc nomine justus per se haberi debeat?

16. Quid porro si principium, quod tantopere urgetur, nimirum justitiam contractuum a communi contrahentium beneficio, ac lucro pendere, evidentissime falsum sit? Quis audivit unquam, contractus eo tantum ex capite justos esse, si utraque pars utilitatem, & commodum capiat? Si hoc verum esset, penicillus, qui paucis obolis æstimatur, vendi posset scuto argenteo pictori, qui eum per accidens emere aliunde non potest, si ex pictura eo penicillo conficienda majus illi lucrum cederet: tum enim magis refert penicillum scuto emere, ac scuta ex. gr. centum pingendo lucrari, quam, ne tanti ematur penicillus, nihil lucri capere. Et ut casum usurarium proferam, duo supra usitatum locorum modum exigi possent in singula centum, si is, qui ea solvere cogitur, plura lucretur: huic enim magis expedit duo illa supra modum solvere, quam, ne hæc solvat, non invenire pecuniam, & omni lucro carere. Mitto alia id genus exempla. Etsi in his contractibus utrinque utilitas proveniat; nemo tamen poterit ipsorum injustitiam purgare, eo quod altera ex parte pretium aliquod injustum intervenit, hæcque injustitia pretii communi beneficio dilui non potest. Negari nequit, quin alter e contrahentibus, qui gravatur, in hoc pretium tametsi injustum consentiat: at consentit invitus, cum alia conditione pingere, aut negotiari non posset. Ita etiam quidam villici, aut mercenarii operantur aliquando vilissimo pretio, propterea quod vivendi necessitas urgeat. At si pretium sit infra æstimationem infimam operum; ab injustitia eximi nequeunt ii, qui necessitates id genus aucupantur, ne justum operum pretium solvant. Hi omnes absque dubio sunt contractus iniqui, & injusti, cum læsio alterius partis evidens sit. Nihilominus hæc quoque pars manifeste læsa suum lucrum consequitur, quod non perciperet, nisi contractus iniretur. Falsissimum itaque est principium, contractus esse justos, ac licitos, si utriusque partis utilitas adsit.

17. Quid ergo? Ut contractuum justitia, vel injustitia prodeat, æqualitas, vel inæqualitas inter datum, ac receptum pensanda est. Ubi æqualitas servatur, justitia præsto est; ubi

ubi autem aliquid inæquale intervenit, injustitia oboritur. Porro æqualitas, vel inæqualitas in contractibus non petitur ab utilitate, & lucro, quod ex rebus in contractum cadentibus mutuo proveniat: nam commutari juste potest ager fructifer cum gemma, quæ nihil fructus afferat. Potest item contrahi societas inter duos, qui parem pecuniç summam, & industriam conferant: quorum tamen alteri si minor utilitas, alteri vero si utilitas major fine majori titulo assignaretur, lucrum quidem esset utrinque; at quidquid in pari titulo uni detrahitur, ut alteri vindicetur, injustum esset. Neque deduci potest justitia pretii cujusdam rei ex utilitate, quam exinde aliquis propria industria colligit; secus iidem colores pictori eximio pluris vendi possent, quam pictori triobolari: & eadem ratione pluris vendi posset ferrum artifici peritiori, & artis nobilioris, qui plus lucratur. Immo si quis esset ejus scientiæ, & artis, qui ferrum convertere posset in argentum, vel aurum; ab hoc majus multo pretium exigere pro lucro ejus maximo honestum esset. Quis propositiones adeo novas, & miras aliquando audivit? At eas oporteret concedere, siquidem justitia contractuum ex mutuo quocunque lucro sumenda esset.

18. Quod si ad justitiam æqualitas inter datum, ac receptum inspicienda est, quis non statim intelligat datis mutuo scutis centum, quæ per se solis scutis totidem ad æqualitatem æstimantur, plura non posse exigi, & si quid amplius exigatur, absque alio justo, & vero, vel contractu, vel titulo, semper exactum esse aliquid supra çqualem illorum æstimationem, ac pretium; ac proinde id, quod pluris est, & usuram constituit, ad inæqualitatem, ac injustitiam manifestissime pertinere? Neque dici potest illud plus juste solvi pro pecuniæ usu, qui accipienti commodus, atque utilis est: nulla enim alia de caussa centum scuta cuipiam credita valent scutis totidem, nisi pro usu; quippe quæ si nulli essent usui, nihil valerent. Cum ergo scuta centum spondentur in mutuo; quantum illa, & usus illorum valet, spondetur. Sed neque hunc usus, vel locationis pro usu pecuniæ, neque alium quempiam titulum mutuo inesse, ex quo aliquid supra sortem exigi juste possit, duobus his postremis libris luculenter monstravimus; adeo ut omni justo titulo deficiente, manifesta sit naturalis usuræ inæqualitas, & injustitia, quam & Scriptura, & Patres, & Pontifices, & Concilia testantur. Qui autem hanc injustitiam purgare nequit, haud poterit ex quocunque debitoris commodo, ac lucro contractum fœnebrem debitori utilem contendere. Cum enim quod injuste solvitur, verum sit damnum; quidquid debitor ex pecunia proficiat, nihil conferet, ne verum damnum ipsi illatum dicatur, cum usura per se injusta ab eodem exigitur: nam etsi maxime aliunde lucretur, certum tamen capit damnum, quoties solvere cogitur, quod juste solvere non deberet. Nisi verum damnum contractus fœnebris proprium debitori utile censeatur: proculdubio contractus fœnebris debitori utilis dici non poterit. Utilitas, si quam capit debitor, aliunde, sive ex industria, sive ex aliis contractibus provenit, non autem ex contractu fœnebri: qui propterea per sese merum injustum damnum affert. Vide ergo quam perperam utrique parti utilis, & eo titulo licitus prædicetur.

CAP.

CAP. VII.

*Refellitur adversariorum criminatio de usura aliquot contractuum specie a Catholicis indirecte suscepta, atque defensa.*

§. I.

*Criminatio adversariorum exponitur.*

1. OMnes rationes, quas pro usura purganda adversarii afferunt, hactenus refellimus. Nunc reliquum est criminationem nonnullorum considerare, Catholicis Theologis, & Canonistis impactam, cum scilicet aliquot contractus ab his approbatos, atque defensos, in usuræ fraudem excogitatos accusant, ita ut alio sub nomine usuram admittant, & inducant, quam doctrina prohibent, & damnant. Salmasius Lib. 1. de Fœnore Trapezitico de Canonistis ait pag. 4. *Tales eum satis animose Christianis fœnore interdixissent, postmodum coacti sunt, necessitate ita urgente, miseras usuras, quas foribus excluserant, per fenestram admittere. Sub alieno quippe, & arcessito nomine fœnus permiserunt, quod sub propria appellatione vetuerant. Quid enim aliud, quæso, sunt redditus illi annui, quos emtionis, ac venditionis nomine obvelarunt, quam usura, & quidem graviores, quam quas veteres proprie sic vocarunt, & libere exercuerunt?* Idem aliis verbis repetit p. 61. & p. 91., ubi hoc idcirco ab illis inventum affirmat, ut sibi persuaderent servari abs se canones, qui usuram vetant, si contractus inirentur, qui, re immutata, usuræ nomen mutarent. Gerardus Noodt Lib. 1. de Fœnore & usur. c. 12., Theologos insequitur probantes emtionem cum pacto de retrovendendo, nec non Pontifices, qui census venditionem, & emtionem cum simili pacto approbarunt; ac si in his usura horum contractuum nominibus velata delitescat. Alii porro alios contractus objiciunt, qui etsi jure damnentur a non paucis Theologis, ab aliis tamen in praxi re ipsa permittuntur, & vindicantur. Ex his porro usuram haud damnandam contendunt, quæ vel a Catholicis ipsis alieno nomine tecta suscipitur, atque probatur. Vide Salmasii præfationem in librum de Usuris. Ita Catholicorum etiam, qui usuram reprobant, auctoritatem, in usuræ patrocinium attrahere nituntur.

§. II.

*Annui redditus, seu realis census ab Ecclesia approbati vindicia. Quantum distet ab usura. Salmasii hallucinatio alius vere usurarii redditus notionem proferentis. Hunc redditum a vero censu diversum semper usura notavit Ecclesia.*

2. HÆc autem indirecta usurarum defensio ut subvertatur, primo contractus census, seu annui redditus, qui ab adversariis nominatim perstringuntur, si ita fiant, uti ab Ecclesia approbantur, perperam usuræ arguuntur. Verus enim census, ac redditus annuus nihil aliud est, quam certi ususfructus, annuique redditus emtio, qui sane sicut ex lib. 2. Instit. tit. 4. a proprietate fundi separari, ita & locari, & vendi separatim potest ex L. 12. §. 2. D. *de Usufructu*, & Lib. 2. Institut. tit. 5. §. 1. Ususfructus nimirum non merus usus est, sed *jus in usum*, uti definitur a Paullo L. 1. D. *de Usufructu*: unde Cajus L. 1. D. de *Rerum divisione* scripsit, usumfructum *in jure consistere*, atque a fructu distingui: jus autem, quod quisque habet, in alium transferre potest. Fac quis leget qua-

Verus census ab usura discrepat.

quatuor tritici modia cuipiam annuatim solvenda ex suo prædio; is quendam prædii usumfructum legavit. Porro qui legare potuit, potuit & vendere. Fac porro, quod inter venditorem, ac emtorem conveniat de modiis numerata pecunia æstimandis, ac idcirco jus emtori acquisitum sit in annuos ducatos quatuor; hic ille contractus est, quem censum, vel annuum redditum appellant. Jura decimarum usufructus perpetui species sunt, quæ certam proportionalem quantitatem suscipiunt. Hoc autem contrahendi genus, cum juri est maxime consonum, tum ab usura alienissimum est; sicut in decimarum jure omnes agnoscunt.

3. Usuræ quidem ratio, ac malitia in eo sita est, quod fructus annuus quæratur ex usu pecuniæ, aut alius rei consumtibilis, quæ per se diuturnum usum pretio æstimabilem non capit, & fructum non parit, ut l. V. c. 5. vidimus. At qui usumfructum, censum, aut annuum redditum emit ex prædio, quod per se fructum annuum parit; nonne legitimum jus in verum fructum emit, quod ab usura abest quam longissime? Id unum in praxi refert videre, num vera usufructus ejusmodi emtio, an simulatio fiat. Si cum pecunia cuipiam traditur, qui prædia, aut domus annui census idoneas habet, vere non vendatur, nec ematur ususfructus annuus, qui vendi, & emi posset; sed fructus quæratur ex pecunia, cui cavendæ prædia, vel domus obligentur: tum non census, sed usura contrahetur. Antiquis Romanorum temporibus, cum hac una ratione creditoribus bona obligarentur, vel etiam prædia traderentur, ut eorum fructibus creditor pro usura uteretur, quemadmodum pluribus testimoniis probat Salmasius de Modo Usurarum c. 12. & seqq., nihil mirum si SS. Patres nullos census veros noscentes, omnes ejusmodi contractus usuræ damnarunt. Vitium usuræ non in vero censu collocarunt, sed quia verus census non emebatur. Si veri autem census fuissent emti, ut posterioribus temporibus inductum fuit; nihil usuræ illi reprehendissent, sicut nec in censuum, seu ususfructuum legatis reprehendere. Pontifices autem, Theologi, & Canonistæ, cum censum, annuumque redditum probarunt, veram veri ususfructus emtionem probarunt; nec idcirco hi contractus usuræ damnari queunt. Salmasius in disquisitione de mutuo p. 337. emphyteusim veterum, qua dominio retento fundus cuipiam tradebatur, cum usufructu sub annua pensione, vel canone sibi solvendo, exemplar fuisse affirmat redditum annuorum, aliorumque similium contractuum, qui postea inducti fuerunt: *Constat ad emphyteuseos exemplar formata fuisse, & ab emphytheusi originem duxisse omnia illa contractuum genera, quæ barbarico seculo imperii, partim in Ecclesiam introducta sunt, partim in vitam civilem, precariarum, libellariarum, censuum, redditum.* Non ergo inanes, aut fœneratii contractus haberi possunt, qui emphytheusi contractui reali, nec fœneratitio similes sunt. Quod si emphytheusim Salmasius non damnasset fœnoris, quid annuos reditus, aut census inde profectos damnarit? Nonne vel hinc apparet hallucinatio? Num ut usura Catholicis impingatur, contractus, qui vel per ipsum ab usura discrepant, usuræ damnandi sunt? Idem est de emtione domus, vel prædii, cum pacto retrovendendi in venditoris gratiam, quam etsi Noodt usuræ palliis accenseat lib. 1. de Fœnore c. 12., fatetur tamen vindicari *non male quoad juris subtilitatem*, si nimirum recte, & sincere vera emtio fiat, quam solam Catholici approbant. Si autem in praxi simuletur, concedam *usurarium fore contractum, qui latet sub colore emtionis, & venditionis*: at id non proba-

Cautio pro vero censu discernendo.

SS. Patres quid damnant.

Totum confirmatur ex Salmasio.

Et ex Noodt.

bavit unquam Ecclesia, sed fraudis potius, ac vitii damnavit, & damnat.

4. Verum cum Salmasius redditus annuos usuræ damnat eos, qui e pecunia alicui data sine ullius veri usufructus emtione exiguntur, eundem veras usuras, non autem veros census intelligere, palam colligitur ex. lib. 1. de Fœnore Trapezitico pag. 77., ubi eorum redditum formam a Canonistis inductam explicat his verbis: *Redituum annuorum jam apud veteres aliquod fuit vestigium, cum pecunia summam testamento multi certis corporibus, & collegiis relinquerent, ex cujus reddita quotannis natali suo epulam, aut propinationem decurionibus collegii praberi vellent, aut profusiones florum fieri &c. Sors ejus pecunia manebat semper penes eos, quibus erat legata ea conditione. Ad eorum redditum exemplar ( sic enim inscriptiones veteres Latina ubique eos nominant, ut Graci* προσόδυς *) annuorum redditum forma constituta est. Quorum hac est ratio, ut quandiu sortem retinere velit debitor, dum usuras prastat, non possit eam ab invito repetere creditor, ita ut etiam ad heredes debitoris transeat.* Subdit porro exemplum ex Novella 160., in qua hic casus Justiniano propositus fuit. Cum magna auri summa Aphrodisiensium Reipublicæ ex legatis quorundam relicta fuisset, magnates ejus civitatis eam pecuniam, ne periret, apud privatos collocarunt, ea conditione, ut quandiu ipsis liberet, etiam in perpetuum tenerent pecuniam, dum quotannis, quandiu apud ipsos maneret, certam pensionem solverent, quam alii fructum, alii redditum, alii usuram appellabant. Quia vero nova Justiniani Constitutione cautum fuerat, ut in usurarum præstatione, ubi eæ etiam quotannis solutæ sortem æquassent, non amplius penderentur; quæstio tunc mota est, num hic casus comprehenderetur, ita ut vel sors exigenda esset ab illis, qui pensionem solverunt, & apud alios collocanda, quod contra pactum videtur fuisse; vel otiosa apud priorem debitorem esset relinquenda, quod cessisset in Reipublicæ damnum. Rescripsit Imperator, hunc, aut similem casum ea Constitutione nequaquam comprehendi, *siquidem hoc magis annuo redditui, quam usura prastationi simile videretur.* Non igitur valere ait legem illam, quæ de usuris proprie dictis, non autem de annuo redditu sanxerat. Ita casum hunc, velut peculiarem, & externum nomine *redditus* excipiens, Constitutionem de usuris sartam tectam adhuc servari Imperator prætulit. At annuus hic redditus, cum non rei fructiferæ, sed pecuniæ redditus esset, qui re ab usura nihilum discrepat, ut liquet ex L. 24. D. *de Prascrip. verbor.*, & L. 30. D. *de adimendis legatis*; frustra Justinianus peculiarem exceptionem allegavit. Post hæc autem Salmasius pag. 79. *Habes formam*, inquit, *nostrorum redituum, plane non illo themate adumbratam lineis tantum, sed expressam omnibus suis coloribus.* Si nostris annuis redditibus nihil usufructuarii juris e rebus fructiferis emeretur, sed merus exigeretur *pecunia fructus*, qualem veram usuram esse & inscriptiones testantur, & Patres docuere ( unde illud S. Hilarii in Ps. 14. n. 15. *Pecuniam tuam in redditum componis*, ubi usuram hoc *redditus* nomine designat, & damnat, ) jure a Salmasio hujusmodi redditus antiquis illis similes usuræ damnarentur. At non hoc annuorum redditum, aut census genus probarunt Pontifices, non Canonistæ, non Theologi, qui eam legitimi census naturam posuerunt, ut e re fructifera certus usufructus legitimis conditionibus ematur, quod cum ab eo antiquorum vere usurario reddito longissime discrepat, tum vero injuria prorsus usurę accenseatur.

Ficti, & usurarii census qui.

§. III.

### §. III.

*De aliis contractibus usuram pallio tegentibus. Hos cum Catholici quidam defendunt, adversariis non favent.*

5. Atqui, urgebis, alii Theologi, vel Canonistæ quasdam annui redditus species invexere, aut alios contractus, qui a pecuniæ reddiiu, atque usura re ipsa discrepare non videntur, nimirum reales, aut personales census utrinque redimibiles, tres contractus; & ne quem casum usuræ expositum relinquant, contractum aliquem implicitum pro conditione ejus, cui pecunia traditur, alium, atque alium, voluntate quadam implicita, semper iniri contendunt, ut ne mutuum, & usura unquam committatur, nisi a scientibus, atque volentibus. Hinc nulla unquam in praxi usura reperitur, nisi ubi modus lucri excedatur. Hic autem pulcher fucus est, inquiunt adversarii, ne contra veritum usura recipi credatur, quæ tamen re ab hisce contractibus, vel commentitiis, vel in mutuum recidentibus, haudquaquam separari potest. Id porro augent, vel confirmant ex nonnullorum Ecclesiasticorum praxi, qui sub hisce coloribus usuram, quam detestantur, practice exercent, adeo ut illud Comici in hos regerant: *Culpant, & comedunt tamen*. Nec desunt, qui Ecclesiæ silentium afferant, quæ dum hæc jamdiu scit, nec damnat, probare videtur, ac ita renunciare quodammodo rigori illi veteri, quo nihil usuræ patiebatur. Pusillum argumentum, quod etsi Catholicis quidem istis Theologis pudori, & coercitioni esse deberet, adversariis tamen nihil prosit.

6. De meris usurariis factis, si quæ vere etiam ab Ecclesiasticis usuram damnantibus patrarentur, nihil laborandum hoc loco est: cum in casibus ejusmodi illud Evangelicum valeat: *Quod dicunt facite: secundum opera vero eorum nolite facere*. Ex quibus Augustinus Enar. in Ps. 128. n. 5. objicientibus, *Clerici non fænerent*, respondit: *Forte qui tibi loquitur, non fænerat. Sed si fænerat, & facis, quia & ipse fænerat, nunquid fænerat, qui per ipsum loquitur? Si facit quod tibi dicit, & tu non facis; tu in ignem, ille in regnum. Si non facit, quod tibi dicit, & pariter facit mala, quæ facis, & dicit bona, quæ non facit, pariter in ignem. Fænum ardebit, verbum autem Domini manet in æternum*.

7. Doctrinam porro, qua hæc usuraria facta variis controversiis, & ementitis, si placet, contractibus ab usura quidam ex iisdem Theologis vindicare nituntur, nihil in adversariorum errorem conferre liquet. Quotquot enim ex Catholicis ejusmodi contractuum praxim defendunt, omnes tanquam dogma fidei confitentur, usuram quamlibet esse peccatum, nec alia de caussa lucrum ex iisdem contractibus exactum opinantur licere, nisi quia usuram in illis esse non credunt, propterea quod hæc ex solo mutuo nascitur, alios autem a mutuo contractus eos vere esse opinantur. Hallucinantur quidem hi, ut alii Theologi ostendunt; at quando sic hallucinantur, sicut usuram probare dici nequeunt, quam maxime reprobant, ita nec ab adversariis in suas partes traduci queunt. Duo hic distinguenda sunt, principium fidei, quo de usuræ malitia statuitur, & peculiares practicæ controversiæ, quibus quæritur, utrum casus aliqui usurarii sint, nec ne. In principio fidei omnes Catholici convenerunt semper, atque conveniunt. Solum in casibus practicis discrepant, cum alii mutuum, & usuram non videant, ubi alii probabilius vident utrumque. Nobis hic propositum non est hos casus ad calculos revocare, & pallium detegere: solum enim

enim principium statuendum, & Ecclesiæ dogma vindicandum sumsimus. Conveniamus primum in ipso principio, sine quo frustra de casibus practicis decidetur.

8. Ceterum si eorum Catholicorum, qui usuram in memoratis contractibus negant, placet auctoritas; hæc non in usuram vindicandam, sed in condemnandam confert. Cum enim usuram idcirco negent iis in contractibus, quos licitos putant, quia illam enim Catholicis ceteris malam fatentur; qui fieri potest, ut pro vindicanda usura eorum auctoritas allegetur? Accidit hac in re, quod in simonia. Qui enim casus quosdam forte etiam simoniacos purgare nolunt, simoniam ab iis ablegare student. Id autem si etiam perperam faciant, num simoniæ assertores dici queunt? Neque refert, quod illi contractus ab aliis usuræ damnentur. Quando enim alii absolvunt illos ab usura, alii autem damnant, omnes in principio conspirantes, usuram profitentur malam: idque commune, & constans suscipiendum est, ut ne quis ulla ex particulari controversia traduci possit ad vindicandum, quod tam diserte condemnatum præsumit. Ex eo principio ab omnibus Catholicis asserto dijudicandi sunt particulares casus practici, & malæ opiniones emendandæ; non autem ex practicis casibus, vel opinionibus ipsum certissimum principium subvertendum, aut in dubium revocandum est.

## §. IV.

*De Ecclesiæ silentio, quod approbationi tribuitur. Ea satis locuta, contractus ejusmodi reprobasse, aut certe non approbasse ostenditur.*

9. Quod autem de Ecclesiæ silentio, aut dissimulatione, quę approbatio videri possit, additum fuit, est vulgaris quidem, at imperitorum objectio. Nam præterquamquod non semper silentium est approbatio; satis hac in parte pro temporum occasionibus locuta est Ecclesia, & ita locuta, ut Ecclesię vocem audientibus, ac intelligentibus, satis inde suppetat, unde pallium omne usurę dignoscentes, praxim tute dirigere possint. Primum enim jamdiu a Nicęni tempore omnem usurariam *adinventionem* proscripsit, qua certe fraudes simulatorum contractuum, e. g. societatis sine periculo initę, Balsamone, & Zonara interpretantibus, inductę fuerant. Sępius porro deinceps, ne contractus in *usurarum fraudem* fierent, variis canonibus vetitum fuit. Vide Synodum Pictaviensem an. 1280. c. 6., Avenionensem an. 1282. can. 1., Æduensem an. 1299. art. 9., Concilium Ravennatense quartum Bononiæ celebratum an. 1317. c. 15. &c. Expresse autem sublati a Summis Pontificibus contractus mohatra, antichrisis, cambia sicca, deposita, etiam apud mercatores, cum annuo redditu, tanquam contractus in usurarum fraudem conficti.

10. Legitima annuorum reddit.uum, ac censuum forma a Pio V. pręscripta est, in qua solo reali censu probato, si non omnes pręstitutę conditiones ad hujus contractus substantiam necessarię sint, non tamen ita omnes contemnendę, & abjiciendę, ut contractus in mutuum redeat, & usurę fraudi sit. Hinc usura in *emtionibus annuorum censuum, & redditυum*, qui scilicet recidunt in mutuum, damnarunt aliquot Synodi, Osnaburgensis an. 1628. part. 2. c. 4., Mindensis an. 1632. part. 2. decreto 3., & alię. Inter cetera autem, cum in censu utrinque redimibili pactum, quo cogi possit debitor ad redimendum censum, & restituendam pecuniam, eò recurrat, ut pecunia emtionis nomine data fuerit cum restitutionis obligatione, quod essentiale mutui est; ex

ex hoc pacto ab omnibus Pontificibus excluso, qui sola redimendi facultate venditori relicta, censum perpetuum ex parte emtoris requirere, contractum ejusmodi in mutuum recidere, ac in usurarum fraudem initum plures Episcopi declararunt, presertim Clerus Gallicanus an. 1700. in proscribenda propositione 58., cui jamdiu prçeverat S. Carolus in Concilio Provinciali I. part. 2. tit. *de Usuris*, usurariis contractibus accensens contractus emtionis, *ubi venditor redimere cogatur*. Vide, si plura desideras, Opusculum *De Montibus pietatis* cap. 3.

11. Sixtus V. damnavit veluti usurarias societates cum duplici assecuratione sortis, ac lucri: & in hac condemnatione tres contractus ab eodem Pontifice condemnatos plures Synodi etiam novissimę testatę sunt, Isclanensis an. 1716. part. 1. c. 6. §. 4. n. 3., Umbriaticensis an. 1720. tit. 9. n. 9. &c., unde alii subinde Episcopi & Hispani, & Galli, & Germani, & Itali eundem contractum reprobarunt. Confer Opusculum de pecunia in negotiationem tradenda.

12. Gregorius XIII. a Bavariæ Duce interrogatus de quodam contractu in Germania passim usitato, quem plures alius contractus saltem impliciti nomine vindicare student, eundem damnavit usuræ hac ratione, quia ad aliam speciem, quam mutui redigi nequit: *Contractus, forma, & modo prædictis celebratus, usurarius est; neque enim ad aliam speciem, quam mutui eum conventione lucri ex eodem mutuo percepti reduci potest*. In quo cujusvis impliciti contractus commentum reprobatur: neque enim solum ait eum contractum, qui traditionem pecuniæ cum obligatione restitutionis præferebat, non aliud esse quam mutuum, sed affirmat præterea, ad aliud reduci non posse; quod idem est ac dicere, nullum alium contractum implicitum census, societatis &c. posse dici eum, qui substantiam mutui apertissime profert. Casus, quos aliquo implicito contractu auctores quidam defendunt, haud dissimiles sunt: neque enim contractu implicito indigent, nisi qui mutui formam, ac substantiam exhibent. Omnia & deposita, & cambia sicca, & ceteri omnes contractus ab Apostolica Sede, vel Sanctis Patribus damnati, hac impliciti contractus excusatione, quæ æque semper præsto fuit, æque purgari potuissent, uti sane omnes nunc ab istis auctoribus hoc nomine purgantur. Contra hanc igitur novitiam inventionem omnes Patres, & Apostolica Sedes reclamant. Plura in hanc rem disputata invenies in Opusculo *De inani contractuum implicitorum systemate*.

Hoc documentum e ms. editum in fine hujus operis legetur.

13. Pro aliis autem casibus, qui forte ex decretis iam indicatis non videantur omnino definiti, regula generalis de dubiis contractibus vitandis ab Episcopis, & Synodis præfixa satis esse deberet. Hic solum appendam verba celeberrimæ Synodi Farfensis a Cardinale Carolo Barberino hab tæ an. 1685., ubi c. 14. *de usuris, & illicitis contractibus*, nullæ negotiationes de usura suspectæ a Confessariis permittendę traduntur, *nisi post exactum studium, & peritorum etiam, si opus fuerit, consilium, eas legitimas, permissasque esse certo constiterit*. Similia leguntur in Synodo Sublacensi tit. 3. pag. 296., & in Senogallensi an. 1737. c. 47. p. 94., & alibi.

14. Hæ autem voces Episcoporum, Synodorum, Summorum Pontificum, voces Ecclesiæ sunt, quæ si non satis esse videantur ad omnes controversias inter Catholicos quæstiones plane finiendas, casusque dirimendos, apertiorque in id, atque expressior declaratio desideretur; satis tamen, superque sunt ad os adversariorum occludendum, ne Ecclesia silere, dissimulare, & quæ a quibus-

busdam laxius docentur, approbare dicatur, quod ad propositam objectionem refellendam sufficit.

CONCLUSIO.

Actum jam nobis de naturali jure, sed ita actum, ut, quod pluries monui, si quem non convincant, quę jus naturale statuunt, non idcirco negandum sit divinum illud jus, quod & Scriptura, & Traditione, & Conciliis, & Pontificibus, uno verbo, Catholica fide docente certum est. Satis hoc esse Catholico debet, cum & ratio sępe in ipso naturali jure non attingat quęcunque divino jure mala traduntur, & divinum jus prohibere potuerit, quę naturali jure vetita non sunt. Licet ergo rationes adversus usuram a nobis propositę non omnino videantur evidentes, quę autem pro usura objectę animum movent, non omnino solutę judicentur; sicut id nihil juvasset ad excusandos Hebręos, quibus divinum jus usuras prohibens certum erat; ita nec prodesse potest Christianis, quibus idem jus certum, & exploratum est, ut ex ipsis Salmasii verbis audivimus. Huic ergo divino juri cedendum, si naturale jus non satis convincat; & ita non prejudicio vulgari, sed Ecclesię, sed Catholico dogmati, sed Deo ipsi pręcipienti cedetur. Hoc Dei pręceptum Patres inculcarunt frequentius, quam rationes ullas; & ea pręsertim occasione inculcarunt expressius, cum durum rationi videretur usuram prohiberi. *Nolo sitis fœneratores*, inquiebat S. Augustinus in Ps. 36. n. 26., *& ideo nolo, quia Deus non vult. Nam si ego nolo, & Deus vult, agite: si autem Deus non vult, etiamsi ego vellem, malo suo ageret, qui ageret.* Soli pertinaces hęretici, qui proprio ingenio magis, quam Scripturis, Traditioni, atque Ecclesię fidunt, resistere poterunt; qui autem sacrę auctoritati deferentes, Dei pręceptum agnoscent, quod ex eadem auctoritate evidentissime liquet, quidquid difficultatis a ratione fortassis incidet, Deo pręcipienti submittent: nam, ut Augustinus itidem monuit lib. 16. de Civitate Dei c. 32., *Divino intonante precepto, obediendum, non disputandum.*

Ea recitavimus lib. II. c. 6.

# FINIS.

# GREGORII XIII.

RESCRIPTUM

CUM DECRETO IN MATERIE USURARUM

AD GUILLELMUM BAVARIÆ DUCEM

Ex Mss. S. Caroli in Ambrosiana Mediolanensi servatis editum, & cum Vaticano ejusdem Pontificis Regesto collatum, & emendatum: additis observationibus pro controversiis præsentibus circa usuram.





Regorii XIII. Summi Pontificis Epistolam ad Guillelmum Bavariæ Ducem, quæ cum insignem de casu usurario definitionem Apostolicam contineat, sæpius a nobis allegata fuit, hic e Mss. subjiciendam recepimus. Primam ejus notitiam habuimus ex transmisso ad nos Indice Manuscriptorum S. Caroli Borromæi, quæ in Ambrosiana Mediolanensi Bibliotheca servantur. Nam verbo *Usura* hæc leguntur: *Usura, e risposta del Papa al Duca di Baviera circa al non concedere li contratti coll' interesse del cinque per cento a titolo d' imprestito*, tom. 18. part. 1. Lett. 94. Loco autem his verbis indicato legitur primo: *Capitulum literarum Doctoris Martini Dumii* diei 29. Septembris an. 1581. ad Joannem Franciscum Bonomum Episcopum Vercellensem, qui S. Carolo intimus, per id tempus Apostolicum Nuntium in Germania agebat. Martinus autem Dumius erat Theologus, & a Consiliis memorati Ducis, uti colligitur ex ejusdem Ducis Epistola ad S. Carolum, quæ continetur in iisdem Mss. tom. 19. part. 5. n. 28., ubi hæc habentur: *Loquentur literæ Reverendi Viri nobis in primis dilecti & fidelis Theologi & Consiliarii nostri Martini Dumii*. Ex laudato autem literarum hujus Theologi capitulo cognoscitur, Bavariæ Ducem, forte ex consilio ejusdem Dumii, Gregorio XIII. proposuisse casum apud Germanos frequentem, qui in usuræ suspicionem vocabatur.

Quantæ autem curæ hoc negotium Guillelmo fuerit, exploratum fit ex aliis literis, quæ in iisdem Mss. leguntur; quarumque authenticum exemplar V. Cl. Nicolai Sormani Bibliothecæ Ambrosianæ Doctoris diligentia ad nos transmissum fuit. P. Gaspar Heyvoldus (aliquando Hilvodus dicitur) Soc. Jesu Theologus Anglus, veluti totius negotii procurator, cum ejusdem Ducis literis Romam ad Summum Pontificem missus fuit. Hoc in itinere alias ejusdem Ducis literas Mediolani S. Carolo tradidit, ut is eam in rem facilius expediendam suam quoque operam interponeret. Itaque datæ fuerunt a S. Carolo literę ad Cæsarem Spetianum, qui ipsius negotia Romæ tum procurabat, ut in ea re apud Pontificem ejusdem S. Archiepiscopi nomine ageret. Primum harum S. Caroli literarum originale (*informationem*, vulgo *Minuta* appellant; cujusmodi fere sunt, quæ in memoratis Mss. continentur) notatione temporis caret. At cum ex Epistola Ducis Bavariæ mox alleganda, & scripta die 8. Februarii an. 1581. liqueat, hanc S. Caroli, & Hilvodi collocutionem *superioribus mensibus* fuisse habitam; exeunte saltem an. 1580. S. Carolus ad Spetianum scripsit.

Tom. 17. part. 2. n. 245.

Rei examen doctissimis viris a Pontifice commissum. Nam hac occasione, vel caussa habita fuerit *eamultorum, & doctissimorum Theologorum consultatio*, quam anno quidem 1581. de usurariis contractibus Romæ se præsente habitam, memorat P. Valentia, ignotum mihi est. Interim non modo examen, sed & definitionem casus Theologis qui-

Tom. 3. Disp. 24. punct. 2. & disput. 25. punct. 2.

 bus-

busdam commissam a Pontifice, Duci Guillelmo nunciatum fuit. Hac de caussa is ad S. Carolum literas dedit, quarum nuper meminimus, in quibus se non Theologorum, sed ipsius Pontificis judicium efflagitat: *In hoc enim unice laboramus, ut Summus Ecclesiæ Pastor de Fratrum Cardinalium consensu, atque sententia authentice pronunciet, quid de isthoc usuræ genere per universum sentiendum sit; atque nullo animæ discrimine, aut conscientiæ scrupulo in usu ponendum.* Hanc Guillelmi Epistolam S. Carolus statim ad Spetianum Romam misit his verbis: *Vi mando copia d' una lettera scrittami dal Sig. Duca di Baviera, nella quale vedrete il desiderio suo di quel negozio delle usure, di che già vi scrissi con l' occasione di quel P. Gesuita Inglese mandato costà per questo effetto, sia terminato da N. Signore istesso col consiglio de' Cardinali, e non commesso ad altri; onde mi parrebbe, che fosse bene, che sua Beatitudine consolasse in ciò questo Prencipe, il qual' è di tanta pietà, che merita che S. Beatitudine abbia molto a cuore e questo particolare, nel quale egli preme tanto, e tutti gli altri suoi negozj. Parlatene dunque in mio nome a N. Signore, ed avvisatemi poi quel che avrà risposto, perchè io possa rispondere alle sue lettere.*

Tom. 18. part. 3. ep. 279.

Spetianus mandata executus, die 16. Martii an. 1581. ad S. Carolum rescripsit: *Sua Santità hebbe copia del capitolo della lettera, che scrive a V. S. Illustrissima il Signor Duca di Baviera intorno alle materie delli contratti usurarii, e mi disse, che si era data a studiare a Gesuiti, non perchè essi la desiderassero, & che si era data anch' ad altri;* (en examen doctissimis viris commissum, de quo in rescripto Pontificio mentio fiet;) *Ma S. Santità vuol' essa dichiararla, secondo che sarà di giustizia, e più servigio di Dio.* Hoc statim S. Carolus Guillelmo significavit; is autem hac spe

Tom. 18. part. 3. ep. 144.

illectus eidem gratias egit per literas die 5. Maji an. 1581., ex quibus hæc verba referre sufficiet: *Quam nobis omnia plane de Dilectionis Vestræ in nos animo promittere possimus, cum aliis multis argumentis, tum ex eo quoque abunde licet colligere, quod illa vix dum accepto de usura negotio responso, ad nos illud amantissimis sane verbis prascripsit, de quo Dilectioni Vestræ gratias merito summas agimus, expectamusque quid suo tempore de eo S. Pontifex statuendum proponet, a quo vel latum unguem recedere, quemadmodum per se fas non esset, ita nunquam certe sumus recessuri.* Ita apud Catholicos Principes Apostolicę Sedis definitiones, etiam circa honestatem contractuum, supremæ auctoritatis sunt.

Tom. 18. part. 2. ep. 52.

Non multo post, nimirum die 27. Maji anni ejusdem, expetita casus definitio ab ipso Pontifice lata, & ad Ducem missa fuit; idemque Pontifex Cæsari Spetiano hoc ipsum significavit; unde is in literis ad S. Carolum die 3. Junii scripsit: *Mi disse Sua Santità, che aveva mandato al Duca di Baviera la risoluzione delli dubbj proposti, a nome suo* (idest non Theologorum, ut Duci iam relatum fuerat, sed ipsius Pontificis auctoritate, & nomine) *ma non in Bolla, o Breve.* Hæc postrema verba innuunt, definitionem Apostolicam, non Apostolicis literis fuisse insertam, sed casui proposito subjectam, & separato scriptam folio, ut ex ipso monumento inferius subjiciendo constabit.

Interim cum ante hujus definitionis tempus P. Gaspar Hilvodus a novo Præposito Generali Anglicanis Missionibus destinatus, re infecta in Bavariam rediisset; Guillelmus Dux aliam Epistolam ad S. Carolum scripsit, qua eum præclaram ejus curam, & sollicitudinem manifestet, tota hoc loco describenda visa est. Extra. *Reverendissimo in Christo Patri, & Illustriss. Domino Carolo Borromæo S. Romanæ Ecclesiæ.*

Tom. 18. part. 2. ep. 73. *clesia Presbytero Cardinali Archiepiscopo Mediolanen. Domino & Amico nostro honoratissimo.* Intus vero. *Reverendissime in Christo Pater & Illustriss. Domine Amice honoratissime salutem, & gratificandi studium perpetuum. Spem, qua a Reverendiss. & Illustriss. Vestra Dil. facta nobis erat, fore nimirum, ut Sanctissimus D. N. mutui ad quinque pro centum rationes, & conditiones securas praescriberet, certam equidem apud nos fovimus, nihil dubitantes, etiamsi mora aliqua intercederet, ipsum tamen, qui negotium nostro nomine in Urbe proposuerat, Doctorem Heyvodum Anglum Societatis Jesu certam aliquam ejus definitionem secum allaturum. Verum is, jam post longam nostram expectationem, vacuus ad nos rediit, Anglicana profectioni a Generali suo Praeposito novo cum aliis quibusdam destinatus, nihil admodum ferens certi, quod ad rei eventum pertineat. Itaque cum caussa illa sit ad nostram conscientiam, populorumque nostrorum salutem, & securitatem maxime spectans, non possumus non hortari amicissimo studio Reverendissimam, & Illustriss. Vestram Dilectionem, ut ne animum ab ea promovenda, perurgendaque retrahat, aut remittat, sed opportune potius importuneque instando id efficere libenter velit, ut in re a nobis quidem pie & solicite quaesita, ab aliis multis neglecta, opem, consolationemque accipiamus primo quoque tempore. Pendent enim ab ea, quae nostri sunt, subditorumque nostrorum summi momenti. Id quod facile intelliget pro sua pietate Reverendissima & Illustriss. Vestra Dil., cui felicitatem omnem precamur ex animo.*

*Datum Monachii 12. Junii Anno 1581.*

*Guillelmus Dei gratia Comes Palatinus Rheni Utriusque, Bavariae Dux &c.*

*GUILLELMUS &c.*

*Post scriptum putamus Reverendissime, & Illustriss. in Christo Pater Domine Amice honoratissime ad caussae hujus apud S. D. N. tractandae eventus meliores nonnihil referre, si prospectum haberet, quibus ea verbis Suae Sanctitati fuerit proposita. Itaque rem illam totam scripto comprehensam hic mittimus, iterum atque iterum rogantes peramanter, ut efficere velit, quo ad ista proposita dilucide & aperte respondeatur, & determinetur. Dat. ut in literis.*

Haec Ducis Epistola scripta die 12. Junii, S. Carolo tradita fuit postquam is memoratam Germanici casus definitionem a Pontifice ad eundem Ducem missam ex supra laudatis Spetiani literis acceperat. Quare haec ad Spetianum scripsit die 12. Julii an. 1581. *Vi mando una lettera del Duca di Baviera intorno a quel negozio delle usure, se bene è già spedito, acciò vediate quanto gli premea, che si venisse a questa risoluzione.* Hoc novum ipsius S. Caroli testimonium definitionem Apostolicam indubiam facit: cui addendum & alterum insignius ex alia ejusdem Sancti Epistola ad ipsum Bavariae Ducem Guillelmum his verbis: *De usura negozio Summus Pontifex ei, qui meas rationes Romae procurat, superioribus diebus jussit, ut mihi significaret jam ad Celsitudinem Vestram decisionem missam fuisse. Itaque nihil est, cur amplius in hac re operam meam interponam.* Tom. 18. part. 2. ep. 127. Tom. 18. part. 1. ep. 50.

Tandem Guillelmo Duci Apostolicae literae cum Apostolica sententia redditae fuerunt. Martinus Dumius ejusdem Ducis Theologus earum literarum, ac sententiae exemplum ad Joannem Franciscum Bonomum Vercellensem Episcopum, qui tum erat in Germania Apostolicae Sedis Nuntius, transmisit. In Epistola autem ad eundem indicat magnum conatum a nonnullis fuisse adhibitum, ut piissimum Principem

a pre-

a prçclaris cœptis removerent, iidemque Dumio irascebantur, quod eum tanti moliminis auctorem, ac incentorem putarent: *Recte & intempore monuit Reverendissima Vestra, & Illustriss. Dominatio in caussa u-*

Tom. II. part. I. num. 94.

*furarum. Vix enim ea, qua suggeserat, cum Domino Duce contuleram, quin statim superveniret ille, cujus mentionem in suis literis fecerat, qui sane omnem movit lapidem, ut piissimi Principis animum a suo proposito deterreret. Sed frustra laboravit, & quia ipse, & alii sui Ordinis homines existimant me in caussa esse, nihil de me pacifice loqui possunt. Spero autem futurum, ut viri isti, alioquin religiosi, & optime de Republica Christiana meriti, videant, quam periculosa sit illorum hac in re sententia.* Respicit Apostolicam definitionem, quç illorum opinioni adversabatur; unde subdit: *Quid Pontifex de hoc negotio ad Serenissimum Ducem scripserit, ex adjunctis copiis Reverendissima & Vestra Illustriss. Dominatio intelliget.*

Has itaque copias Nuntio transmisit Dumius, ac idcirco his Dumii literis Apostolicç Epistolç, & definitionis ad ipsum Bavariç Ducem traditç exemplar in Manuscripto subjicitur. Tandem sequitur capitulum ipsius Nuntii Epistolç ad eundem Doctorem Dumium, ex quo discimus, rem secreto Romç tractatam, *ut in Germania haud sciretur, qua vere Patrum fuisset in Congregatione illa communis sententia, aut deliberatio.* Hinc autem & *Congregationem Patrum* Romç habitam, & *communem* eorundem fuisse *sententiam*, etsi de ea forte in Germania dubitaretur, aperte colligimus. Addit porro caussam, cur Pontifex Apostolicam sententiam in Bullç, aut Universalis legis rationem (ut Ducis desiderium erat) exprimere noluit: *Ex rescripti Pontificii, quam misisti, formula, mihi visus sum cognoscere, illius Sanctitatem noluisse de quæsito illo, tanquam satis aperto, atque indubitabili legem condere.* Non incerta igitur, nec dubia res habebatur, quç expressam, & generalem decisionem, ac legem flagitare crederetur. Id autem Apostolici rescripti vim hac in re nihilum minuit, sed potius adauget: ita ut de re evidenti dubitet, si quis de re definita dubitare velit. Neque rescripti forma ad singularem Ducem, quempiam moveat. Aliquid ab Apostolica Sede decretum, aut definitum scire sufficit, quocunque modo, quacunque formula fiat, ut cuilibet Christiano parendum sit: neque enim huic, vel illi verborum formç Christus Apostolicç Sedis auctoritatem alligavit, sed dignitati ipsius Sedis, atque Pontificis, qui proinde interrogatus de fidei vel morum doctrina, non ex privato sensu, sed ex officio pascendi, atque ex auctoritate Sedis respondet. Opinio nonnullorum, quç ad Apostolicam definitionem universalem Bullam requirit, inaudita est antiquis omnibus, qui Apostolicas literas, seu rescripta Innocentii ad Africanos, Leonis ad Flavianum, aut aliorum Pontificum, non ad omnes, sed ad aliquos, prout quçstio exigebat, directa, pro Sedis Apostolicç definitione habuere. In prçsenti casu *sententiam*, & *decretum*, utique Apostolicum, ipse Gregorius Pontifex hoc documentum appellat, a quo *nulla ratione discedatur, sic enim saluti providebitur*; ac si alias certum salutis çternç periculum sit.

Dumius in memoratis literis Nuntium rogaverat, ut Apostolici rescripti, & decreti exemplum S. Carolo communicaret. Ex literis autem ipsius Nuntii ad Dumium id factum liquet, ita ut & capitulum literarum ejusdem Dumii ad se, nec non responsionem suam ad ipsum Dumium Nuntius prçterea addiderit, qualia in Ms. Ambrosiano continentur. Charta quidem, ubi hçc ibidem descripta sunt, aquilç signo-

notata, peregrina, & Germanica proditur: character item Amanuensis, vel Secretarii, qui scripsit, peregrinus est; unde error aliquis ex originali Vaticano corrigendus, ex scriptoris lapsu, hoc in exemplo deprehenditur. Sic etiam *Dumius* pro eo quod *Dusinus* in inscriptione capitulorum legitur, ex authentica ipsius Bavariæ Ducis Epistola, quę Dumium, non Dusinum aperte pręfert, scribendum credidimus.

Hæc tota est documenti hujus historia; ex qua patet cur hę Apostolicæ literę, & hęc casus Germanici definitio, una cum Dumii, & Episcopi Vercellensis Apostolici in Germania Nuntii capitulis, inter Manuscripta S. Caroli inveniantur. Quę Manuscripta, cum a S. Carolo legata fuissent ipsi Joanni Francisco Bonomo Episcopo Vercellensi, post hujus mortem in Ambrosianam Bibliothecam traducta, & in varios libros collecta, auctore, & Bibliothecario *Julio Cæsare Bonomio* hujus notationibus identidem distinguuntur: pagellæ autem, quæ præsentem Gregorii XIII. Epistolam, ac definitionem continent, duplici ejusdem Bonomii notatione signantur. In margine enim Pontificiæ Epistolæ ejus Bonomii manuscriptum legitur: *Al Signor Duca di Baviera, come si dice abbasso*: & in fine paginæ alia ejusdem manus notatio, quam collatione characterum cum aliis certis ejusdem Bibliothecarii literis Angelus Antonius Bonavia literarum peritus testatus est. Nunc appendam ipsum exemplar Epistolæ, & definitionis Apostolicæ. Epistola quidem Pontificia alicubi corrigetur ex Vaticanis Regestis ejusdem Gregorii XIII., cum quibus collata fuit: unde hoc documentum authenticum esse magis magisque confirmatur. Definitio autem Apostolica, etsi indicata in literis, non tamen iisdem, ut paullo ante monuimus, inserta fuit; sed ipsi casui proposito subjecta, separato folio continebatur. En ipsum Apostolicum documentum.

## Gregorii XIII. literę ad Guillelmum Ducem Bavariæ.

## Gregorius PP. XIII.

Dilecte fili, nobilis Vir, salutem & Apostolicam benedictionem. Sæpius ad nos scripsisti, suspectum tibi vehementer esse morem istorum locorum, quinos numos in (1) centenos mutuo datos exigendi; cuperesque ex Nobis cognoscere, jure ne, ac salva conscientia id fieri possit. Optimi Ptincipis officio functus es in suscipienda tuorum salutis cura. Rem omnem diligentissime consideravimus, doctissimosque viros adhibuimus. Sententiam ipsam Nobilitati tuæ (2) cum his literis mittimus. Mandabis igitur, ut hæc ipsa forma servetur, neve ulla ratione

(1) Ms. Ambrosian. habet *centeno*: correximus ex Regesto Vaticano.
(2) *Cum* pro *in*, quod in Ms. Ambros. legitur, ex eodem Vaticano Regesto emendavimus.

ne ab ea discedatur; sic enim istorum saluti providebitur magna etiam cum tua mercede, & laude. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris Die XXVII. Maji MDLXXXI. Pontificatus nostri anno Decimo.

*V. Ant. Buccapadulius.*

## Forma contractus in Germania passim celebrati, de quo ultima resolutio petitur.

Titius in Germania pecuniam habens, eandem Sempronio cujusvis conditionis homini ad nullum certum usum, sed pro arbitrio debitoris distrahendam ea lege tradit, ut Titius ex pacto, & civili obligatione ( aliquando in iisdem literis, interdum in aliis adjicitur ) jus habeat, quamdiu eadem pecunia apud Sempronium relinquitur, accipiendi quotannis ab eodem Sempronio quinque Florenos pro singulis centenariis, & postea totam quoque summam capitalem. De tempore autem, quo restitutio capitalis fieri debeat, licet interdum aliquid certi determinetur, ut plurimum tamen nihil statuitur. Sed tam Titio, quam Sempronio plena potestas relinquitur, ut quandocunque voluerit ( utilitate interim percepta in partem sortis non computata ) contractum rescindere possit: dummodo is, qui contractum rescindit, alterum sex menses antea præmoneat. Ex vi autem contractus, aut pacti adjecti, Titius annui lucri, aut summæ capitalis perdendæ nullum periculum subit; sed sive Sempronius fructificet, sive non, jus habet ab eo exigendi lucrum quinarium annuum pro omni centenario; & sive vivat Sempronius, sive moriatur, Titius ab illo vivente, vel illo mortuo ab ejus herede summam capitalem recuperat, nihil quod interim accepit restituens.

Decretum Apostolicum

*Contractus, modo, & forma prædictis celebratus, usurarius est neque enim ad aliam speciem, quam mutui, cum conventione lucri ex eodem mutuo accepti, reduci potest; ex quo consequitur, ut per nullam consuetudinem, aut legem humanam excusari, neque ulla contrahentium etiam bona intentione defendi possit, cum sit jure divino, & naturali prohibitus: qua etiam ex caussa nemini, sive diviti, sive pauperi, & quantumvis miserabili personæ hujusmodi contractum celebrare, lucrumque ex illo acquirere, aut retinere licet.*

*Si tamen in Germania aliquis est contractus, in quo quinque pro centum accipiantur, aliis forma, & modo a prædictis cele-*

*celebratus; non per hæc tamen damnare, aut probare intendimus, donec specialiter fiat de eo expressio, & consideratio, ut quid de eo sit sentiendum decernatur, sicut de propositis decretum est.*

*Observationes in superius Documentum pro controversiis præsentibus circa usuram.*

CAsus, qui proponitur, idem omnino est, ac qui nunc quoque apud nostros homines in praxi re ipsa contingit. Porro in Apostolico rescripto contractus *usurarius* esse definitur, ut *illicitus* definiatur, adeo ut idem sit ex Apostolicæ Sedis locutione, & sententia *usurarium* dicere, ac *illicitum* dicere. Hinc quidem in subjectis verbis hic casus *jure divino, ac naturali prohibitus* affirmatur, quod *illicitum* significat; & expressius in fine: *Nemini hujusmodi contractum celebrare, lucrumque ex illo acquirere, aut retinere licet.* Itaque usuram per se illicitam Romana Sedes judicavit: alias enim usurarium pro illicito nec dici, nec intelligi posset. Nullam ergo usuram existimavit licitam, etiam si moderata sit, & ad legum, vel consuetudinum normam exacta. Enimvero de usura quinque Florenorum in centum, quæ moderata usura haberi solet, & legibus, consuetudinibusque Germaniæ probatur, contractus propositus agit; & ratio ejus lucri vindicandi ab ipsis præsertim legibus, & consuetudine petita cognoscitur; nec tamen Apostolica Sedes harum rerum rationem habendam putavit, sicut nec bonæ contrahentium intentionis, aut necessitatis eorum, qui pecunias collocant: hæ enim caussæ, quæ ab ejus lucri patronis fuerunt allatæ, in Apostolico decreto veluti inanissimæ refelluntur. Videant nunc quam inutiliter laborent ii, qui paribus argumentis usuram, aut usurarios contractus defendere student; nec eos rigoris accusent, qui ejusmodi argumentis nequaquam acquiescunt. Pudeat potius se in his insistere, quæ non a privatis Theologis, non a *communi* solum ejus ætatis *Patrum*, ut Nuntius testatus est, *sententia*, sed ab ipsa Sede Apostolica repudiata fuere.

*Usurarium* porro contractum definivit Gregorius hac unica ratione: *Neque enim ad aliam speciem, quam mutui, eum conventione lucri ex eodem mutuo accepti, reduci potest.* Duo in his verbis notanda. Primo contractum non solum declarari *mutuum*, sed *ad aliam speciem, quam mutui reduci non posse*. In contractu proposito nulla mutui mentio facta fuit. Solum pecunia ad lucrum tradita exprimitur, cum restitutionis post aliquod tempus obligatione. Hunc autem contractum esse mutuum, nec aliud quam mutuum esse posse, Romana Sedes agnovit, & definivit. Quam igitur perperam illi opinantur, qui vel mutuum negant, ubi lucrum intenditur; vel alium pro mutuo contractum saltem implicitum supponunt, & imaginantur. Hisne magis, quam Apostolicæ Sedi credendum erit? Hinc etiam cognoscitur, quam longe a veritate illi aberrent, qui *mutuum* in pecunia tantum pauperibus credita collocant. De pauperibus sane nihil dicitur in contractu proposito; immo & divites, aut mercatores satis involvuntur, cum pecunia cuivis tradita fertur, ita ut nonnullis etiam fructificet; & nihilominus traditio pecuniæ tam generalis *mutuum usurarium* esse, nec aliud esse posse, generatim nulla exceptione, ac distinctione declaratur. Recentia patronorum usuræ commenta hæc sunt,

quæ

quæ nec Romanæ Sedi, nec ulli catholico probabuntur. Secundo maxime observandum in allatis Pontificis verbis illud est, quod in *conventione lucri ex eodem mutuo accepti* usuram collocat, ut Theologorum definitio est. Hanc ergo mutui definitionem a Theologis allatam *lucrum ex mutuo* qui irrident, videant quid faciant. Non meros Theologos, sed ipsam Apostolicam Sedem irrideant necesse est. Hujus autem definitionis vindicias libro I. c. 1. pluribus expositas invenies. Non vera aliqua ratio, quæ suadeat, sed sola cupiditas, ne verum esset, quod ipsorum sententiæ adversatur, homines ad definitionem exploratissimam irridendam, ac inficiendam adduxit.

Notandum præterea, quod lucrum ejusmodi usurarium retineri non posse, ac proinde restituendum decernitur. Hoc de solo injusto lucro verum esse potest. Injustum ergo Apostolica Sedes judicavit usurarium quodlibet lucrum, etiam moderatum, de quo hic unice sermo est, idque etiam si legum, atque consuetudinum probatione firmetur. Quod autem injustum est, non e solis pauperibus, sed e divitibus etiam perceptum est injustum: justitia enim inter divites, & pauperes nequaquam discernit. Igitur Apostolicæ Sedis judicio usurarium quodlibet lucrum, sive e pauperibus, sive e divitibus exigatur, injustum, & illicitum est, nec nisi per summam novitatem usurarum patroni solum moderatum lucrum exactum a pauperibus damnandum dictitant.

Quod si quis in illud damnationis caussam referat, quod contractus sine periculo propositus fuit; is, quæso, consideret, sermonem ibidem esse de periculo juris, *quod ex vi ipsius contractus mutui* semper abest: semper enim in quolibet mutuo, sive fructificet ex pecunia debitor, sive non fructificet, aut damnum patiatur, & impotens solvendo sit; semper, inquam, *vi contractus* ipsius creditor *jus habet ab eo exigendi* &c. *jus* autem *exigendi* omni mutuo commune juris periculum adimit, non autem periculum facti, quod in tradenda *cujusvis conditionis hominibus* pecunia, ut casus præfert, saltem alicubi debet insurgere, ut vel hac ratione contractus propositus generatim non potuisset damnari, si facti periculum justus lucrandi titulus a Romana Sede habitus fuisset.

Tandem animadvertenda Summi Pontificis cautio in postremis verbis, quibus cum de proposito contractu certum *decretum* latum affirmat; tum alios contractus, si qui alia forma, & modo a Germanis celebrentur, hoc decreto nec damnatos, nec probatos declarat, quoad in peculiare examen adducantur. Id ea de caussa additum videtur, ne quis forte alios contractus, qui vel in Germaniam inducebantur, vel Romæ etiam eo anno a nonnullis Theologis hac occasione fuere expensi, & vindicati, hoc decreto intactos videns, approbatos putaret.

Nihil interim hoc documento illustrius ad præsentem usurarum controversiam illustrandam afferri potest. Omnia autem cohærent (ut pluribus ostendere possem) cum aliis Romanæ Sedis decretis, ac Traditione, a qua ejusdem Sedis Pontifices, pro quorum fide Christus oravit, nequaquam declinare queunt. Quidquid ab hac Apostolica doctrina, ac Traditione discrepat, novitati, & errori deputandum est. Nunc quid restat, nisi ut Pontificium illud præceptum in praxi sequentes: *Mandabis, ut hac ipsa forma servetur, nec ulla ratione ab ea discedatur; sic enim saluti providebitur*, his qui forte contraria docere non vereantur, obtrudamus illud Augustini: *Inde rescripta venerunt: caussa finita est; utinam error aliquando finiatur.*

L A U S   D E O.